
3 1761 07839273 5

CATECHISMUS HISTORICO-THEOLOGICO-DOGMATICUS

IN QUO

SYMBOLUM APOSTOLORUM,

Et Præcipui FIDEI CHRISTIANÆ ARTICULI, Brevi, Clara & facili methodo explanantur.

ORDINANDIS, CONFESSARIIS, MISSIONARIIS, PAROCHIS, aliisque junioribus Ecclesiasticis, Fidelium instructioni incumbentibus, perutilis.


A FRATRE

LUDOVICO LIPSIN

ORDINIS FF. MINORUM CONVENTUALIUM.

Esto mansuetus ad audiendum Verbum Dei, ut intelligas, & cum Sapientia proferas responsum. Eccl. Cap. V.

Capp.ni d. Spello





VENETIIS, MDCCL.

Apud JOANNEM TIBERNINUM.

SUB SIGNO PROVIDENTIÆ.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



EPISTOLA DEDICATORIA

Ad Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum,

DOMINUM OCTAVIUM

EX COMITIBUS DE ARRENGHERIA

Patritium BONONIENSEM Episcopum ASSISIENSEM Vigilantissimum.



Atechismum hunc Historico-Theologico-Dogmaticum, *perspicuam complectentem* Symboli Apostolorum *explicationem, requirentibus quibusdam ex nostris junioribus patribus, ad Sacra Ministeria destinatis, collegi potius quam composui, ut in uno libro ad manus habere valerent præcipuos Fidei Christianæ articulos, quos gentes, ad quas mittuntur, labore minori edocere possent, & qui in ponderosis nimium voluminibus Scholasticis prolixiori discutiuntur, & explicantur sermone.*

Verum audito ab Illustrissima, Reverendis-

ſima, ac Spectatiſſima Dominatione veſtra, *quæ præſens opuſculum inſtructivis amœniſque, ut effari ſibi complacuit, refertum quæſtionibus, perlegere gratum ſe habuiſſe teſtata eſt, illud,* inquam, *nedum novellis ſuis Sacerdotibus, Confeſſariis, junioribus Parochis, quorum in doctrina progreſſum zelo zelat mirifico, ſed etiam aliis quarumcumque Diœceſum Eccleſiaſticis, aliquid pariter utilitatis adferre poſſe, Typis tandem, & ſi reluctante quodammodo animo, ob operis ſimplicitatem, dare aggredior.*

Tuis igitur ſub auſpiciis, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Antiſtes, *in publicum illud ſi producere audeam, mirabitur, aut condemnabit nemo, ſi attendat Te in Theologicis non minus quam in utroque Jure, & in aliis omnibus ſcientiis peritiſſimum, non judicaſſe* Catechiſmum *hunc indignum, qui lucem videret; imo abundantiori encomio illum celebraſſe per ampliſſimam hic adjunctam approbationem.*

Non exiſtimet tamen quiſpiam, me eloquentiæ inermem, ſtudioſe hanc velle arripere occaſionem, ingenitas animi tui egregias dotes, ſplendidiſſimamque vetuſtiſſimi nobilis generis tui *proſapiam, ſublimibus exquiſitis efferendi laudibus.*

Præclariſſima enim perilluſtrium Avorum *geſta, qui a tot ſæculis Eccleſiam, & Rempublicam,* prudentia, conſilio, pietate & juſtitia *non modo condecorarunt, ſed & heroica forti-*

titudine, invictoque semper propugnavere animo, aliis in arte dicendi magis excultis tot magnalia acta, elegantiori stylo describenda, modulamineque suaviori, concinenda, relinquo; sicut & uberrimam perspicacis ingenii tui fertilitatem, sanæ doctrinæ præstantiam, indefectibilem in agendis prudentiam, & rectitudinem, in pascendo Gregem Christi pastoralem zelum, & indefessam vigilantiam, ingentemque in commissas Oves paternum amorem. Verum, quid protraho? Cunctarum virtutum, quibus coruscas, & te constanter ornatum præbes, immensam magnitudinem.

Mihi vero, qui tuam in promovendo Dei cultu, & subditis Fidelibus salubri instructione procuranda, tum verbo, tum scriptis & exemplo, sanctam sollicitudinem, mira cum ædificatione, *conspectam habeo; quique ab initio usque nunc singularem tuam expertus sum benevolentiam, hoc summopere cordi fuit, Christianæ plebi,* vestigiis tuis inhærendo, *quoddam salutis adminiculum præbere, & simul gratitudinem meam, quæ Deo, & hominibus semper jucunda venit, publico,* & si tenui, *comprobare argumento.*

Patere igitur, Illustrissime ac Eruditissime Præsul, *ut Opusculum, hoc a te eleganti approbatione laudatum, sub gloria Nominis tui, benignoque patrocinio, publicam lucem aspiciat.*

Illud ipsum amabili, qua assoles, affabilitate

reci-

recipias, tanquam grati animi mei, summæque venerationis testimonium, & pignus.

Deum interim Optimum Maximum supplex deprecari non desinam, ut dies tuos in sæcula multiplicet, & ad altiores eminentioresque gradus, pro meritis, & tot perpessis laboribus in hujus Seraphicæ Diœcesis spiritualem progressum ampliorem, & Sanctæ Ecclesiæ Universalis decus & ornamentum, promovere non dedignetur.

Hæc sunt vota ejus, qui singularissima devincti cordis observantia in ævum permanebit.

Illustrissime ac Reverendissime

Humillimus obedientissimusque Servus
FR. LUDOVICUS LIPSIN, *Min. Con.*



AD LECTOREM UT LEGAT.



DOctrinam Christianam totius mundi saluberrimam, excellentissimamque esse scientiam, nemo non scit. Hæc sola hominem beatum reddere potest. Cætera omnia temporalibus deserviunt. Unde merito dixit sapiens: *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei* Sap. 13. per scientiam Dei intelligens non tantum speculativam, sed & practicam conjunctam cum Dei timore, cultu, obedientia, & amore, qualem Doctrina christiana docet.

Vani fuerunt, & stulti Idololatræ, qui Deum ignorantes, Idolum coluerunt, & adorant. Vaniores, & stultiores fuerunt Philosophi, qui cum Deum per scientiam naturalem cognovissent, *eum tamen non ut Deum*, ea pietate, qua par est, coluerunt, & glorificaverunt. Vanissimi, & stultissimi sunt quidam Fideles, qui cum Deum per fidem agnoscant certamque ex ea spem habeant vitæ æternæ, cum tamen, ejusque legem spernunt, suavissimumque ejus jugum abiicientes, ut illicitis suis voluptatibus, & creaturis perfruantur, *pro nihilo habent terram desiderabilem*.

Verum felicissimi, & sapientissimi sunt Christiani illi, qui spretis mundi illecebris, Deum *in spiritu, & in veritate adorantes*, sanctam ejus legem diligenter custodiunt; a cujus observantia Ecclesia Catholicæ decus, exterorum ædificatio, & ipsorummet propria æterna salus dependent.

Non immerito Patres Concilii Tridentini, rudimenta Fidei tradendi, seu catechizandi munus *Episcopis, & Parochis*, non modo commendarunt, sed & *praeceperunt*; volentes, *ut diebus, saltem* Dominicis, & Festis solemnibus, *plebes sibi commissas, pro sua, & eorum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem*; *annunciando eis vitia*, quæ eos declinare, *& Virtutes*, quas sectari oportet, *ut pœnam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant*. Conc. Trid. Sess. 5. cap. 2. de Reform.

Quis enim ignorat blasphemias, perjuria, aliasque irreligiositates, adulteria, fornicationes, & alia impuritatis probra, superstitiones, maleficia, & omnis generis nequitias, in Rempublicam ut plurimum invehi, ex hominum ignorantia?

Unde est, inquit Sanctus Bonaventura, *quod videmus, non* dico ego plebeos, *sed Ecclesiasticos, imo & Religiosos quosdam, ita distortos, & rudes, sicut saeculares, superbos, vanos, cupidos, invidos, detractatores, iracundos, contumeliosos, desides, dissolutos, avaros, inverecundos, delicatos, gulosos, garrulos, lascivos; & quod ex eis oritur forsitam incontinentes?* Quaestion. 16. in Reg.

In promptu causa est; defectus Christianae, religiosaeque educationis, id est, scientiae eorum, quae Christianum hominem, & Religiosum formare consueverunt?

Quanta sit igitur Doctrinae Christianae utilitas, & necessitas, facile ex his colligere est.

Nos hic solum de contentis in *Symbolo Apostolorum*, magis scitu necessariis, tractabimus, cum brevitate tamen, & facilitate sermonis, juxta sensum Sanctae Romanae Ecclesiae; & ita dilucide, ut litterarum omnino incapax sit, qui eam Doctrinam non intelligat.

Dixi, de *magis necessariis*: Intentio enim nostra non fuit recludere in hoc opusculo, quidquid fuse, & docte tractant multi praeclari Authores; sed tantum ex ipsis, instar *Apis argumentosa* colligere, ea quae junioribus Ecclesiasticis, & Religiosis necessaria esse, & ipsis proficere posse judicavimus.

Non tamen nos ita ab aliis scripta, discussaque decantamus, ut non etiam aliqua singularia adjungamus, ex quibus tantillus radius novi luminis effulgere possit, ex hujus libri lectione; quamvis ad id sufficeret sola methodus, rerumque tam diversarum recens dispositio, & denique dictorum ab aliis debita ad praxim applicatio, & ad sensum Sanctae Romanae Ecclesiae reductio. Unde, *si aliqua appareant, unde* sumpta sint, *alia tamen esse, quam unde sumta sunt, etiam apparebunt.*

Et si ea, quae ab Eruditis desideraretur, in hoc nostro Opusculo non reluceat eloquentia; scopus & materia ipsius eam exigere non videbantur: Nec mihi cum pomposis, selectisque Rethoricae floribus, & ornamentis, *Oratoris instar*, scribendum proposui; sed in forma, & methodo, quibus ordinarie *Catechismi, & libri casus conscientiae continentes traduntur*; sic suadentibus non infimae notae Magistris nostris, qui conceptum opus approbantes, nos exhortati sunt, ut essemus in quaestionibus breves, & in responsionibus, *ad possibile*, juxta materiae exigentiam, concisi, & expediti, sine periphrasibus, & circumlocutionibus taediosis, sublata tamen omni obscuritate: existimantes alioquin, si haerendum foret ad concipiendum sensum, laboriosum, onerosumque magis, quam proficuum juventuti futurum nostrum Opusculum, praecipue elaboratum, ut de rebus Fidei, plurimum necessariis, in *Symbolo Apostolico* comprehensis, instruerentur; non vero ut venustam, floridamque linguae Latinae elegantiam ex hoc nostro labore addiscerent, cujus finis non est eam edocere.

Doctissimus, celeberrimusque noster *Bartholomeus Mastrius*, cujus eruditionis fama per universum Orbem volat, in praefatione suae *Theologiae Moralis*, quod egregium, ponderosumque opus certo certius *tironibus* non obtulit, ingenue, & candide declarat, se *stilo familiari, ac ab omnibus intelligibili*

scri-

scripsisse, amans potius, ***juxta dictum Sancti Augustini***, ut illum reprehendant Grammatici, ***quam non intelligant populi.***

Omnia ad quamdam Dialogi formam, hoc est per interrogationes, & responsiones reduximus, pro majori addiscendi, & retinendi facilitate: quæ enim sic proponuntur, validius percutiunt mentem, & in ea firmius imprimuntur. Hoc experientia probat: Et hac de causa *Catechismi*, quibus a prima ætate in doctrina Christiana instruimur, ad hunc erudiendi modum redacti sunt.

Dicet forte aliquis, multos jam prodiisse libros de hac materia, *ornatiori eloquio* conscriptos, adeoque hunc esse superfluum. Hoc olim sibi objecit Augustinus, & respondet: *Non tamen*, inquit, *propterea putet quis, me tacere debuisse, quod non tam* expedite, ac dilucide, *quam alii Authores, quos Lector intelligit, eloqui potui.*

Neque enim omnia, quæ ab hominibus conscribuntur, *in omnium manibus veniunt;* & fieri potest, ut nonnulli, illos planiores non inveniant libros, *& in istos saltem incidant.*

Ideoque utile est plures a pluribus fieri, *diverso stilo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem*, ut ad plurimos res ipsa perveniat, *ad alios sic, ad alios autem sic*. S. August. lib. 1. de Trin. cap. 3.

De cętero, si hoc opus alicui gratum non habeatur, aut sibi non placeat; iterum cum Augustino dicam: *Etsi ita est, ponat librum meum; vel etiam*, si hoc videatur, *abjiciat, & eis potius, quos intelligit, operam, & tempus impendat*. Ibidem.

Interim me, meaque varia opuscula, jam typis data, & quæcumque alia, *faventibus Superis* edenda, humili, sinceroque animo, a principio ad finem, Superiorum quorumcumque judicio, & correctioni totaliter submitto.

Ita est. Frater Ludovicus Lipsin Minor Conventualis.

APPROBATIO

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Assisiensis.

CAtechismum, in quo brevi, clara, & facili methodo Symbolum Apostolorum, & præcipui Fidei nostræ articuli explanantur, eodem animi delectamento, quo verborum delectu egregius Author apprime concinnatum edidit, lustrare præelegi. Uno hoc libro, quæ per plura, ac varia Theologorum volumina divagari innotuit, perpulchre, evidenter, ac suaviter collecta toti Christianæ Reipublicæ adiscenda proponuntur, abunde discussa exhibentur, ac scelecto vocum ornatu congesta studiosæ juventuti ita dimittuntur, ut præcipua inde dogmata, ad instructionem omnium Christi fidelium purissimam accommodata, non emergant dumtaxat, sed & remaneant exhaurienda. Opus itaque hoc pereximium, encomiastem magis me exigens, quam censorem, Orbi Literario non modo gratum, sed & Apostolicis ministris utile futurum, quemadmodum pro comperto habui, ita libentissime testor omnibus, & singulis, quorum interest, aut interesse poterit quomodolibet in futurum. Gratulor proinde ex animo Religiosis iis, qui veluti candelabra super montium jugis sita, tenebras tam infidelitatis, quam hæreseos pro viribus dissolvere ambientes, Ordinis Minorum Conventualium S. Patris Nostri Francisci in hoc Missionariorum Seminarium ingressi sunt, aut ingredientur. Eos enim, hoc præunte Catechismo, Catechismi Romani explanationem omnibus numeris absoluturos ita confido, ut omne bonum hoc in abbreviato Opere deprehendentes nihil offendant, quod aberret a vero, nihil, quod sinceræ pietatis odorem non redoleat, nihil postremo, quod laude sua dignum non sit.

Datam ex Episcopali meo Palatio Assisii XII. Kal. Nov. M.D.CC.XLV.

Oct. Episcopus Assisiensis.

AP-

APPROBATIO

Theologorum Ordinis.

OPus, cujus titulus est,, *Catechismus Historico-Theologico-Dogmaticus*: In quo Symbolum Apostolorum, & præcipui Fidei nostræ articuli explanantur, pie, & erudite elucubratum ab admodum Reverendo Patre Magistro *Ludovico Lipsin* Sacræ Theologiæ Doctore, Exprovinciali Ordinis Minorum Conventualium; ea, qua par est mentis attentione, & summa animi oblectatione percurrimus; & nihil non sanum, nihil non consentaneum fidei, & moribus deprehendimus, cum omnia sint fundata in Sacra Scriptura, Sanctis Patribus, & ratione Theologica. Quapropter legat, & videat Confessarius; videat, & revolvat Parochus; revolvat, & perpendat Missionarius; & quidem clarissime perspiciet, & percipiet, quantæ utilitatis sit hoc Opus. Arbitramur propterea eidem Operi plane docto, & utili, non nisi prælum, lucemque publicam desiderari.

Datum Assisii ex Sacro Con. S. Patris Francisci die 22. Maii 1747.

Fr. Joannes Franc. Fanciulli Exprov. Ord. Min. Conv. & Examinator Synodalis.

Fr. Joseph M. Curioni Def. Perp. Examinator Synodalis, & Theol. Illustr. ac Rev. Episc. Assisiensis.

APPROBATIO

Reverend. Domini Pomponii Suardi Abbatis Regularis Sancti Petri, Civitatis Assisiensis, Ordinis S. Benedicti Cassinensis, Examinatoris Synodalis &c.

PErlegi librum, cui Titulus: *Catechismus Theologicus*, in quo brevi, clara, & facili methodo Symbolum Apostolorum explanatur ab admodum Reverendo Patre *Ludovico Lipsin* S. Theologiæ Doctore, Exprovinciali Ordinis Minorum Conventualium. Hoc opus, in quo pietas, eruditioque sui Authoris refulget, & in quo conjungitur brevitas cum singulari claritate ad mentes Illustrandas Theologiæ candidatorum, perutile fore existimo. Nihil quod Orthodoxæ Fidei, veræ, ac sanæ doctrinæ adversetur, in ipso deprehendi; idcirco luce publica dignissimum reperi, nec non censeo.

Datum Assisii, in Urbe quarto Idus Januarii 1747.

D. Pomponius Suardus Abbas Regularis S. Petri.

APPROBATIO

Adm. Rev. Patris Alexandri Pardini Tertii Ordinis S. Francisci Exprovincialis, & Examinatoris Synodalis.

LIbrum cedro dignum, cui titulus est, *Catechismus Historico-Theologico-Dogmaticus*, in quo brevi, clara, & facili methodo Symbolum Apostolorum, & præcipui Fidei nostræ articuli explanantur, Authore A.R. Patre *Ludovico Lipsin* Sacræ Theologiæ Doctore, Seraphici Ordinis S.P. Francisci Minorum Conventualium Exprovinciali, attente, & accurate perlegi, & ad doctrinam illius non solum orthodoxam, sed & valde perutilem adinveni, eoquod faciliori stylo Clericis Ordinibus initiandis; Parochis propriis ovibus instruendis; Missionariis quoque, & Concionatoribus pro suo munere fideliter adimplendo permaxime juvet: Quapropter cum nihil contra Fidem, nihil contra bonos mores, nihilve contra pietatem contineat, merito, ut vota, & desideria multorum adimpleantur, prælo dignum adjudico.

Datum Assisii ex Ven. Conv. S. Antonii Patavini die 10. Augusti 1747.

Fr. Alexander Pardini in eodem Con. Studiorum Magister Regens, & hujus Provinciæ Tertii Ordinis Exprov.

ALIA APPROBATIO DOCTORUM A Reverendiss. Patre Generali Deputatorum.

JUssis Reverendiss. Patris Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium, morem gerentes, Opus, cui titulus, *Catechismus Historico-Theologico-Dogmaticus* &c. Auctore S. Theol. Magistro Patre *Ludovico Lipsin* ejusdem Ordinis Exprovinciali, attente revolvimus, atque nihil in eo plane deprehendimus, quod Fidem orthodoxam, probosque mores offendat: perspeximus quinimmo multiplici eruditione Opus illud refertum esse, & operariis Dei, præsertim ad mysteria Fidei Romano-Catholicæ perspicue explananda perutile futurum. Dignum propterea censemus, quod publici juris fiat, quoties ejusdem Rever. Patris animus accesserit.

Datum Assisii die 3. Januarii 1749.

Frater Joannes-Baptista Constantius, Deffinitor perpetuus, & Custos Sacri Conventus.

Frater Ignatius Como S. Theologiæ Magister ac Deffinitor perpetuus.

FR. CAROLUS-ANTONIUS CALVI De Bononia, artium & Sacræ Theologiæ Doctor, totius Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium post Seraphicum Patriarcham Minister Generalis LXXXV.

CUm opus, cui titulus est, *Catechismus Historico-Theologico-Dogmaticus*, Auctore P. Magistro *Ludovico Lipsin* Exprovinciali, duo Ordinis nostri Theologi, a nobis *specialiter* deputati examinaverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis ad quos spectat, ita videbitur. In quorum &c.

Datum Bitunti in Sancta Visitatione die 19. Januarii 1749.

Frater Carolus-Antonius Calvi Minister Generalis Ordinis.

Fr. Antonius Maria Azzoguidi de Bononia, Secretarius & Assistens Ordinis.

QUÆ-

QUÆSTIONES Operi Præpositæ DE APOSTOLIS.

Q. *Quid hoc nomen Apostolus significat?*

R. Apostolus derivatur a verbo Græco *Apostolos*, quod idem est ac *missus*, seu *legatus*. Sic Athenienses vocabant eos, qui per provincias demandabantur tanquam visitatores earum, & ut necessitatibus subditorum providerent, lites componerent, jurgia sedarent, seditiones compescerent, &c.

Q. *Qui erant apud Hebræos Apostoli? & quod eorum officium?*

R. Apostoli ab ipsis, vocabantur viri illi, qui a Summo Pontifice singulis annis mittebantur ad exigenda, & colligenda tributa quædam, quæ populus Israeliticus solvere consueverat, & tenebatur Templo Jerosolymitano, pro Dei cultu, ejusque servitio, & ministrorum sustentatione.

Invigilabant ulterius Apostoli illi super observantiam Mosaicæ legis, & quamdam jurisdictionem super populum exercebant: erantque primarii post ipsum Summum Sacerdotem. Officium hoc honorificum erat, & magni proventus.

Q. *Fuitne Sanctus Paulus unus ex istis* Synagogæ *Apostolis?*

R. Tenetur quod sic. Quia missus fuit Damascum cum litteris Principis Sacerdotum ad Synagogas, contra Christianos, habitos tanquam hæreticos, & transgressores non solum, sed & destructores legis: *Ut si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem*, Act. cap. 9.

Non est igitur hoc nomen noviter datum a Christo suis discipulis, cum longe ante ipsum jam in usu esset in Judaica Republica.

Q. *Numquid Paulus etiam Christi Apostolus fuit?*

R. Cum aliis Apostolis, vivente Christo, quem forte non agnovit, aut non vidit, non annumeratus est, quin potius Christi insecutor, & Ecclesiæ suæ persecutor extitit, divino tandem miraculo ad fidem evocatus, cæteris Apostolis additus fuit.

Sic enim de se ipso loquitur, scribens ad Galatas: *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis*, Ad Gal. cap. 1. Quasi dicere voluisset: jam ego non sum amplius Apostolus ille ab hominibus, seu a Synagoga deputatus; verum munus hoc, a Jesu Christo, & Deo ejus Patre eligente accepi. Quibus verbis Christi divinam naturam statuit, asserens se Apostoli officium ab homine non accepisse, &c.

Q. *Hic titulus cessavitne apud Hebræos tempore Christi?*

R. Nequaquam, Apostolos etiam ipsi destinarunt ad instar Christi, qui Judæam, & alias regiones percurrerent, spargendis contra Jesum, & ejus discipulos, calumniis, & impedienda propagatione Christianæ doctrinæ, legeque Mosaica pro viribus propugnanda.

Titulus hic apud ipsos in usu fuit usque ad *Theodosium Imperatorem*, qui tan-

tandem publico edicto prohibuit, ne quis ex Judaica natione hunc titulum usurpare, taleque officium exercere præsumeret, ut legitur in Codice *de Judæis*.

Q. *Quot, & qui sunt Apostoli Christianæ legis?*

R. Cum Jesus discipulos suos convocasset, selegit *duodecim* ex ipsis, quos & *Apostolos* nominavit; id est, legatos suos primarios, quos cum plena auctoritate, & potestate misit per totum orbem, ut Evangelium suum annunciarent omnibus gentibus.

Horum nomina sunt hæc. Primus *Simon*, qui dicitur *Petrus*, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Judas Iscariotes, *qui & tradidit eum*, Matth. x. hic autem cum laqueo sibi vitam præcidisset, ejus loco substitutus est Matthias.

Q. *Numquid alii discipuli etiam Apostoli fuerunt?*

R. Eo nomine Christus eos non appellavit, licet a veteribus nonnullis subinde ita nuncupentur, legati scilicet Christi, cum revera tales fuerint, sed cum minore potestate, utpote subjecti, & subordinati duodecim Apostolis, quos Christus *Principes Ecclesiæ suæ* constituit, qui omnes fideles tam Martyres, quam Confessores, & Virgines, uti officio, & dignitate, sic & gratia, & sanctitate præcellerent: super ipsos enim fundavit Ecclesiam; ut patet, Ephes. cap. 2. v. 20. & Apocalyp. cap. 21. v. 14. ubi civitas Dei, id est Ecclesia, dicitur habere *fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum*.

Q. *Cur Christus duodecim Apostolos elegit, & non plures?*

R. Præcise Christus duodecim elegit, nec plures, nec pauciores, ut ipsi responderent duodecim Patriarchis, qui fuere filii Jacob. Sicut enim hi Judæorum, sic Apostoli Christianorum omnium fuere parentes.

Sanctus Thomas *in Catena* alia hujus numeri mysteria affert ex Rabano: *Duodenarius*, inquit, *consurgens ex ternario, & quaternario*, in se ductis & multiplicatis, *significat eos prædicaturos Trinitatis fidem per quatuor mundi partes:* significatus *in duodecim filiis Jacob: duodecim principibus filiorum Israel: duodecim fontibus Helim: duodecim lapidibus Rationalis: duodecim panibus propositionis; duodecim exploratoribus: duodecim lapidibus, unde factum est Altare: duodecim lapidibus sublatis ex Jordane: duodecim bobus sustinentibus mare æneum: duodecim stellis in corona sponsæ*, de quibus in Apocalypsi: *duodecim fundamentis civitatis: duodecim portis &c.*

Q. *Quæ fuit in Ecclesia Apostolorum potestas?*

R. Eorum potestas maxima fuit, ac longe major quam sit Episcopotum. Apostoli enim edocti, & missi sunt *immediate* a Christo Domino, quasi Christi *legati a latere*, cum absoluta potestate per totum orbem, & cum summa auctoritate in totam Ecclesiam, ut scilicet ubique possent, *Primo* prædicare Evangelium, idque dono linguarum, & miraculis firmare, æque ac conscribere. Apostoli enim habebant potestatem scribendi libros Canonicos, uti de facto Matthæus, & Joannes scripsere Evangelia, Epistolas Canonicas, & Apocalypsim.

Secundo, ut possent ubique fundare Ecclesias, ac pascere, & regere fideles omnes ubivis gentium.

Tertio, ut possent instituere, & ordinare Sacerdotes, & Episcopos, totumque Ordinem Hierarchicum; cæremonias etiam sacrificii Eucharistiæ, & Sacramentorum omnium.

Adverte, *inquit* Cornelius a Lapide, in hac triplici potestate, Apostoli pa-

res,

res, & æquales erant inter se, & cum Sancto Petro; ei tamen suberant quasi Capiti & superiori suo: unde Petrus inter eos semper ponitur, & nominatur *primus*.

Q. *Cur Evangelistæ* primum *Petrum nominant*?

R. Ad denotandum ejus primatum, & supremam ejus super omnes auctoritatem. Hæretici ut tollant primatum Petri, & Romanorum Pontificum illi succedentium, putarunt mendose legi in Evangelio Matthæi to *primus*, ideoque vocabulum hoc esse expungendum, sed constanter id legunt Codices omnes Latini, & Græci, *quod bene advertendum est*. Non enim credibile est, locum hunc corruptum esse a Græcis, ut ipsi addiderint to *primus*, cum ipsi sint schismatici, negentque Petri primatum; unde potius expunxissent, si id honeste facere potuissent.

Denique ubi Apostolorum nomina recensentur, semper *Petrus* ponitur primus, & *Judas* ultimus, cum in cæterorum ordine discrepent & varient, ut patet Marci 3. Luc. 6. Act. 1.

Petrus ergo vocatur Apostolorum *primus*, non *ætate*, quia eo senior erat Andreas; non etiam *vocatione*, quia prior eo vocatus a Christo fuit Andreas. Non etiam *dilectione*, quia præ omnibus a Christo dilectus fuit Joannes; ideoque in ultima cęna ipse in pectore Christi recubuit.

Superest ergo, ut Petrus Apostolorum sit *primus* excellentia, & auctoritate, quia scilicet fuit eorum Caput, Superior, & Rector, qui poterat eis præcipere, eosque corrigere, si in aliquo errarent, lites dirimere eorum, provincias dividere; eis, si laberentur, alios substituere, uti Judæ proditori substituit Matthiam, Act. 1.

Q. *Hæc subordinatio Apostolorum ad Petrum eratne necessaria? seu conveniebatne constituere supremum aliquod caput in Ecclesia*?

R. Non solum conveniebat, sed necessarium erat, ut omnes, Apostoli, Episcopi, & fideles uni capiti subessent, ad unionem, concordiam, stabilitatem, & bonum regimen Ecclesiæ, ut docet Sanctus Cyprianus, libro de Unitate Ecclesiæ: *Primatus*, inquit, *Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur*.

Hinc solus inter Apostolos Petrus habuit potestatem ordinariam, cui proinde in illa succedunt Romani Pontifices. Romæ enim Pontificiam sedem statuit Beatus Petrus, in eaque sedit, & Martyr occubuit &c.

Alii vero Apostoli potestatem delegatam a Christo habuerunt, quibus proinde nemo in eadem successit.

Q. *Episcopi cum sint Apostolorum successores, cur eadem potestate ac ipsi Apostoli non gaudent*?

R. Si Episcopi dicantur Apostolis successisse, hoc tantum dicitur *analogice*, & per quamdam accommodationem, quia scilicet Episcopi ab Apostolis participant ordinem, & jurisdictionem Episcopalem: & quia Episcopi similiter eminent aliis Sacerdotibus, sicut duodecim Apostoli septuaginta duobus discipulis: alioqui Episcopi carent potestate Apostolica, illaque triplici, quam assignavimus: atque Episcoporum potestas non nisi ad ipsorum Diæceses extenditur; Apostolorum vero ad omnes gentes toto orbe dispersas.

Q. *Cur Christus Apostolos, & discipulos binos misit ad prædicandum*?

R. Ex Matthæo habetur, Christum sex paria Apostolorum, item sex & triginta paria discipulorum constituisse, *Petro* enim associavit Andream, *Jacobo* Joannem, *Philippo* Bartholomæum, *Matthæo*, Thomam, *Jacobo Minori* Judam, *Simoni* Judam Iscariotem, & sic de discipulis disposuit. Hoc fecit, ut mutuam sibi opem, & auxilium ferrent, & alter alterius gesta spectaret, quo inimicorum Christi, & invidorum ora obstruerentur.

Q. *Quare tria paria fratrum ad Apostolatum evexit?*

R. Reipsa inter Apostolos trinum par fratrum elegit, Petrum & Andream, Jacobum & Joannem, Jacobum Minorem, & Judam, ut doceret quam sibi gratus sit amor fratrum, juxta illud: *In tribus placitum est spiritui meo, quæ probata coram Deo, & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum; & vir, & mulier sibi consentientes*, Eccles. cap. 25. v. 1. Item: *Frater qui adjuvatur a fratre, civitas firma*, Prov. cap. 18. v. 19.

Q. *Qua ratione suos consanguineos in Apostolos elegit?*

R. Si Christus cognatos & consobrinos, ut Jacobum, & Joannem, Jacobum Minorem, & Judam, Apostolos elegit, hoc certe non fecit ut essent Principes opulenti, & lauti, sed ad labores, paupertatem, cruces, aculeos, & martyria.

Unde eis dedit *copiam bonorum*, non temporalium, *sed spiritualium*, uti charitatis ordo exigit, juxta quam parentibus, & cognatis majorem, quam aliis, gratiam, & sanctitatem optare, & curare oportet.

Ipsos ergo elegit, quia decebat, ut Verbum carnem assumens, eos qui sibi carne magis erant conjuncti, magis quoque Divinitati suæ per gratiam uniret. Cum ergo Jacobus, & Joannes, Jacobus Minor & Judas, magis per cognationem carnis fuerint vicini humanitati Christi, *erant enim cognati, & consobrini ejus*, docuit ut etiam divinitati ejusdem per gratiam fierent conjunctiores: sicut caro, & humanitas Christi divinitati fuit conjunctissima, imo unita hypostatice.

Igitur in Christo hic nullum fuit vitium acceptationis personarum, uti est in quibusdam Prælatis, qui, præter fas, nepotes, & cognatos dignitatibus, præbendis, & opibus enerant verius, quam honorant.

Q. *Sciens Jesus Judam Iscariotem suum proditorem futurum, cur eum Apostolum elegit?*

R. Ipsum elegit, quantumvis proditorem sciret, quia proditionem ejus pati volebat, illamque addere ad cumulum passionis suæ; quia volebat illam esse plenissimam in omni genere; ideoque voluit pati quoque a discipulis, & prodi a suo Juda. Voluit enim pati omne genus tormentorum, & ab omni hominum genere: tum ut doceret nos, non tantum bonis, & gratis, sed & malis, & ingratis benefacere.

Audiatur Sanctus Ambrosius: *Eligitur Judas non per imprudentiam, sed per providentiam*; scilicet, *ab eo prodi voluit Christus, ut tu, si a socio desertus, si a socio proditus fueris*, moderate feras tuum errasse judicium, periisse beneficium, Lib. 5. in Lucam.

Q. *Quodnam est symbolum ab Apostolis* confectum?

R. Sequens, duodecim Articulis distinctum, nempe.

1. Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cęli, & terræ.
2. Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum.
3. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.
4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.
5. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.
5. Ascendit ad cęlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.
7. Inde venturus est judicare vivos, & mortuos.
8. Credo in Spiritum Sanctum.
9. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem.
10. Remissionem peccatorum.
11. Carnis resurrectionem.
12. Vitam æternam.

Amen.

DE
APOSTOLIS SIGILLATIM
Secundum ordinem, quo a S. Mathæo nominantur.

I.

De Sancto Petro.

S. Petrus Princeps Apostolorum, Bethsaidæ oriundus, filius Joannis *Jonæ*, & S. Andreæ germanus, *Simon* vocabatur. Ædes habebat in Capharnaum, ad lacum Genesareth, ubi uxor, & socrus ipsius morabantur. Cum assumptus esset ad Apostolatum, Jesus nomen ejus mutavit, dicens: *Cephas in posterum*, id est, *Petra* appellaberis.

Evangelistæ in recensendis Apostolis, *Petrum* semper ordine *primum* nominant.

Cum Jesus quæsivisset ab Apostolis quidnam de se homines sentirent, variosque vulgi sermones referentes audisset, Petrus ait: *Tu es Christus filius Dei vivi*. Hanc confessionem, tanquam a Deo Patre revelatam, Christus subito compensavit, dicens illi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlis &c.*

Post aliquod tempus, Jesus Petro significavit, insidias ipsi, uti & cæteris Apostolis a Satana imminere; rogasse tamen, ne unquam ipse a fide deficeret; monere proinde ut cum resipuisset, nutantes fratres ipse firmaret.

Requisitus ter a Christo, num præ cæteris discipulis ipsum diligeret, tertioque respondisset: *Tu scis Domine, quia amo te*. Tunc Jesus supremum caput, & Ecclesiæ suæ universalis rectorem, & pastorem constituit, ter dicens ei: *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oves meas*, Joan. 21.

Antiochenam Ecclesiam eo veniens fundavit, eamque, ut ejus primus Episcopus, septennio gubernasse traditur, interrupte tamen, & diversis annis.

Eo interim temporis spatio, Jerosolymam, & provincias Asiæ Minoris, Bithyniæ, Cappadociæ, & Ponti excurrit, ut ex Epistola ad fideles illarum regionum, succedente tempore data, intelligimus.

Inde suffecto, ut narrant, in Episcopatu *Sancto Ignatio*, Romam migravit, anno secundo *Imperii Tiberii Cæsaris*, Romanamque Ecclesiam rexisse per viginti quinque annos, in eadem Ecclesia receptum est.

Narrat S. Ambrosius, *Serm. 68.* Apostolum Petrum, *victo Simone Mago*, qui præstigiis suis populos seducere conabatur, ea de re Ethnicorum invidiam in se concitasse, a quibus in necem quæsitum, ut eorum furori se se subduceret, *cogentibus fratribus*, Roma secessisse.

Cum igitur ad portas urbis jam pervenisset, Christum Jesum obvium habuit; illum vero, quonam tenderet, interrogans, respondentem audiit: *Vado Romam iterum crucifigi*. Horum verborum sensum Petrus assecutus, mortem.

tem sibi pro Dei gloria obeundam intellexit. Quare regressus ad fratres, visionem narravit: mox vero ab Ethnicis comprehensus, post toleratum novem mensibus carcerem, tandem crucis supplicio, in Via Ostiensi sublatus est, die 29. Junii, eadem die, & loco quo Sanctus Paulus capite truncatus interiit.

Ferunt, capite in terram obverso in supplicium elatum fuisse, quod ultro ipse a tortoribus petierat, cum ne Jesu Christi gloriam, *ut ait S. Ambrosius*, affectare videretur, tum ut supplicii cruciatus augeretur.

Ejus Apostoli cadaver primo ad Catacumbas, secundo ab urbe lapide, illatum; deinde in *Vaticanum* translatum ferunt, ubi perpetuo mansit.

Utriusque Festum *Petri, & Pauli die 29. Junii celebratur*. Obiit autem anno Æræ 66. post administratum Romanum Episcopatum viginti quinque annis, ut supra jam dictum est, ætatis suæ 76. Successorem habuisse S. Linum, vulgo creditur.

„ Oris illius habitum ex veteri imagine desumptum ita Nicephorus *Lib. 2. cap.* 37. depingit. Corpore erat non crasso quidem, sed procero, rectoque; ore albenti, ad pallorem inclinato. Coma, & barba densa, crispanti, atque breviori. Oculis nigrescentibus, maculis quibusdam sanguineis aspersis, quibus alta supercilia, & prominens frons imminebant. Naso vero oblongo, simo potius quam acuto.

Duas scripsit Epistolas Canonicas ad Fideles Bithyniæ, Galatiæ, Cappadociæ &c.

Conjugio copulatum fuisse hunc Apostolum, supra jam insinuavimus. Post obtentum vero Apostolatum, a conjugio prorsus abstinuisse, uxoremque suam sororis tantum loco habuisse, Patres testantur.

Sunt etiam, qui credant hanc fœminam, uti & cæteras aliorum quorumdam Apostolorum, viris suis in itineribus, & prædicationibus comites adhæsisse, necessaria ministraturas, aliasque fœminas rebus fidei instituentes.

De uxore Petri memoriæ traditum est, martyrio vitam consummasse, cui inter supplicia animum adjecisse Apostolum perhibent, his verbis: *Mulier Domini recordare*.

Ferunt etiam, natam ex his conjugibus filiam, nomine *Petronillam*, sive *Petrinam*, cujus nomen in quibusdam Martyrologiis die 31. Maii legitur. S. Clemens Alexandrinus, & S. Epiphanius duas Apostolo filias tribuunt. Consule Bollandistas ad 31. Maii.

II.

De Sancto Andrea.

Andreas, Bethsaidæ oriundus, & frater S. Petri, primo S. Joannis Baptistæ, deinde audito de Jesu Christo testimonio, quod Joannes tulerat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, eidem Jesu adhæsit, & fratrem quoque suum ad eumdem perduxit.

Primus fuit discipulorum, qui Christum sequerentur, deinde Petrus. Cum ambo in mari Gallilææ piscarentur, præteriens Christus ambos vocavit his verbis: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*. Quare illi continuo, relictis retibus, *secuti sunt eum*.

Scythiam prædicationibus suis excurrit, quin etiam Græciam, Epirum, & Achajam peragravit; in quibus provinciis, doctrina, & miraculis, innumerabiles homines ad Christum convertit. Ecclesiam Bizantinam, sive Constantinopolitanam fundasse, nonnulli Græci autumant. Acta Martyrii hujus Apostoli, quæ vetustissima sunt, ejus Martyrium Patris in Achaja consignant; quod in cruce consummasse, sub Egea Provinciæ Proconsule, tradunt.

Cum a longe crucem sibi præparatam

tam conspexisset, exclamare cœpit: *O bona crux, diu desiderata... accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo &c.* In eadem biduo vivus pendens, Christi fidem prædicare non intermisit. Tempus mortis ejus præcise ignoratur. Græci tamen, & Latini memoriam ejus die 30. Novembris recolunt.

Corpus ejus *Patris* tamdiu requievit, donec Constantinopolim, sub *Constantino Imperatore*, translatum est, ubi pluribus miraculis coruscavit.

In templo Sancti Victoris Massiliæ, *Crux* asservatur, in qua Sanctus Andreas Martyrium consummasse fertur. Hæc in theca argentea inclusa, formam exhibet crucis nihilo a reliquis diversæ.

Ex quo igitur pictores morem desumpserint pingendæ crucis S. Andreæ ad formam X. ignoratur.

III.

De Sancto Jacobo Majore.

S. Jacobus, cognomento *Major*, ad distinctionem alterius, cognomine *Minoris*, scilicet ætate, fratrem habuit S. Joannem Evangelistam, & parentes Zebedæum, ac Salomem, patriam Bethsaidem in qua piscatoriam artem cum patre ambo exercebant.

Cum mater eorum, quæ Christum in itineribus, cum aliis fœminis, comitabatur, ipsum rogasset, ut duos filios, Jacobum, & Joannem *ad dexteram suam in Regno suo statueret*, responsum accepit, has honoris sedes distribuendas Patri, non sibi reservari.

Is unus fuit, quem Salvator testem esse voluit suæ Transfigurationis. Evangelium annunciavit per Judæam & Samariam. Herodes Agrippa, *Claudio Imperatore*, ad regnum elatus, ut Judæorum gratiam iniret, Jacobum in carcerem detrusit, & capitis condemnavit.

S. Clemens Alexandrinus, apud Eusebium *Lib. 2. cap. 9.* tradit virum illum, qui S. Jacobum ad judicem adduxerat, cum fortiter eum Martyrium subeuntem vidisset, statim se & ipsum Christianum esse professum fuisse.

Ad supplicium cum ambo ducerentur, vir ille ab Apostolo veniam exoravit, qui aliquandiu apud se reputabat, num tanquam fratrem habiturus esset hominem, nondum Baptismate initiatum: subito tamen, *dubitatione excussa*, supplicem amplexatus, *pax*, inquit, *tibi sit*. Deinde ambo capite obtruncati sunt Jerosolimis circa festum Paschæ.

Primus Apostolorum, qui profuso sanguine testimonium Jesu Christo dedit, fuit S. Jacobus. Festum ejus die 30. Aprilis apud Græcos, & 25. Julii apud Latinos celebratur. S. Jacobum, & S. Joannem fratres, virginitatis florem illibatum servasse, crines intonsos gestasse, a balneis abstinuisse, unica tunica, atque lineo pallio uti consuevisse, ac tandem a piscibus, & carnibus sese continuisse, S. Epiphanius, *Hæres. 54. cap. 4.* est Auctor.

Hispani tanquam primum suarum regionum Apostolum S. Jacobum agnoscunt, cujus corpus non diu post mortem Compostellam translatum fuisse tradunt, ubi summa religione colitur.

IV.

De S. Joanne Evangelista.

IS Frater germanus S. Jacobi Majoris fuit, ex iisdem parentibus natus, Hos Christus *Boanerges*, seu tonitrui filios, quod fervida nimis fide pollerent, appellavit. Requisierant enim a Christo, quem Samaritani ex urbe sua excluserant, an vellet ignem e cœlo deducerent; At Christus eorum zelum repressit, dicens, *nescire ipsos, quo spiritu animarentur*, sive animari debuisset.

Joan-

Joannes omnibus Apostolis *junior* creditur, qui ætatis suæ, anno circiter vigesimo sexto, Christo Domino adhæsit.

An ille fuerit sponsus nuptiarum in Cana Gallileæ, difficultate non caret. Integerrimæ tamen virginitatis florem nunquam læsisse, validioribus fulcitur argumentis.

A Christo *præ cæteris Discipulis* dilectus fuit; ut ipse pluries de seipso fatetur, & scribit. Cujus utique præcipui amoris argumenta ipsi præbuit Jesus, cum eum ad suæ Transfigurationis voluptatem percipiendam elegit, eique super pectus suum in ultima cœna recumbenti, sui proditorem aperuit.

Cum ad Crucem usque se prosequutum Dominus respexisset, eum Mariæ matris suæ filium, Matremque suam ejus matrem constituit.

Interroganti Petro, quid esset Joanni eventurum; cum respondisset Christus: *Si eum volo sic manere, quid ad te?* Discipuli omnes, Joannem fore a morte immunem vulgaverunt, cui sententiæ, non modo tunc fideles, sed etiam multo post plurimi adhæsere. Hanc opinionem Joannes ipse a se omnino repellit, dicens: *Non dixit Jesus non moritur &c.* Ultra quam quod validioribus Ecclesiæ monumentis adversetur.

Samariam profectus una cum Petro, Sacramentum Confirmationis administravit iis, quos Philippus Diaconus Baptismo abluerat.

Adfuit Concilio Jerosolimitano, & postmodum ad parthos se contulit, & ad indos, quibus Evangelium prædicavit Diu Ephesi commoratus est, quo *Maria Virgo*, & Maria Magdalena, si quibusdam modernis Criticis fidem adlubere licet, ab ipso Joanne deductæ; ibi quoque e vivis demigrarunt. Quo anno se eo contulerint; circa annum Christi 66. incertum est probabile est.

S. Hieronymus, relatus in Breviario Romano; in lectionibus secundi Nocturni, festi S. Joannis dicit, præfatum Sanctum *omnes fundasse, rexisseque Ecclesias Asiæ*; quod tamen ita strictim accipi nolumus, ut & plures, Asiæ Ecclesias, a *Petro, & Paulo* conditas, & Sanctum Timotheum, eam Provinciam *adhuc Joanne incolente*, Ephesi Ecclesiam administrasse non fateamur.

Sub Domitiano Fideles insectante, Joannes Epheso proscriptus, & Romam ductus, ibique in ferventi oleo demersus, incolumis evasit. In Pathmos Maris Ægæi insula inde exulavit, ubi Apocalypsim conscripsit.

Anno deinde 96. interfecto Domitiano, & Actis ejus, *ob nimiam crudelitatem*, a Senatu rescissis, sub *Nerva* Principe omnibus exulibus restitutis, Joannes Ephesum reversus est, anno Christi 97. cum tunc ipse natus esset annos fere 90.

Cum autem ab Asiæ Fidelibus, & Episcopis exire rogaretur, ut de iis, quæ de Domino Jesu vel viderat, vel audierat, Evangelium conficeret; Jejuniis primo, & precibus publicis indictis, rogantibus indulsit; ea præsertim referens, quæ adversus quosdam hæreticos, Christum Deum esse negantes, ejus Divinitatem quam maxime comprobarent.

Ultra Evangelium, tres scripsit Epistolas, quas Ecclesia inter Canonicas reposuit. Prima ad *Parthos* inscribitur. Secunda ad Matronam quamdam nomine *Electam*, ni forte hoc nomen fuerit symbolice adhibitum, ad Ecclesiam alteri Ecclesiæ litteras dantem, contegendam. Tertia *ad Cajum*, hospitio Fidelibus excipiendis vacantem, in qua ipsum hortatur, ne ab incœptis resiliret, maxime enim ita iis conferret; qui ab infidelium hospitio abhorrebant.

Senio tandem confectus, anno ætatis suæ 99. seu ut aliqui scribunt, etiam 104. prope Ephesum, tumulo exceptus

ceptus est, ubi Patrum plurimi ejus sepulchrum agnovere.

Ephesinum Concilium eamdem urbem idcirco commendat, quod S. Joannis ossibus ditaretur.

Auream laminam in fronte Joannem gestasse, ut Christi Sacerdotem, & Apostolum, refert Polycrates Ephesi Episcopus.

Calice etiam in manibus, ex quo serpens egreditur, a pictoribus exhibetur, quia nempe, cum Hæretici quidam venenum ei hauriendum obtulissent, Crucis signo vase fracto, venenum serpentis imagine illico exfugerit. Hujus rei mentionem facit *Pseudo-Prochorus*; quo se Joannis Discipulum appellat.

V.

De Sancto Philippo.

HIc Apostolus *Bethsaidæ* in Gallilæa oriundus, matrimonio junctus fuit, pluresque filias habuit, ut testatur Eusebius, *Lib.* 3. *Hist. Ecclesiast. cap.* 31.

A Christo invitatus, subito ei adhæsit, & paulo post *Nathanaelem* nactus, Messiam se a Prophetis annunciatum deprehendisse in Jesu. Filio Josephi, Nazareno aperuit. Cum *Nathanael* mirum sibi videri dixisset, *si boni aliquid e Nazareth prodiisset*, Philippus eum ad Christum conduxit, & ambo ei adhæserunt.

Quantum vero Christus eum familiariter adhiberet, illud facile declarat, quod Gentiles quidam, Salvatorem videre cupientes, ad Philippum accesserunt: & Dominus cum in solitudine quinque millia hominum pascere vellet, sic Philippum affatus est: *Unde ememus panes, ut manducent hi*? Respondit Philippus, *ducentorum denariorum summam imparem futuram*.

In ultima cœna, idem Apostolus Jesum rogavit, ut votis omnium explendis, Patrem suum videndi omnibus liberam potestatem faceret: *Domine ostende nobis Patrem*. Cui Jesus, qui Filium intuetur, perinde est ac si Patrem aspiciat. *Qui videt me, videt & Patrem.*

In utraque Phrygia Christi Evangelium annunciavit, & omnem fere illam gentem ad fidem convertit. Postremo cum *Hierapolim Phrygiæ* venisset, pro Christi nomine cruci affixus, lapidibusque obrutus est, Kalendis Maii. Ejus corpus ibidem a Christianis sepultum, postea Romam delatum in Basilica duodecim Apostolorum, una cum corpore Beati Jacobi Apostoli conditum est.

Obiit 87. annorum ætate grandævus, sub *Domitiano*.

Duo ejus filiæ, quæ perpetuam virginitatem coluerant, una cum patre, *Hierapoli* sepultæ fuerunt, ut testatur Polycrates Episcopus Ephesinus, apud Eusebium *Lib.* 3. *Hist. Eccles. cap.* 31. De altera Filia ejusdem Apostoli, fœmina sanctissima, cujus sepulchrum Ephesi visebatur, apud eumdem mentio incidit. Hæc fortasse conjugio copulata erat, & probabiliter ea est, quam Græci Sanctam *Hermionem* appellantes, atque filiam Sancti Philippi, & Ephesi sepultam testantes, venerantur.

VI.

De Sancto Bartholomæo.

BArtholomæus Gallilæus erat, ut & cæteri Apostoli. Patria tamen latet.

Indis Jesu-Christi Evangelium prædicavit. Fertur Evangelium Matthæi Hebraice exaratum illuc transtulisse, quod centum post annos a D. Panteno repertum est.

Sunt qui populis Felicis Arabiæ, & Persiæ Verbum Dei prædicasse opinantur,

tur, quod facile credibile est, cum ad Indos progrediens, eas regiones peragrare potuerit.

Cum plurimos ad Christum convertisset, multos labores, calamitatesque perpessus, venit in Majorem Armeniam, ibique *Polimium Regem*, *& conjugem ejus*, ac præterea duodecim civitates ad Christianam fidem perduxit.

At *Astyages* Polimii Regis *frater*, ab Ethnicis Sacerdotibus concitatus, vivo Bartholomæo pellem crudeliter detrahi jussit, ac caput abscindi; quo in martyrio animam Deo reddidit. Ejus Corpus Albani, quæ est urbs Majoris Armeniæ, ubi is passus fuerat, sepultum est, inde Beneventum, & tandem Romam translatum est.

Aliqui putant Bartholomæum ipsum esse *Nathanaelem*, quod probat.

1. Quia Bartholomæi vocatio, si Nathanaelis non sit, nullibi describitur.

2. Evangelistæ, qui Bartholomæi, Nathanaelis minime meminere, & S. Joannes, qui Nathanaelem nominat, Bartholomæum silet.

3. *Bartholomæi* nomen proprium minime est, tantummodo enim *Filium Ptolomæi* significat; præterquam quod Bartholomæus forte *Nathanael* appellabatur.

4. Denique S. Joannes recensere videtur Nathanaelem inter Apostolos, *Joann.* 21. &c.

Olim S. Bartholomæo quoddam falsum Evangelium adscriptum est, quod inter Apocrypha recensuit Gelasius Papa.

Sanctus Bernardus, & Rupertus Abbas, eum fuisse sponsum nuptiarum Canæ Gallilææ arbitrantur.

VII.

De Sancto Thoma.

S. Thomas, qui alio nomine dicitur *Didymus*, e Gallilæa, sicut & alii Apostoli, originem traxit. Quo in loco natus sit, in obscuro est. Tribus prædicationis annis Jesu-Christo socius adhæsit.

Post Resurrectionem, Jesus-Christus cum Apostolis spectandum se, *absente Thoma*, præbuisset, fratribus id ipsi nunciantibus, fidem eis adhibere renuit. Quare Jesus post dies octo, iterum Apostolis apparens, Thomæ tangendum, & videndum se præbuit: qui sine hæsitatione, & illico exclamavit: *Dominus meus*, *& Deus meus*. Tunc Jesus, *quia vidisti*, ait, *credidisti*: *Beati qui non viderunt*, *& crediderunt*.

Accepto Spiritu Sancto, cum ei, in Orbis inter Apostolos distributione, Regio Parthorum obtigisset, Christi Evangelium non Parthis tantum, sed & Medis, Persis, Hircanis, Bactris, & Caramanis prædicavit. Illas omnes provincias, & alias, imperium Parthorum constituentes, excurrit, imo & provinciam Magorum, qui Christi incunabula adoraverant, quos Baptismo initiatos, prædicandi Evangelii muneri addixit.

Patres bene multi docent eumdem Apostolum ad Indos usque pervasisse, sicut & alii in Æthiopiam.

Locus Martyrii *Calamina* in India designatur: ubi cum multos ad Christi Fidem convertisset, illius gentis Rex, Idolorum cultor, ira accensus, mortis sententiam in eum tulit.

Telis confossus, Apostolatus honorem Martyrii corona decoravit.

Sunt apud Indos Christiani, qui S. Thomæ dicuntur, ut pote qui institutos se ab Apostolo credant.

VIII.

VIII.

De S. Matthæo.

S. Matthæus Apostolus, & Evangelista, filius *Alphæi*, Galilæa oriundus, Religione Judæus, arte *Publicanus*, id est, publicæ pecuniæ, seu vectigalium exactor. Cum ad Telonium sederet, a Christo vocatus, statim se cutus est ipsum, quin etiam cum reliquis Discipulis convivio excepit.

Antequam in provinciam proficisceretur, quæ ei ad prædicandum contigerat, primus in Judæa Evangelium Jesu-Christi *Hebraice* scripsit. In Æthiopiam profectus, Jesu-Christi doctrinam gentes illas edocuit, quam plurimis miraculis confirmavit.

Regis filiam cum a mortuis excitasset, Regem ipsum, & uxorem ad Fidem convertit, cum universa provincia. Verum defuncto Rege, *Hirtacus ejus successor*, cum *Iphigeniam* Virginitatem suam, Deo *per votum*, opera S. Matthæi, consecrasse intellexisset, ira incensus, eum ad Altare Mysterium celebrantem jussit occidi. Nec in fœminam mitior fuit, ignem in domum illius injiciendum præcipiens.

Verum flante Divinitus vento, flammæ e domo fœminæ remotæ, in Hirtaci Ædes delatæ sunt, quas statim absumpserunt.

Clemens Alexandrinus perhibet, solis illum oleribus, & leguminibus, omni interdicto carnium usu, victitasse.

Festum illius die 21. Septembris celebratur. Corpus Salernum ex Æthiopia translatum sub Gregorio VII. magna ibidem pietate colitur.

IX.

De Sancto Jacobo Minore.

S. Jacobus Minor, frater Domini, cognomento *justus*, leges Nazaræatus observavit ab ineunte ætate, nec vini quidquam, nec alterius, quod inebriare posset, degustando. Nunquam tonsus est, nec balneo usus, neque in cibum quidquam adhibuit, quod vitam haberet. Cum oraret, adeo crebro in terram prosternebatur, ut genua camelorum instar obduruerint.

Cum Jesus Cœlum ascendisset, Apostoli eum Jerosolimorum Episcopum crearunt. Tanta erat Jacobi vitæ sanctitas, ut fimbriam vestimenti ejus certatim homines cuperent attingere.

Evangelii longe, lateque progressus, Judæorum optimatum invidiam excitavit; quare *Ananus Filius illius Annæ Summi Sacerdotis*, necem S. Jacobi Molitus est. Lapidibus primum appetitur: mox in altissimum Templi locum adductus, indde præcipitatus est. Ille ex lapsu adhuc superstes, fractis Crucibus, pro inimicis suis preces fudit, donec jussu Anani *fullonis fuste*, capite confracto, animam efflavit.

Sepulturæ mandatus est juxta Templum, ubi præcipitatus fuerat.

Unam scripsit Epistolam, quæ de Catholicis est, in qua bonorum operum necessitas adstruitur: vixit nonaginta sex annis, & per triginta Ecclesiam Jerosolimitanam Sanctissime gubernavit.

X.

Sancto Thadæo.

THadæus cognomen adjectum S. Judæ Apostolo. Ingrati nominis, Judæ traditoris nempe, evitandi causa,

sa, interdum suppresso nomine Judæ, *Thadæus* tantum appellatur.

Post Ascensionem, Edessam ad *Regem Abagarum* missus fuit. Ad Libiæ populos Judam, seu Thadæum conciones habuisse refert S. Paulinus. Ultra Edessam, omnis Mesopotamia, Judæa, Samaria, Idumæa, Syria, & Armenia præsertim, & Persia eum Evangelii præconem audivere.

Ejus Canonica Epistola extat, quam ipse nulli peculiari Ecclesiæ, sed omnibus Fidelibus a Deo Patre dilectis, & a Christo Domino vocatis inscribit.

Cum Fidem in vastissimis supra nominatis regionibus, & efferatis gentibus disseminasset, sagittis confossus, glorioso martyrio Sanctissimum Jesu-Christi nomen illustravit, in Arara, urbe Armeniæ, juxta Græcos, in Persia tamen peremptum esse, & ibidem conditum, referunt quam plures Patres Latini.

XI.

De Sancto Simone.

S. Simon Chananæus, qui & *Zelotes* dicitur, Apostolus Jesu Christi, Ægyptum, *juxta Nicephorum*, Cyrenaicam, & Africam peragravit. Recentiores Græci testantur insuper annunciatam ejus opera Fidem, non sine prodigiorum apparatu, in *Mauritania*, *Lybia*, & *Insulis Britannicis*: & tandem tot laborum coronam, fortiter tolerato Crucis martirio, retulisse. Gesta illius omnia, uti & prædicationis, atque obitus locus ignorantur.

Ecclesia Latina diem festum ejus celebrat, una cum Sancto Juda Thadæo die 28. Octobris.

Cum loco Judæ proditoris suflectus fuerit S. Matthias, de ipso pauca dicemus.

XII.

De Sancto Matthia.

S. Matthias, primo inter Discipulos Salvatoris, dein ad Apostoli munus adscitus est.

Post Ascensionem Domini, cum Apostoli Jerosolymis convenissent, Petrus coactos simul omnes fratres, numero 120. allocutus est, ostendens oportere virum seligere, qui in locum Judæ sufficeretur.

Joseph Barsabas, cognomento *justus*, & Matthias ab universo cœtu selecti sunt. Quare post fusas ad Deum preces, jactæ sortes super *Matthiam* ceciderunt, statimque ille inter Apostolos cooptatus est.

Post Pentecostem, Palestinam illi obtigisse ferunt nonnulli, quam universam prædicationibus & miraculis obivit.

Trigesimo tertio a Passione Domini anno, cum Anani junioris opera S. Jacobus Minor Jerosolymæ sublatus fuisset, ante illum S. Matthias, Galilæam tunc temporis lustrans, adductus est; cumque in confessione Fidei firmus persisteret, capitali sententia damnatus, lapidibus primum oppressus, dein capite obtruncatus est.

Ejus Sancti Reliquiæ Romæ extare creduntur. Verum insignis Abbatia S. Matthiæ juxta Trevirim, apud se servari gloriatur.

Festum ad diem nonam Augusti apud Græcos, ad 24. Februarii apud Latinos consignatur.

De Juda proditore, cum nullam partem habuerit in confectione Symboli Apostolici, nihil hic de ipso dicendum melius judicavimus. Hoc scitur ex Evangelio, quod cum esset depositarius eleemosinarum, quibus Jesus-Christus, & cæteri Apostoli donabantur, adeo se ad prava deflexerit, ut inimicis, a quibus

bus erat interimendus, Dominum suum modico prætio vendiderit, & postea sibi mortem, polore, & desperatione præfocatus, intulerit.

Veritates igitur Fidei catholicæ in hoc Symbolo Apostolico contentas, clare, breviterque enodandas, & explicandas suscipimus, in gratiam Juniorum Ecclesiasticorum, & Religiosorum.

MONITIO.

Cum non detur Liber tam accurate impressus, quin erroribus typographicis subjaceat, maxime ob Auctorum absentiam, ut in præsenti contigit, benignus Lector, in quæcumque errata inciderit, pro sua charitate, ea corrigere non dedignabitur.

Omnia ad majorem Dei Gloriam dicta, & scripta sint.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. Fra Lorenzo Filippi* Inquisitor Generale del Santo Officio di Padova nel Libro intitolato: *Catechismus Historico-Theologico-Dogmaticus in quo Symbolum Apostolorum, & pracipui Fidei Christiana articuli brevi clara, & facili methodo explanantur, auctore F. Ludovico Lipsin Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Convent. MS.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Giovanni Tevernini* Stampatore di Venezia, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Data li 2. Decembre 1479.

(Giovanni Emo Proc. Riff.

(Alvise Mocenigo 2°. Reff.

(

Registrato in Libro a Carte 14. al Num. 138.

Michel Angelo Marino Segr.

Adi 10. Decembre 1749.
Registrato dal Magist. Eccellentiss. contro la Bestemia.

Lauro Bartolini Seg.

CA-



CATECHISMUS HISTORICO-THEOLOGICO DOGMATICUS.

PROOEMIUM DE CATECHISMO.



Q. *Cum hujus Opusculi titulus sit*, Catechismus Theologicus, *quid hi termini significant?*

R. *Catechismus* vox græca est, derivata à *Catechizare*, quod est viva Voce instruere, quæ instructio potissimum interrogationibus, & responsionibus peragi solet. *Theologicus*, à voce item græca desumitur, sermonem de Deo, & rebus Divinis significante.

Meritò igitur Opusculum hoc nostrum, *Catechismus Theologicus* dicitur, cum in eo non nisi de Deo, rebusque cœlestibus, & ad Catholicam Religionem spectantibus tractetur, in forma *Catechismi*, hoc est per interrogationes, & responsiones, ut facilius memoriæ mandentur; Magistro, seu *Catechista* interrogante, & Discipulo, seu *Catechumeno* respondente.

Q. Qui olim Catechumeni *appellabantur?*

R. Catechumeni olim dicebantur, qui cum extra Ecclesiam essent, in illam recipi per Baptismi susceptionem desiderabant, eoque fine nomen suum dabant, & dicebantur *competentes*. Semper autem in Ecclesia fuit observatum, ut qui Christiani esse vellent, primum fierent *Catechumeni*, & satis diu instruerentur, priusquam ad Baptismi susceptionem admitterentur.

Q. Quid Catechumenis dari solitum erat loco Eucharistiæ.

R. Sanctus Augustinus *lib. 2. de peccat. meritis cap. 26.* dicit; Catechumenis dari solitum *Panem Sanctum*, qui non esset quidem Corpus Christi, tamen Sanctus erat, & signum rei Sacræ. Unde etiam *hac ratione* Catechumeni à fidelibus distinguebantur, quod & Baptismi [illegible], & Christi

corpus

corpus non acciperent: imo quod nondum intra Ecclesiam essent. Unde neque *fideles* dicebantur. Gratia interim, & Charitas, quæ nonnunquam in illis reperiebantur, ex voto Baptismi procedebant: imo in mortis articulo, si non aderat Baptismi Minister per veram contritionem cum desiderio Baptismi suscipiendi, justificari & salvari poterant.

Q. Qualis erat Missa Catechumenorum.

R. Missa Catechumenorum dicebatur illa celebrationis, seu Sacrificii pars, quæ est ab introitu usque ad Offertorium, quando Catechumeni dimittebantur. Ita Concilium Carthaginense quartum loquitur: *Nullum prohibeat Episcopus usque ad Missam Catechumenorum, nec hæreticum, nec Judæum Ecclesiam ingredi, & audire verbum Dei.* Siquidem Evangelium, & lectiones recitabantur præsentibus Catechumenis.

Audiatur Augustinus: *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenorum: post Offertorium autem, neque tempore Consecrationis, aut Communionis, Catechumenis licitum non erat interesse Livinis*, Serm. 237. de Temp.

Q. Dixisti, quod Catechizare esset viva voce instruere; Cur ergo typis tot Catechismi, in dies prodeunt?

R. Sciendum quod in principio nascentis Ecclesiæ mysteria fidei, *non scripto, sed oretenus* tradebantur, ne forte devenirent ad manus infidelium, qui, cum odio Christi cultores haberent, doctrinam illam sanctam irrisissent.

At vero post mundi conversionem, cessante scilicet illo periculo, doctrina illa christiana, *prius voce trradita*, etiam *in libris*, pro meliori custodia, *conscripta fuit*.

Q. Quandonam incæpit usus Catechismi?

R. Ab ipsamet fundatione Ecclesiæ; & hoc elicitur ex Christi verbis: *ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos & docentes eos servare omnia quæcumque dixi vobis.* Baptismo enim adjungit doctrinæ traditionem, eamque semper præmissam in Ecclesia primitiva constat ex Scripturis, & veterum historiis. --- Apostoli, ut habetur ex actibus eorum, non cessabant omni die in Templo, & circa domos, docentes, & evangelizantes Jesum Christum, *Act. 5. v. 42.* Imo Conciones eorum fere tantum erant *Catecheses*. Unde S. Paulus præcipit, *ut is, qui catechizatur verbo*, id est, qui doctrina christiana instruitur, *communicet* instructori suo, si is indigeat *de omnibus bonis suis* temporalibus; justum cum sit, ut qui spiritualia ministrat, temporalia recipiat, quibus vitam sustentare possit, Ad *Galat. 6. v. 6.*

Q. Christus Jesus, catechizationes ne mysteriorum etiam ipse exercuit?

R. Certissimè; luculentissimum hujus exercitationis exemplum nobis dedit, quando ex Discipulis, *Philippum*; ex viris Principibus, *Nicodemum*; inter Auditores, *Martham*, & *Samaritanam* in afflictis, suamque opem implorantibus, *Cæcum natum*; in alienigenis, *Samaritanum*, aliosque examinavit, quantosque progressus in fidei rebus fecissent, tanquam *insignis Catechista*, exploravit, & eosdem instruxit.

Q. Habuerunt Christus, & Apostoli imitatores in catechizando?

R. Indubitatum est, cum plurimorum Sanctorum Patrum extent *Catecheses*. Cyrillus Jerosolymitanus, Augustinus, Gregorius Nyssenus, & multi alii scripserunt libros *de Catechizandis rudibus.*

Eusebius refert Demetrium Episcopum Alexandrinum *Origeni* magisterium catechizandi tribuisse. Quod munus ibidem *Pantenus*, & *Clemens* ante exercuerant,

Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis, inter maxima istius Regni negotia, munus catechizandi obivit, imitatus exemplum Christi ad se parvulos invitantis. Cumque ob id aliquorum obtrectationes sustineret, qui dicebant occu-

patio-

pationem suam in rebus majoris momenti esse debere : *Nescio*, inquiebat, *si quidquam majus esse potest, quam animas ab ipsis inferorum portis eripere, & tales parvulorum animas quasi plantare & rigare, partem non indignam horti Ecclesiastici*.

Sanctus *Vincentius Dominicanus*, Sanctus *Pater noster Franciscus*, Sanctus *Carolus Borromæus* Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis, Sanctus *Ignatius* florentissimæ, & doctissimæ Societatis Jesu Fundator, multique viri insignes, & religiosi honorifico hoc vere christiano munere perfuncti sunt, & hodiedum magno cum Ecclesiæ bono in urbibus, & pagis perfunguntur; Quo fit, ut in iis locis in quibus *Societas Jesu* admissa est, videre liceat Juvenes moribus, & pietate instructos, & de iis etiam rebus, quas alibi adultiores ignorant, disserentes.

Sanctus Franciscus Xaverius, *Indiæ Apostolus*, catechizabat in navibus, in maris littoribus, per deserta loca in, viis, & oppidis, & in omni loco nullam præteriens occasionem animas Christo lucrefaciendi.

Q. Qui fructus emanant ex Catechismo?

R. Multiplices. *Primo*, Superiores satagendo ut juniores eorum subditi instruantur in rebus ad Religionem, & bonos mores pertinentibus, conscientiæ suæ satisfaciunt, cum teneantur, *vi Officii sui*, educare illos, aut per se, aut per viros idoneos *in disciplina, & correptione Domini*, Ephes. 6. Ita ut, si quis negligentia ipsorum pereat, Deus, *sanguinem ejus de manibus eorum requiret*.

Secundo, Adolescentes, ex debita in doctrina christiana instructione, *virtutem amant, vitia aversantur, legibus parent, superiorum mandatis obtemperant, modesti, pacifici, humiles, & mansueti fiunt; pura colunt simplicitate Deum, casti, & sine crimine vivunt; Religionis, & Ecclesiæ splendorem, & bonam famam augent, bonorumque operum proximo exempla præbent, & cunctos ad virtutis studium alliciunt*.

Hæc omnia præstat sancta adolescentium in doctrina christiana educatio. *Ipsa est quæ mores ad rectitudinem dirigit, & cuncta carnis vitia restringit*.

DE

DEO UNO, & TRINO.

Q. Quid est Deus?

R. cum Tyrannus quidam hoc idem quæreret a Simonide, hic deliberandi causa, sibi diem postulavit, postea biduum, & sic semper numerum dierum multiplicans, coactus causam edicere respondit; *quia quanto diutius cogito, tanto mihi res videtur obscurior*.

Et revera facilius est dicere, *quid non sit Deus, quam quid sit*; tamen pro nostro modo concipiendi, scientes proprie definiri non posse, dicimus: *Deum esse Ens omnimode infinitum, principio & fine carens, a quo sunt, conservantur, & reguntur omnia*.

Cum dicimus Deum esse infinitum, intelligimus ipsum esse summum bonum, sapientissimum, pulcherrimum, potentissimum, misericordissimum, justissimum, immensum, æternum, incomprehensibilem, &c.

Q. Quæ est nominis Dei Etymologia?

R. Nomen Dei desumitur a verbo quodam hebraico, quod significat *Esse*, quia Deus est ens omnium entium præstantissimum. Interrogatus a Moyse, *quis esset?* Respondit: *Ego sum, qui sum, & sic dices filiis Israel*: Qui est, *misit me ad vos*, Exod. 3.

Potest etiam dici Deum sic latine denominari, quia nihil ipsi *deest*, vel quia dat omnibus rebus quæcumque necessaria sunt ad sui conservationem.

Q. Fueruntne aliquando homines tam

stupidi, qui Deum esse negarent?

R. Fuerunt & adhuc sunt multi, eheu! etiam inter Christianos, *qui ore quidem Deum confitentur, sed factis negant.*

Sed an tales sint, qui revera credant & arbitrentur nullum absolute existere Deum, ut de *Andrea Aretino* in Italia, de *Spinosa* in Hollandia, & de aliis famosis atheis narratur, valde dubitatur.

Probabilius est illos fuisse *practice* atheos, id est viventes sine Deo, seu, sicut non foret Deus; non autem *speculative*, omnem divinitatem negantes. *Dixit* quidem *insipiens in corde suo, non est Deus*, *Psal.* 13. non quod Deum esse ignoraret, sed quod voluisset non esse, ut liberius mundi voluptatibus gauderet, & peccatorum suorum vindictam effugeret.

Dixit, *in corde*, quia palam dicere non ausus fuisset, quod ab omnibus agnoscitur - ideo subdit Propheta: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt*: designans atheos seu *spiritus fortes* non tam mente judicare non esse Deum, quam corde desiderare.

Q. Unde dignoscere possumus extare Deum?

R. Ex effectibus, seu ex creaturis. *Ipsa mundi machina*, ait Scotus, *Deum creatorem prædicat*. Unde *Sapientiæ* cap. 13. dicitur: *Vani sunt omnes, homines in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex:... a magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit eorum creator videri*, *Sap.* 13.

Sanctus Job ad creaturas remittebat eos qui de Dei existentia quodammodo dubitare potuissent: *Interroga jumenta & docebunt te, volatilia cœli & indicabunt tibi; loquere terræ, & tibi respondebit*. *Job* 12. *v.* 7.

Apostolus vero inexcusabiles pronunciabat eos, qui lumine naturali Deum esse non agnoscerent, & agnitum non, ut decet, colerent: *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; ita ut sint inexcusabiles*, *Rom.* 1.

Nullus certe mortalis unquam, quovis ingenii acumine præditus, sibi blanditus est, se posse cœlum cum orbibus suis, stellis, planetis, motibus, influentiis; Terram cum fluviis, plantis, arboribus, bestiis: Mare cum infinitis piscium speciebus, condere. *Præstantem* igitur aliquam naturam esse æternamque, hoc est *Deum*, pulchritudo mundi, rerum ordo cœlestium, successio æstatis & hyemis, veris & autumni *cogit fateri*; ait Cicero *lib. de Nat. deorum*.

Q. Sed numquid licebit dicere cum Atheistis, mundum hunc ex fortuito atomorum æternarum occursu conditum fuisse?

R. Hoc cogitare pura dementia est. Quis sanæ mentis palatia, domus, urbes, horologia ex fortuita atomorum connexione sibi persuadebit ortum habuisse? Homo quantumvis solertissima ratione munitus non posset fabricare hominem, cujus quot sunt membra, tot sunt prodigia.

In quo sunt 224. ossa, quæ singula, juxta Galenum, *de formatione fœtus*, habent officia supra 40. musculi plusquam 600., quorum singula habent officia decem; nervis, arteriæ & venæ plane innumerabiles &c. Unde Machabæa, filiis suis dicebat; *Non ego spiritum & animam dedi vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi; sed mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem*, 2. Machab. 7.

Idem dicendum est de aliis mundi corporibus, de cœlis, de aere, de aqua, de sole qui girat quotidie ab Oriente in Occidentem &c. Nihil igitur stultius *quam fingere hoc omne, quo neque formosius quidquam, nec dispositius, nec in proposito constantius fieri-*

pucst , fortuitum esse , & non a suprema aliqua ratione , seu a Deo ordinatum , Seneca lib. 1. quæst. nat. præf.

Q. Valet ne hoc argumentum , quo utuntur quidam Theologi ad probandam Dei existentiam : *quidquid producitur , ab alio producitur ;* implicat enim ut aliquid sit a seipso , *alias esset antequam produceretur ; ergo deveniendum est ad aliquod ens necessarium improductum , a quo sint cetera entia?*

R. Hoc argumentum certe non urget. Respondent athei illud principium, *quid quid producitur , ab alio producitur* , verum esse in temporaneis , seu in iis quæ aliquando inciperent ; non autem in æternis, seu in iis, quæ semper fuerunt , sicut atomi , seu mundus . Eadem ratione qua nos dicimus esse *ens a se , & semper extitisse*, ita ipsi dicunt mundum esse *ipsum ens improductum , necessarium & æternum* . Efficaciori igitur modo ex supradictis demonstratur Dei existentia .

Q. Debemusne etiam credere Deum esse?

R. Maxime , cum Sacra Scriptura Deum esse nobis clare proponat : *Ego sum Dominus Deus tuus* , Exod. 20. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum* , Joann. 17. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*, Rom. 6. *Fides autem Catholica hæc est , ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur* , Symb. Athan.

Quamvis igitur ratio id nobis suadeat , multo tamen certiorem , perfectioremque Dei notitiam fidei lumine consequimur; quia nulli errori obnoxia est, sicut nostra philosophia .

Q. Potest ne quis ignorare Deum esse?

R. Sciendum multiplicem esse ignorantiam : *Negativam* unam , quæ est pura negatio cogitationis , seu cognitionis de re scienda : *Positivam* alteram , quæ includit non solum nescientiam veritatis, sed etiam errorem , quo quis judicat oppositum veritatis .

Ignorantia iterum dividitur in invincibilem , & in crassam , seu vincibilem . *Prima* est quæ nullo studio, nullaque diligentia vinci potest . *Secunda* ea est quæ oritur ex negligentia cognoscendi, quæ scire possumus & debemus .

Jam ad quæsitum dico , non posse dari ignorantiam positivam inculpabilem , seu invincibilem existentiæ Dei , saltem per longum vitæ tempus, ut solide probatur ex S. Scriptura : *Omnes homines vident eum , unusquisque intuetur procul*, Job. 36. vers. 25. hoc est, omnes Deum agnoscunt , non quidem cognitione intuitiva , sed abstractiva *procul* ; nam ex fabrica & gubernatione mundi, quasi ex certis vestigiis , *Deus* creatos facile agnosci potest.

Deinde Dei notitia nobis a natura insita est : *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, Psalm. 4. Unde merito Apostolus ignorantes Dei existentiam indiscriminatim dicit *inexcusabiles* , Rom. 2.

Probatur etiam ex Patribus : *summa est delicti nolentium recognoscere , quem ignorare non possunt*, Tertul. apolog. 17. *Deus ubique est , ... quem nemo permittitur ignorare* , Augustinus in Psal. 74. *Deum nemo ratione utens ignorare potest*, Damascenus lib. 1. de Fide cap. 1.

Tandem si quis posset Deum ignorare invincibiliter , non posset in Deum utpotè incognitum peccare , nec Deus illum punire : *nulli enim imputatur ad culpam quod invitus ignorat* , inquit Augustinus de libero arbit. cap. 13.

Q. Dantur homines nati in silvis, vel in insulis, qui nihil unquam de Deo audiverunt ; numquid saltem illi Deum invincibiliter ignorant?

R. Nequaquam, impossibile enim est ut homines illi cœlum , & terram , rupes, & arbores, & sylvas suas , & feras cum quibus habitant, aspicientes, & cum aliqua attentione considerantes, non veniant in aliquam Authoris eo-

rum cognitionem: tanto magis quod *cognitio existentiæ Dei*, juxta Damascenum, *sit nobis naturaliter impressa* lib. 1. de Fide Orth. cap. 3. & quod *possit Deus*, inquit Augustinus, *inveniri per creaturas evidenter*, *dicente Apostolo*, *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, Tract. 2. in Joan.

Unde nisi homines illi ratione careant, & stupidiores sint ipsis brutis animalibus, Deum *invincibiliter* ignorare posse, non credibile est.

Dein Deus, qui *facienti quod in se est* gratiam suam non denegat: quique *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joan. 1. tales homines, *siqui forent*, illuminaret.

Q. Quot sunt Dii?

R. De fide est unum esse Deum: *Audi Israel*, *Dominus Deus noster Deus unus est*, Deut. 6. *Tu es Deus solus*, Psal. 84. *Non est alius Deus*, *quam tu*, *cui cura est de omnibus*, Sap. 12. *Unus Dominus*, *una Fides*, *unum baptisma*, *unus Deus*, Ephes. 4. Item *scimus quod nullus est Deus*, *nisi unus*, 1. Cor. 8. v. 4. & sic definitum, est in Concilio Nicæno, *Credo in unum Deum*, *&c.*

Ipsamet ratio unicum esse Deum dictat, quia *Deus* est ens infinitum, quo nihil perfectius excogitari potest: Sed si darentur duo Dii V. G. neuter esset infinite perfectus, unus enim alterius perfectione careret, & sic neuter esset Deus.

Q. Sed numquid Pater est Deus, *Filius est Deus*, *& Spiritus Sanctus est Deus? si ita sit*, *sunt ergo tres Dii.*

R. Sunt quidem tres Personæ distinctæ, non vero tres Dii; & ratio est, quod eadem essentia, eadem divinitas, eadem potentia, eadem bonitas & sapientia, quæ est in Patre, eadem est in Filio, & in Spiritu Sancto.

Q. Des mihi hujus mysterii exemplum?

R. Libenter, si V. G. Petrus, Paulus, & Joannes haberent idem numero corpus, & eandem numero animam, essent tres personæ, quia una esset Petrus, alia Joannes, alia Paulus; nihilominus non forent tres homines, sed unus solus, quia haberent eamdem animam, & idem corpus.

Hoc non est possibile in creatis, sed in Deo, cujus essentia est infinita. Et quamvis mysterium hoc Sanctissimæ Trinitatis sit ineffabile & incomprehensibile, debemus tamen illud credere, quia a Deo revelatum est.

Q. Sicut bene sequitur, *Petrus*, *Paulus & Joannes sunt tres personæ*, *ergo sunt tres homines: Nonne pariter bene infertur*, *Pater*, *Filius*, *& Spiritus Sanctus sunt tres Personæ*, *ergo & tres Dii?*

R. Certè non bene infertur: Petrus enim, Paulus, & Joannes non sunt tres homines præcise quia sunt tres personæ, sed quia sunt tres personæ cum naturæ multiplicatione. Eadem enim numero natura humana, quæ est in Petro, non est in Paulo. Sed natura divina est immultiplicabilis; eadem quæ est in Patre, est in Filio, & in Spiritu Sancto; quo fit, ut non tres Dii, sed unus sit Deus.

Q. Si Deus unicus est, *cur ergo interdum homines in Sacra Scriptura Dii appellantur?*

R. Ob excellentem aliquam virtutem, vel functionem, quæ Dei munere illis concessa est: non autem quod in eis insit aliqua divinitas; ut impie finxerunt Gentiles, & Pagani.

Sic Principes terræ, seu Reges, vocantur Dii: *Ego dixi Dii estis*, Psal. 81. ob participationem divini imperii.

Moyses dicitur *Deus*, propter commissam *miracula patrandi* virtutem, *Constitui te Deum Pharaonis*, Exod. 3.

Magistratus dicuntur *Dii*, propter dominationem: *Dii fortes terræ vehementer elevati sunt*, Psal. 45.

Ju-

Judices propter administrationem justitiæ declarantur *Dii*: *Stetit Deus in Synagoga Deorum*, Psal. 81.

Ecclesiastici, propter imitationem Divinæ Celsitudinis, *Dii* vocantur: *Diis non detrahes*, Exod. 32.

Male tamen ex præfatis textibus infertur pluralitas Deorum.

DE

DEI INCORPOREITATE.

Q. Quis primus Deo corpus attribuisse dicitur?

R. Discrepant Authores; quidam dicunt Seleucum & Hermiam Galatas circa ann. Christi 380. regnante Valente Imperatore, & Damaso Pontifice, sustinuisse Deum habere caput, brachia, cæteraque humana membra ac proinde esse vere corporeum. Plures vero affirmant *Tertullianum* esse primum istius hæresis parentem, inter quos S.Th.1. contra gentes cap. 20. dicens, *his rationibus*, quibus scilicet probat Deum esse incorporeum, *excluduntur deliramenta simplicium Judæorum*, *Tertulliani*, *Audeanorum*, *Antropomorphytarum*, *qui Deum corporeis lineamentis figurabant*.

At Augustinus ab hoc errore Tertullianum vindicat, agnoscit quidem ipsum Deo corpus finxisse, dixit enim: *quod non habet corpus, nihil est*; ideo animam pariter corporalem esse credidit — At, *inquit* S. Doctor, *non ob aliud, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, & ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset* — Voluit igitur Tertullianus Deum esse corporeum, ea ratione tantum, qua corpus opponitur nihilo, seu quatenus corpus idem sonat ac ens reale; non vero ea ratione qua corpus opponitur substantiæ spirituali.

Quidquid sit de hac controversia — quæritur.

Q. Estne Deus corporeus?

R. Nullo modo, cum sit substantia pure spiritualis, ut Sacra testatur Scriptura: *Deus spiritus est*, Joan. 4. S. Paulus ad Corinthios scribens ait: *Dominus autem spiritus est*, 2. Corint. 3. Si Spiritus, corpore caret; *Spiritus enim carnem & ossa non habet*. Deinde Deus invisibilis est, immensus, immutabilis, &c. quæ prædicata non corpori, sed substantæ spirituali dumtaxat convenire possunt, cum constet quodlibet corpus esse visibile, palpabile — dico visibile, cum intra objectum oculi corporei contineatur, Deus autem est invisibilis oculo corporeo, nedum ratione loci inaccessibilis, in quo habitat, ut voluit *Mahumetes Turcarum legifer*, sed etiam ratione suæ substantiæ, quæ est spiritualis, ut monet Apostolus ad Timoth. cap. 1. sic scribens — *Regi Sæculorum immortali & invisibili*, &c.

Q. Si homo qui corporeus est, creatus sit ad imaginem & similitudinem Dei, nonne bene infertur Deum habere corpus?

R. Illa similitudo se tenet ex parte animæ. Sicut enim in Deo tres sunt personæ, & una essentia; ita in anima tres sunt potentiæ, intellectus, memoria, & voluntas, quæ unam tantummodo constituunt animam. Non igitur homo creatus est secundum *corpus* ad similitudinem Dei, sed secundum *animam* modo explicato.

Q. Scriptura tribuit Deo membra humana, oculos, manus, pedes, brachia &c. quæ spiritui puro non conveniunt; an non dicere licet ipsum corporeum esse?

R. Nequaquam. Locutiones illæ non litteraliter, sed metaphorice intelligendæ sunt. Scriptura enim humano se accommodans intelligendi modo, res spirituales & divinas solet interdum per corporeas & humanas hominibus explicare; quia homo prius concipit sensu, quam mente.

Quando ergo legimus in Scripturis, *omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*, Hebr. 4. — *Manus tuæ fecerunt me*, Job. 10. *fecit potentiam in brachio suo*, Luc. 1. &c. Non debemus inferre habere oculos, sed intellectum infinitæ cognitionis: Et sic de cæteris, quæ non debent accipi juxta litteram, quæ *occidit*, sed juxta spiritum, qui *vivificat*.

Per *oculos* denotatur *scientia* Dei; quod nempe omnia cognoscat ac videat.

Per *aures*, quod *omnia audiat*, significatur.

Per *manus & brachia*, quod *omnia* possit, declaratur: Sic Scriptura adjuvat imbecillitatem humanæ mentis, a cognitione corporalium ducendo ad spiritualium cognitionem.

Quando igitur Scriptura tribuit Deo aliquod membrum, intelligendum est Deo tribui virtutem illam, quæ in illo membro perfectior reperitur; V. G. si quis diceret, Petrum esse agnum, certo ille qui audiret non conciperet Petrum vere animal irrationale, sed hominem benignum, mansuetum, quarum qualitatum agnus est symbolum; & sic de cæteris nominibus, quæ materiam significant, alioquin tenerentur hæretici credere Christum esse vere animal irrationale, utpote *verum Leonem*, quia in Scriptura dicitur *Leo*, *agnus* &c. imo ipsum esse creaturam inanimatam cum dicat: *Ego sum ostium*, *lapis angularis* &c.

Q. Si absolute Deus sit corporis expers, quare ergo sub formis corporalibus repræsentatur?

R. Quia res spirituales, ut *Deus & Angeli*, non possunt, ut in se ipsis existunt, sensibus nostris repræsentari. Unde sub aliqua forma corporali exhibentur, & maxime sub illa, in qua olim apparuerunt — V. G. Pater æternus, depingi solet ut *senex*, quia ut talis Danieli Prophetæ apparuit, ubi *Antiquus dierum* dicitur Dan. 7. vel, ut æternitas, & ejus prudentia significentur.

Spiritus Sanctus in forma *columbæ* exprimitur, quia sic visus est, dum in Jordane Christus a Joanne baptizabatur, Math. 3. — Secundo, ut significentur effectus quos producit Spiritus Sanctus in cordibus fidelium, innocentia scilicet, puritas, & sanctitas: columba enim simplex est, fœcunda, & amans.

Angeli depinguntur juvenes & alati, non quod tales sint in se ipsis, sed quod sub hac forma non raro hominibus videndos sese exhibuerint.

Juvenes etiam depinguntur ad denotandum quod formosi sint, & vigorosi.

Cum *alis*, ad exprimendam eorum promptitudinem in exequendis Dei mandatis quocumque mittuntur. Cum *vestimentis candidis & pretiosis*, quia puri, innocentes, & gloriosi sunt — Divinæ majestatis ministri.

DE
DEI IMMUTABILITATE.

Q. E*Stne Deus immutabilis?*

R. Omnino. Primo quoad *existentiam*. Non potest transire de non esse ad esse, quia semper fuit, est, & erit — ob hoc de se ipso dicit: *Ego sum, qui sum*, Exod. 3. id est, qui sum *necessario & indefectibiliter*, juxta dictum Davidis: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*, Psal. 101.

Secundo quoad locum, quia ubique est: *cœlum & terram ego impleo dicit Dominus*. Jerem. 23. sic de loco ad locum transire non potest.

Tertio *quoad tempus*; quia sicut per immensitatem in omnibus locis imaginabilibus præsens est, ita per æternitatem omnibus *temporibus* coexistit.

Quarto immutabilis est quoad omnia-

nia cum nihil possit acquirere de novo, nec quidquam perdere; alioquin non esset summè perfectus -- Unde de se ipso ait: *Ego Dominus & non mator*, Malach. 3. & S. Jacobus in sua E pist. cap. 1. ait: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*.

Q. Sed numquid Deus mutatur, dum irascitur, dum odit, dum amat, dum obliviscitur, dum recordatur, dum creat, aut aliquid novi producit?

R. Verum est, quod S. Scriptura iræ, odii, amoris, & alios affectus Deo tribuit, ut cum dicit: *iratus est furore Dominus*, Ps. 37. & alibi, *non in perpetuum irascetur* -- Non tamen inde sequitur Deum intrinsece mutari, quasi aliquid novi in se experiretur; sed illas passiones ipsi tribuit, quatenus earum effectus in nobis experimur: V. G. quando Deus infligit, vel minatur pœnam, *irasci* dicitur; quando gratiis & beneficiis cumulat justos, amare: quando sublevat miserias nostras, *misereri*: quando aliquos, etiam bonos affligi permittit, *illorum oblivisci*: & *recordari*, cum eosdem consolatur --- Voluntas tamen divina tranquilla, immutata semper permanens, omnes illos effectus producit consequenter ad decreta & leges ejus æternas.

Similiter dum Deus aliquid novi producit, quod antea non producebat, nulla sequitur in ipso mutatio, quia non agit actione nova ab ejus essentia distincta, sed actione seu volitione æterna, quæ semper fuit, licet non pro æterno quoad effectum. Similiter cum de non creatore factus est creator, nihil novi Deus in se recepit, quia ab æterno mundum voluit creare in tempore: tota mutatio est ex parte creaturarum, seu mundi, qui per creationem transiit de *non esse ad esse*, non vero ex parte Dei, qui mundum creando, nihil aliud recipit, quam denominationem extrinsecam per quam *Creator* dicitur; sed non magis idcirco mutatur, quam paries, qui V. G. ex non viso denominatur visus per terminationem visionis exeuntis ab oculo.

Q. Nonne saltem mutatus est Deus cum naturam humanam assumpsit? factus enim tunc est homo, quod prius non erat.

R. Sed cum non desierit esse quod erat, nec nostram in se formam informantem & inhærentem receperit, quod requiritur ad veram mutationem, non potest dici mutatus. Persona Verbi humanitatem assumens solum terminavit unionem hypostaticam illius, nihil autem intrinsecum in se recepit. Sed hoc ad Theologos.

Q. Estne etiam Deus immutabilis quoad intellectum, et voluntatem? idest potestne scire nunc aliquid quod antea non sciverit, vel nolle quod antea voluerit, aut e contra?

R. Hoc impossibile est. Cum intellectus Divinus sit infinitus, nihil ignorare potest: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*. Maxima esset in ipso imperfectio, & consequenter desineret esse Deus, si posset aliquid cognoscere simpliciter, aut perfectius quod antea nullo modo, aut non nisi imperfecte cognoscebat.

Nec valet dicere scivisse Christum nasciturum, quod non amplius scit, quia natus est. Non idcirco mutata est scientia Dei in se, cum ab æterno fuerit terminata ad Nativitatem Christi futuram pro tali tempore, presentem pro tali, & præteritam pro alio: si quæ mutatio sit, est in ipso Christo, & in tempore.

Similiter loquendo de voluntate, quod voluit ab æterno, semper vult, & quod noluit ab æterno, semper non vult; quandoquidem non apparet ipsi nunc alia ratio aliter volendi, aut nolendi, quam apparuerit ab æterno: sic docet Fides Catholica: *Non est Deus quasi homo, ut mutetur*, Num. 3. *Multæ cogitationes in corde viri, voluntas au-*

tem.

tem Dei in æternum manet, Pro. 19. Unde eodem actu amat Petrum pro tempore quo justus est, & odit pro tempore quo peccator est, semper habuit, semper habet & habebit hunc actum, semper erit verum dicere, amavit damnatos pro tempore, quo erant in gratia, & odio habuit Beatos pro tempore quo peccatores extiterunt, non tamen pro tempore presenti.

Q. Si Deum pœnituerit hominem fecisse, Gen. 6. & *constituisse Saulem in Regem* 1. Reg. 15. Nonne signum est voluntatem mutasse? 2. *Si multa prædixerit, quæ non evenerunt*, ut quod *Ezechias esset moriturus statim*, 4. Reg. 20. Quod *Ninivitarum Civitas esset subuertenda*, Jonæ 3. *nonne signum est retractasse senteatiam?*

R. Non sequitur. Locutiones istæ metaphorice, & conditionate intelligendæ sunt; non proprie, formaliter & absolute.

Pœnitet Deum fecisse hominem, quasi vero vellet non fecisse quod fecit, sicut ab æterno voluit hominem fieri, & Saulem regem, sic semper vult factum fuisse; quia autem hominem delevit, & Saulem regno privavit, *pœnitere* dicitur, sed improprie & comparative ad homines, qui cum non prosequuntur ea quæ cæperant, & prosecuturi arbitrabantur, dicuntur *pœnitere*; Similiter, quia Deus homines per diluvium delevit, a Saule regnum abstulit, *pœnitere* eos fecisse dicitur, licet revera ab æterno statuisset mundum conservare solum ad dies Noë, & Saulem in throno pro uno tempore, & deponere pro altero.

Quantum ad ea quæ prædixit Deus, & non evenerunt, fuerunt solum prædicta *conditionate*, non *absolute*, sic Ninivitarum prædixit ruinam, ni pœnitentiam egissent. Unde quia egerunt, non perierunt. Prædixit Ezechiam moriturum, quia secundum cursum causarum naturalium debebat mori, ni ipsum præservasset; & sic de aliis.

DE DEI ÆTERNITATE.

Q. E St ne Deus æternus? sed prius quid est æternitas, & quæ differentia inter æternitatem, ævum, & tempus?

R. Æternitas ex Boetio est *interminabilis vitæ, tota simul, & perfecta possessio:* dicitur *vita*, id est existentiæ actualis; ita quod æternum sit illud, quod semper existit. *Interminabilis*; per quod excluditur desitio actualis, & possibilis: ita ut si Deus creasset hominem ab æterno, non esset æternus, quia posset habere initium, & finem. *Tota simul*, sic excluditur variatio & successio, cum in æternitate non sit prius & posterius. *Perfecta possessio*, per hoc excluditur dependentia in existendo.

Unde qui a Deo reciperet esse æternum, non esset æternus, quia ab alio dependeret.

Differentia extrinseca inter æternitatem, ævum, & tempus est, quod *æternitas* non habet principium, nec finem: *Ævum* habet principium, sed non finem: *Tempus* habet utrumque, principium scilicet, & finem.

Jam ad quæsitum. Deus est vere & proprie æternus, & quidem solus. Hoc scriptura testatur: *Dominus in æternum permanet, Deus regnabit in æternum*, Psal. 9. *Tu autem permanes, & anni tui non deficient*, Hebr. 10. *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur &c.* Daniel. 7. -- Æternus Pater, Æternus Filius, Æternus Spiritus Sanctus, Symb. Athan.

Ratio etiam suadet -- Deus est ens a se, immutabile, summe perfectum -- si *ens a se*, non incæpit esse; alias illud esse haberet ab aliquo, & sic non esset a *se*. Si *immutabile*, non potuit transire de non esse ad esse. Si summe perfectum, nec incipere, nec desinere potest.

Quod soli Deo æternitas competat, ha-

habetur ex Apoſtolo: *Qui ſolus habet immortalitatem*, 1. Timoth. 6. Deinde ſi Deus creaſſet hominem ab æterno, & in æternum duraturum, non eſſet, ut jam diximus, proprie æternus, quia a Deo dependeret in eſſe, & in conſervari: poſſet quidem aliqualiter dici æternus a *parte poſt*, quia ſupponendo quod Deus decreviſſet illum perpetuo conſervare, non haberet finem; non tamen a *parte ante*, quia non careret principio, nec eſſet independens, cum eſſe a Deo, licet ab æterno, accepiſſet.

DE

DEI IMMENSITATE.

Q. Quid eſt immenſitas, & quæ differentia inter immenſitatem, & ubiquitatem?

R. Immenſitas eſt perfectio Dei, ſecundum quam Deus natus eſt ad eſſe præſens infinitis locis ſi darentur.

Ubiquitas eſt actualis præſentia Dei in omni loco.

Immenſitas convenit Deo ab æterno, ubiquitas vero in tempore, a rerum creatione.

Q. Quæ fuit antiquorum Philoſophorum opinio circa Dei immenſitatem?

R. Erraſſe veteres Philoſophos circa divinam immenſitatem conſtat teſtimonio Juſtini Martyris, & S. Thomæ lib. 3. contra gentes cap. 66. Plato præſertim, & Ariſtoteles crediderunt Deum eſſe tantum in primo cœlo, & in parte Orientali, ut primum omnium motorem, & in ea parte reſidere unde motus cœleſtis erat incipiendus. Ipſe enim Ariſtoteles in libro de Mundo loquens de Deo ad Alexandrum, confert Deum cum Rege Perſarum his verbis: *Sicut enim*, inquit, *ille in regia urbe Ecbatanis, aut Suſis commorari ſolebat, & inde reliquas ſui imperii civitates gubernabat; ita Deus in cœlo eſt, & inde reliquas mundi partes regit & gubernat.*

Verum non ſolum Philoſophi, ſed etiam Judæi, qui ut refert Hieronymus in illud Iſaiæ, cap. 66. *Cœlum ſedes mea*, crediderunt Deum eſſe præſentem in Templo Jeroſolimitano tantum; & multi alii, ut Photinus, Polythæi, Steucus Eugubinus, &c.

Q. Eſtne Deus revera immenſus?

R. Certiſſime, cum Deum eſſe immenſum & ubique præſentem de fide ſit -- *Deus in cœlo ſurſum, & in terra deorſum*, Joſue 2.

Immenſus eſt & non habet finem, Baruch. 3. *Cœlum & terram ego impleo*, Jerem. 23. *Si aſcendero in Cœlum tu illic es; ſi deſcendero in Infernum ades*, Pſal. 138. *Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus*, Symb. Athan.

Ratio hujus aſſerti petitur ex infinitate Dei; cum ſit infinite perfectus in omni genere perfectionis, neceſſario debet eſſe immenſus, & natus ad eſſe ubique -- Unde Cornelius Muſſio ait: *ſi Deo immenſitatem negaveris, auferes ei Divinitatem.*

Nec refert, quod ſit in rebus ſordidiſſimis, quia cum ſit ſpiritus ab eis inquinari non poteſt; ſicut nec anima a corpore leproſo, aut radius ſolaris a locis fœtidis, quæ illuminat.

Q. Si Deus ubique ſit, quomodo ergo dicit Scriptura ipſum aſcendere, deſcendere, accedere, recedere; quæ omnia ſine motu locali fieri non poſſunt?

R. Motus illi non ſunt proprii, ſed metaphorici, ad captum noſtrum accommodati -- Ut cum dicitur: *propè eſt Dominus invocantibus eum: ut quid Domine receſſiſti longe?* Pſal. 9. *longe eſt ab impiis* 1. *inclina cœlos & deſcende. Utinam dirumperes cœlos, & deſcenderes*, Iſa. 64. & ſimiles librorum ſacrorum textus, nihil aliud indicant, quam effectus ſingulares, quos in locis particularibus operatur Deus, & non quod ipſe revera aſcendat & deſcendat, & accedat,

cedat, & recedat &c. *descendit de cœlis* V. G. in Incarnatione, non cœlum deferendo, sed humanam naturam in terris assumendo. *Ascendit ad cœlos*, naturam humanam ad cœlos elevando. *Accedit ad nos*, per gratiam suam; *recedit* a nobis, eam juste auferendo. *Ambulavit in Paradiso*, Gen. 3. quia primis parentibus in forma ambulantis videndum se præbuit.

Q. Explica mihi sequentia scripturæ loca, quæ Deum in cœlo recludere videntur, *ut*: *cœlum mihi sedes est*, ait Dominus, Isa. 66. *cœlum cœli Domino*, *terram autem dedit filiis hominum*, Psal. 113. *Ad te levavi oculos meos*, *qui habitas in cœlis*, Psal. 122. Imo Christus ipse voluit ut diceremus orantes: *Pater noster qui es in cœlis* &c. Nonne ex his bene infertur *Deum non esse immensum & ubique*?

R. Certe non bene sequitur, quia illa & similia loca non probant Deum *tantum* esse in cœlo, & non alibi, sed solum indicant illum in cœlis existere modo quodam speciali, scilicet per majestatis, & gloriæ manifestationem: ibi enim gratiæ, & gloriæ suæ divitias magis expromit, divinam suam essentiam Angelis, & Sanctis animabus intuendam præbens ac fruendam — sicut est in Inferno per justitiam vindicativam: in hominibus justis per gratiam, &c.

Q. Antequam Deus conderet cœlum & terram, ubi erat?

R. Ad hoc quæsitum nimis curiosum, minus utile, Respondet tamen Augustinus, *eum in se ipso fuisse*, lib. de Fide contra Manichæos, & ante ipsum Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 5. *Ante omnia Deus*, inquit, *erat solus*, *ipse sibi & mundus*, *& locus*, *& omnia*.

Auctor antiquus incognitus, ubi Deus erat ante Mundum conditum, his versibus expressit.

Dic ubi tunc esset, cum præter eum
nihil esset?
Tunc ubi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.

DE SCIENTIA DEI.

Q. E*St ne scientia in Deo?*

R. Cum Deus sit ens perfectissimum, & scientia sit perfectio sine imperfectione, non est illi deneganda. Ipsum autem res omnes & singulas cognoscere prædicant Sacræ Litteræ: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat*, *& erant valde bona*, Gen. 1. Hæc visio perfectam cujusque rei notitiam designat. *Ipse fines mundi intuetur*, *& omnia quæ sub cœlo sunt*, *respicit*, Job 28. *Deus scientiarum Dominus est*, 1. Reg. 2. *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima & antiqua*, Psal. 138. *Domino Deo omnia sunt agnita*, Eccles. 23. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, ad Rom. Ex quibus colligitur, quam temerarie impii dicant: *Quomodo scit Deus? & si est scientia in Excelso?*

Q. Quotuplex est scientia Dei?

R. Si sumatur formaliter secundum suam entitatem, est una. Terminative vero est multiplex, secundum objectorum secundariorum diversitatem. Quod sit una, & simplex actus, petitur ex ipsamet infinitate scientiæ Dei: si enim per unam scientiam unum objectum intelligeret, & aliud per aliam, qualibet esset finita; ergo cum sit infinita, debet repræsentare intellectui divino omnia intelligibilia.

Deinde objectum formale scientiæ Dei, cum sit ipsa essentia divina, necessario debet esse in ipso unica scientia.

Sed si diversitas objectorum secundariorum consideretur, ad quæ scientia terminatur; dividitur communiter a Theologis in scientiam *simplicis intelligentiæ*, & in *scientiam visionis*.

Pri-

Prima est, per quam Deus cognoscit res purè possibiles, quæ nunquam extiterunt, nec existent, possent tamen existere, si Deus vellet.

Secunda est, per quam cognoscit res vel de facto existentes, vel præteritas, quæ quondam extiterunt, vel futuras, quæ existent aliquando.

Scientia *simplicis intelligentiæ* est nanaturalis, & necessaria, omne decretum voluntatis divinæ antecedens.

Scientia *visionis*, est libera; cum enim futuritio, & existentia, & præteritio dependeant a Dei voluntate, ita & scientia de illis.

Diversimode iterum scientia Dei subdividitur, sed hoc ad Theologos scholasticos. Patres Societatis Mediam ponunt inter scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, quam dicunt esse eam, qua *Deus ab æterno ante decretum, non absolute, sed sub conditione cognovit quid homines & Angeli facturi essent pro sua libertate, si cum hac vel illa gratia, si si cum his vel illis circumstantiis in tali, vel tali rerum ordine collocarentur*: sed hæc scientia a Thomistis, & Scotistis communiter rejicitur.

Q. Nonne revera Deus cognoscit futura conditionate, quæ quidem non evenient; evenirent tamen, si apponeretur conditio?

R. Certissime cognoscit, cum multa conditionate prædixerit: ut *quod Ceilitæ traderent Davidem, si ibi maneret, in manus Saulis*, 1. Reg. 23. quod non contigit, quia ab illis recessit. Sic etiam prædixit pœnitentiam Tyriorum, & Sidoniorum, si Christus miracula apud eos patrasset: *Væ tibi Corozaim: væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ olim olim operatæ sunt in vobis, in cinere & in cilicio pœnitentiam egissent*, Matth. 11.

Alia adduci possunt Scripturæ loca, ut: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, Sap. 4. *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, 1. Corint. 2. cognovit ergo mutationem justi, ni raperetur; & Christi conservationem, si Judæi ipsum cognovissent: nec ullum est dubium, quin Deus perfecte cognoscat, quid ego fuissem facturus, si Romæ mansissem.

Q. Si Deus certam de futuris conditionate notitiam habeat: cur ergo de illis dubitative solum loquitur, *ut cum ait: noli subtrahere verbum, si forte audiant*, Jerem. 26. & Luc. 20. *Forte verebuntur filium meum &c.*

R. Ita loquitur, non quasi dubitans, sed ad ostendendum homines esse liberos ad agendum vel non agendum; vel malitiam eorum tantam esse, ut vix aliquid boni ab eis expectari queat. Verbum enim ambiguum majestati Domini convenire non potest, *qui absconditorum est cognitor, & omnia novit antequam fiant*, Dan. 13.

Q. Sed quid de futuris contingentibus a libera hominis voluntate dependentibus?

R. Etiam de illis Deus certam & infallibilem habet cognitionem: *Qui nosti omnia antequam fiant*, Dan. 13. v. 42. *Intellexisti cogitationes meas de longe, & omnes vias meas prævidisti*, Psal. 138. *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus*, Hebr. 4. *Deum esse confiteri, & præscium futurorum negare, apertissima insania est*, inquit S. Augustinus lib 3. de Civit. cap. 9. & Tertulianus: *Præscientia tantos habet testes, quantos fecit Prophetas*, lib. 2. contr. Marcionem.

Ratio etiam suadet: Scientia Dei est perfectissima, & sic nihil ignorare potest. 2. Quod novit Deus in tempore, novit ab æterno; sed negari non potest, quin cognoscat futura contingentia libera dum accipiunt existentiam in determinato tempore; ergo semper illa noverat, alias posset esse ignorans & mutabilis, quod de Deo dici nequit, salva ejus Deitate.

Deinde multa prædixit futura a vo-

luntate humana dependentia, quæ infallibiliter evenerunt, ut v. g. *negationem Petri* &c.

Q. Præscientia illa nonne officit humanæ libertati?

R. Minime. Sola necessitas destruit libertatem, ut definitum est ab Ecclesia contra *Jansenium*: præscientia autem Dei nullam imponit homini necessitatem; ergo illam non perimit: non enim ideo Petrus Christum negavit, quia Deus præviderat & prædixerat esse negaturum; sed Deus negationem ejus præscivit, quia Petrus se libere determinaturus erat ad negandum Christum.

Sicut non cogerem peccare hominem, quem peccaturum præscirem, quia sua voluntate, non aliqua necessitate peccaturus esset: ita Deus neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Audiatur S. Augustinus: *Non ideo peccat homo, quia Deus illum esse peccaturum præscivit: imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum esse peccaturum præscivit. Qui si nolit, utique non peccat: sed si peccare noluerit, hoc etiam ille præscivit*, lib. 5. de Civit. Dei, & alibi. *Sicut tu memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt: sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt*, lib. 3. de Libero arbitrio, cap 5.

DE BONITATE & MISERICORDIA DEI.

Q. Quid de bonitate Dei sentire debemus.

R. Ipsum esse ex natura sua, necessario, absolutè, infinite, immutabiliter, undequaque bonum, fontem, originem, causam omnis creati boni: *aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*, Psal. 103. Unde Christus dixit: *nemo bonus, nisi solus Deus*, Matth. 19. v. 17. Bonitatem ejus declarant omnes sacri Scriptores: *Confitemini Domino, quoniam bonus*, Psalm. 117. *Bonus es tu*, Psal. 118.

Q. Quæ sunt Dei bonitatis indicia?

R. Tria principaliora enumerantur.

Primum. Quod licet ab æternitate se solo contentus, omni felicitate gauderet, Angelos tamen & homines creare voluerit, quibuscum suam bonitatem communicaret.

Secundum. Quod omnia a se producta conservet, etiam peccatores perduelles & ingratos, quibus beneficia generalia naturæ ordinem spectantia ex æquo dispenset: *Solem enim suum oriri facit super bonos & malos; & pluit super justos, & injustos*, Matth. 5. Et gratiæ dona singulis, & omnibus offert.

Tertium. Quod post Adæ lapsum, in quo omnes peccaverunt, & a regno cœlesti exclusi sunt, Filium suum incarnari voluerit, ut eos a servitute Diaboli redimeret, & ejusdem filii cohæredes efficeret & ad supernam gratiam perduceret. *In charitate perpetua dilexi te; ideo attraxi te, miserans tui*, Jerem. 31.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, & alibi. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*, 1. Jo. 4. & ibid. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam ille pro nobis animam suam posuit*.

Alia & prope innumera sunt Dei bonitatis inditia quæ brevitatis causa omittimus, & quæ in dies in nobismetipsis experimur.

Q. Est ne Deus summe misericors & justus?

R. Deum esse misericordem negarunt olim Novatiani & Montanistæ hæretici; sed quam inepte & impie, declarant sequentes S. Scripturæ textus.

Omnes viæ Domini misericordia, Psalm. 24. *Misericordia Domini plena*

est terra, Psalm. 32. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, Psalm. 50. *Faciens misericordias Dominus, & judicium omnibus injuriam patientibus*, Psalm. 102. *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis*, 2. Corinth. 1.

Deum pariter justum esse testatur Propheta Regius: *Justus es Domine, et rectum judicium tuum*, Psal. 118. *Justitia plena est dextera tua*, Psal. 47. &c.

Q. Estne major misericordia Dei, quam ejus justitia.

R. Utraque perfectio *infinita* est, non suscipiens majus, & minus, misericordiam tamen magis exercet Deus, quam justitiam: *Superexaltat autem*, ait S. Jacobus, *misericordia judicium*, Jac. 2. & Propheta Regius: *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*, Psal. 144.

Et non solum in hoc mundo ostendit Deus misericordiam suam, sed etiam in altero erga ipsosmet damnatos, *non quidem totaliter pœnam relaxans*, inquit S. Thomas, *sed aliqualiter allevians, dum punit citra condignum* 1. part. quæst. 21. art. 4. quamvis eorum tormenta æterna sint, & graviora quam quidquid excogitari potest; minora tamen sunt quam merentur, spectatis illorum in Dei majestatem ac bonitatem infinitam offensis & injuriis.

Nec idcirco minuitur justitia Dei, quia ita misericordiæ juncta est, ut *miserendo Deus* sit justus, & *puniendo* misericos.

DE
DEI PROVIDENTIA.

Q. Quid intelligis per Providentiam?

R. Providentia juxta Gramaticos componitur ex particula *Pro*, & verbo *Video*; idem quasi significans ac pro vobis video, cum cura scilicet & sollicitudine.

Unde Providentia est virtus per quam Deus rebus omnibus prospicit, ut recte & congruenter gubernentur.

Q. Unde constat dari in Deo Providentiam?

R. Ex utroque Testamento, ubi habetur Deum omnia gubernare, & ad fines proprios per media sufficientia dirigere -- *Dei sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, disponens omnia suaviter, & æqualiter est illi cura de omnibus: & in omni providentia occurrit illis*, Sap. 8.

Christus ipse hanc veritatem confirmavit dicens: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa* -- Matth. 6. & alibi: *Nonne quinque passeres veneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione apud Deum*, Luc. 12. & S Petrus ait: *omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis*. 1. pet. 3.

Q. Potestne Dei Providentia ratione probari?

R. Certe -- Si parentes naturaliter filios suos diligunt, & eorum curam habent; si Reges emeritis militibus suis annonam & stipendia procurant; si Domini servis suis cibaria ministrant; quanto magis Deus creaturarum, quique *nihil odit eorum quæ fecit*, curam eorum suscipere, eisque providere debet? & nisi continuo eis adesset, easque conservaret, ad nihilum reciderent, juxta illud: *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem turbabuntur, auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur*, Psalm. 103.

Deinde si in Deo non esset providentia, & creaturas suas non dirigeret, vel esset, quia ignoraret modum eas ad finem

finem dirigendi, & sic non esset summe sapiens; vel quia de illis curam habere nollet, & tunc non esset summe bonus: vel quia non posset illis ministrare necessaria; & tunc non esset omnipotens.

Q. Nonne videtur indignum Deo ad omnia etiam vilissima animalia attendere?

R. Minime. Sicut enim non fuit indignum Deo ea creare; ita nec ipsi indignum est ea administrare, & eisdem providere: absurdum quidem, *dixit Hieronimus*, ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat quot nascantur pulices, quotve oriantur & moriantur muscæ; in cap. 1. Habac. non denegavit idcirco providentiam, cum dicat expresse in cap. 36. Jerem. *Curæ Dei est omnia regere:* voluit solum dicere Deum non scire *successive* quot nascantur, v. g. muscæ &c. nihil enim novit in tempore, quod non noverit ab æterno. — Vel Deum non habere eamdem curam benevolam & paternam erga muscas & alia vilia animalia, quam habet erga homines; dicit enim in cap. x. Matthæi: *si parva animalia absque Deo auctore non decidunt, & in omnibus semper est providentia, & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt: vos qui æterni estis, non timere debetis, quod absque Dei vivatis providentia.*

Q. Quomodo ergo S. Job dicere potuit Deum circa cardines cœli ambulare, & nostra non considerare, cap 22. & S. Paulus: *numquid cura est de bobus Deo?* 1. Cor. 9.

R. Non locutus est S. Vir in propria persona, sed in persona impiorum, quos impugnat & arguit.

Et S. Paulus solum voluit indicare, Deum singulari providentia magis curare de hominibus, quam de bobus, quibus nullam legem dedit, quasi diceret: *numquid de bobus æqualis cura est Deo, ac de hominibus?*

Q. Si Deus curam hominum gerit, cur ergo non aufert ab eis tot mala, quibus sunt obnoxii?

R. Quia mala illa, quæ experiuntur homines, licet ipsi displiceant, ordinantur tamen ad bonum: *nobis enim datum est*, teste Apostolo, *non solum ut in Deum credamus, sed etiam ut pro illo patiamur*, ad Philip. 2. Unde Seraphicus Doctor ait, *malum est sub divina providentia, non tanquam ab ea factum, sed quatenus ab ea ad bonum ordinatum.* Sic Deus promisit filiis Jacob, ut fratrem suum, *Joseph* nempe, ex odio venderent, & *occasionem inde accepit efficiendi, ut regnaret*, S. Cyril. Jerosol. Cath. 8.

Q. Peccata quæ quotidie committuntur, quomodo subsunt divinæ providentiæ, cum ad bonum ordinari non possint?

R. Et si ad bonum *per se* ordinari non possint, *occasionaliter* tamen etiam ad bonum ordinantur: vel ad electorum, qui in ea quandoque prolabuntur, majorem humiliationem, pœnitentiam ferventiorem, divinæque misericordiæ in illos commendationem: vel justitiæ suæ manifestationem in reprobis, ut habetur, Prov. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Deus; impium quoque ad diem malum.* Vel alias quas novit Deus, utilitates &c. Quid Diabolo nequius; & de illius nequitia quanta bona fecit Deus? quid Judæorum facinore gravius? & tamen ex eo Christi mors, & totius generis humani salus ac vita secuta est: *Non funderetur*, ait Augustinus, *pro salute nostra Sanguis Redemptoris, nisi per nequitiam Judæ desertoris: melius judicavit, Deus, de malis benefacere, quam nulla mala esse permittere*, Enchyr. cap. 7.

Q. Peccatores subjiciuntur ne etiam ipsi divinæ providentiæ?

R. Cum Deus ordinet peccatores vel ad justitiam suam circa eos exercendam, vel ad propriam eorum correptionem, vel ad bonorum exercitationem,

juxta illud S. Augustini: *omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ut per eum bonus exerceatur*, in Psal. 54. Nullum subesse potest dubium, quin divinæ ejus providentiæ subjiciantur.

Q. Libenter scirem cur justi & innocentes in hoc mundo plerumque calamitatibus opprimantur, dum impii divitiis & voluptatibus abundant. Estne æqua in hoc providentia?

R. Et si de hac temporali impiorum prosperitate atque justorum afflictione quidam Prophetæ conquesti sint, ut Jeremias dum dixit: *quare via impiorum prosperatur, & bene est iis, qui inique agunt?* cap. 12. & S. Job: *quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis, & non est virga Dei super illos?* cap. 12.

Item & David: *zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*, Psal. 72. &c. omnia tamen recto Dei nutu accidere, atque in bonum ordinari credendum nobis est: imo in hoc apparet æquitas ejus. Cum enim nullum bonum relinquere possit irremuneratum, & malum impunitum, electis in hoc mundo, qui sine peccatis saltem venialibus non vivunt: *in multis enim offendimus omnes*; pœnas infligit, ne in futuro durius puniantur; impios vero, qui absque aliquo bono opere saltem morali vitam non ducunt, temporaliter remunerat. *Placuit divinæ providentiæ*, inquit Augustinus, *præparare in cœlo bona justis, quibus non fruentur injusti, & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni*, Lib. de Civit. Dei cap. 8. Præterea castigatio illa Dei, qua in hoc sæculo justos exercet, non solum proficua est ad delenda peccata commissa, sed etiam a præsentibus retrahit, & ad vitandum futura disponit, dum occasiones peccandi removet, & peccatorem terret, cautumque efficit: *Vexatio quippe*, secundum Isaiam, *dat intellectum, & qui virgam expertus est, amplius metuit*.

Denique tribulatio justis salutaris est ad virtutis exercitium, ad gratiæ amplioris augmentum, ad majus meritum, & coronam fulgentiorem in cœlis adipiscendam; *momentaneum hoc & leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatur*, 2. Cor. 4 & ob alias rationes &c.

Q. Sunt ne ergo periculosæ prosperitates mundanæ?

R. Nihil periculosius: tanto plus quis vereri debet inter reprobos computari, quanto se conspicit amplius prosperari, impunite peccare, adversa non perpeti, corporis commodis gloriari, magisque ad libitum conversari; quanto insuper se videt magis placere hominibus, & laudari, honorari, seu acceptari ab eis, quia, ut ait Psalmista: *Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos*, Ps. 52. Idem quoque testatur Apostolus, dicens: *si hominibus adhuc placerem, Christi servus non essem*, ad Gal. 1. & ipse Salvator: *Væ cum benedixerint vobis homines*, Lucæ 6. 26.

Hinc scite profecto Augustinus ait: *periculosior est hic mundus blandus, quam molestus*. Oremus igitur Deum ut nos corrigat in præsenti, ne postmodum nos condemnet in æternum, &c.

DE HOMINE EJUSQUE FINE.

Q. *CUm scriptura dicat hominum factum esse ad imaginem & similitudinem Dei*, Gen. 1. *libenter scirem in quo consistat hæc similitudo.*

R. In anima, inqua duplex est Dei imago, *essentialis* una, *accidentalis* altera. Prima est quæ nullo casu deperditur; & consistit in ipsa animæ substantia & potentiis, præsertim in mente, in libertate arbitrii &c. nempe, sicut Deus est incorporeus, spiritualis, immortalis, præsens in toto, & totus in qua-

in qualibet parte universi, intellectu producens Verbum, voluntate Amorem divinum; omnia regens, vegetans, ac substentans; ita suo modo, & in suo ordine est, & in corpore agit anima hominis.

Altera imago quæ *supernaturalis & accidentalis* dicitur, consistit in gratia sanctificante, qua teste S. Petro, anima *consors fit divinæ naturæ*. Hæc imago quoties homo mortaliter peccat, prorsus deperditur ac deletur: sed eodem pœnitente tota redditur, atque instauratur. Ita Tirinus in Gen. cap. 1.

Q. Quid igitur est homo?

R. Creatura rationalis, anima & corpore constans. Dicitur *creatura*, quia principalior pars, quæ est anima, a Deo creatur, dum corpori infunditur: imo corporis principalis formator est etiam ipse Deus, licet ipsum trahamus a parentibus secundum materiam, teste Machabæorum generosa matre, filios suos alloquente: *nescio qualiter in utero meo apparuistis; neque ego spiritum & animam donavi vobis, & vitam, & singulorum membra non ipsa ego compegi, sed mundi creator* &c. 2. Mach. 7. & B. Job: *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me, pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me* &c. Job. cap. 7.

Q. *Quid homo considerare debet circa animam?*

R. Tria potissimum. Primo dignitatem & præcellentiam ipsius, quæ in eo posita est, quod spiritualis & immortalis sit, intellectu, memoria, & voluntate prædita, ad imaginem & similitudinem Dei creata: Quod Deus Pater sic eam dilexit, ut pro ea filium suum unigenitum dederit.

2. Pericula prope innumera, quibus obnoxia est: circumstant undique hostes ferocissimi, ut capiant eam, dæmon nempe, homo, mundus & caro, dæmon cum vitiis & concupiscentiis: homo cum bestiis: mundus cum dementis: caro cum sensibus. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem:* dæmon *ut Leo rugiens circuit quærens quem devoret* &c.

3. Miserias prope innumeras, quibus in corpore tanquam in ergastulo obnoxia est, quæ Prophetam Regium, & Apostolum movebant, ut ab iisdem liberari a Deo petere non cessarent: *Educ de custodia animam*, Psal. 141. *Infœlix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis ejus?* Rom 7.

Certe nusquam quies & tranquillitas, nusquam pax, nec securitas; ubique timor & tremor, ubique labor & dolor &c.

Q. *Quid inde concludendum est?*

R. Cum tanti sit anima, & tantis exposita periculis, totque vallata miseriis, id enixius curandum est, & magna sollicitudine agendum, ne pereat. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Matth. 26.

Perit anima, & in æternum perit per peccatum mortale: *anima quæ peccaverit, ipsa morietur*: igitur *tanquam a facie colubri fugiamus peccatum.*

Q. *Quid considerandum est circa corpus humanum?*

R. Quod de luto & cinere formatum est, quodque vilius est, de spurcissimo spermate conceptum in pruritu carnis, in fervore libidinis, in fœtore luxuriæ; quodque mille malis sit obnoxium. Herbæ & arbores producunt flores & fructus, & corpus humanum lendes, pediculos & lumbricos; illæ de se fundunt oleum, vinum, & balsamum; corpus humanum sputum, urinam, & stercus; ille de se spirant suavitatem odoris, & corpus humanum reddit abominationem fœtoris; o vilis conditionis humanæ indignitas! o indigna vilitatis humanæ conditio! quod si id homines serio perpenderent, non superbirent, sed demisse de se sentirent, quia *eorum omnium unus est intro-*

troitus ad vitam, & ſimilis exitus, Sap.7.

Secundo perverſitas & malitia ejus notanda eſt. Corpus enim ſemper gratiæ Dei adverſatur, & ſaluti ſemper infenſum exiſtit: cupiditatibus noxiis plenum eſt, & continuo contra ſpiritum militat; unde ni voluptates ei ſubtrahantur, & laboribus dometur, infallibiliter animam perdet?

S. Franciſcus carnis titillatione pulſatus in vepres & in nives corpuſculum ſuum nudatum injecit, ut libidinis flammas extingueret. *S. Ludovicus Franciæ Rex*, cilicium ad carnem geſtans ſe immunem a peccato mortali in deliciis regalibus cuſtodivit &c.

Tertio conſiderare debemus corpus eſſe animæ habitaculum, & ejus in bonis actibus & virtutibus inſtrumentum; quod ſi particeps fuerit paſſionis, ita erit & in gloria æternæ beatitudinis.

Q. Eſt ne utilis homini ſui ipſius cognitio?

R. Nihil æque neceſſarium eſt: multi, inquit S. Bernardus, *multa ſciunt, & ſe ipſos neſciunt:* unde S. Auguſtinus frequenter repetebat: *noverim te Domine, noverim me*. Sanctus Pater noſter Franciſcus etiam dicere ſolebat: *Quis tu Domine? quis ego? tu abyſſus ſapientiæ, potentiæ, virtutis, omniſque boni. Ego abyſſus nihili, ignorantiæ, infirmitatis, peccatorum, omniſque mali* &c.

Q. Quis eſt finis hominis?

R. Audiatur S. Auguſtinus: *Factus eſt homo*, inquit, *ut ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, & poſſidendo frueretur*, Ench. cap. 9.

Hæc homines ſi attente conſiderarent, non eos deciperet fugax & vana illecebra voluptatum carni blandientium; non illuderet momentaneus honoris fumus: in momento hæc omnia abeunt: ad alia nati ſumus, ad æterna creati. Huc mentis aciem dirigamus, & ita vitam inſtituamus, ut fœlices æternum vivamus, & a fine non aberremus.

DE HOMINE CHRISTIANO.

Q. Quid hoc nomen, Chriſtianus, ſignificat.

R. Significat fidelem ſectatorem Jeſu Chriſti: Quod nomen primum in Concilio Antiocheno ab Apoſtolis ſub Petro celebrato anno 57. inditum eſt, ut diſtinguerentur à judæis.

Unde non eſt fides adhibenda iis, qui dicunt Chriſtianum nomen tempore Tiberii Imperatoris in ſæculum primum introiviſſe: Cum manifeſte contrarium dicat Sacra Scriptura; in Actibus enim Apoſtolorum cap. 11. habetur: *ita ut cognominarentur Primum Antiochiæ Chriſtiani.*

Q. Quomodo olim Chriſtiani vocabantur?

R. Multiplici nomine gaudebant: *Nazareni*, *Fratres*, *Sancti* appellabantur, ſed communius *Diſcipuli*, Nazareni, vero & Gallilæi non niſi per contemptum; verum cum Hæreſiarcharum quorumdam, quales fuere Doſithæus, Judas, & Joannes, qui dogmata Chriſtianæ Religioni oppoſita promulgabant, ſequaces pariter *Diſcipuli*, dicerentur; motivum inde ſumpſerunt Apoſtoli ſtatuendi, ut deinceps veri Diſcipuli Salvatoris *Chriſtiani* nominarentur.

Q. Cur Catholici modo dicti ſunt?

R. Quia paulopoſt Hæretici etiam ſe *Chriſtiano* nomine gaudere effatiebant. Ad diſtinguendum ergo veros Chriſtianos ab hæreticis, *Catholici* dicti ſunt, utpote dogmata Eccleſiæ univerſalis profitentes, & non ſingulares hæreticorum opiniones ſequentes.

Catholicus, vox Græca eſt, Univerſalem ſeu generalem ſignificans. Hinc Eccleſia Jeſu Chriſti, quæ ad Orbem totum, & ad omnia tempora extenditur, *Catholica* dicitur.

Pacianus ſcribendo contra Novatia-

nos, sic loquitur: *Christianus* mihi nomen est, *Catholicus* vero cognomen; *illud me nuncupat*, *istud ostendit*: *hoc probor*, *inde significor*.

Q. Quo motivo & quo anno Hispaniarum Reges Catholici dicti sunt?

R. Gloriosus hic titulus originem habuit anno 638. in Concilio Toletano, in quo Patres sanciverunt, nulli Regi permittere regalem thronum ascendere, quin prius juramentum præstitisset, se non toleraturum in regno suo personas, quæ Catholicam Fidem non profiterentur.

Hinc Alphonsus, qui Concilio intererat, præclarum, venerandumque *Catholici* titulum adeptus est, sibique proprium fecit, & hæreditate ad posteros transmisit.

Q. Tu esne Christianus?

R. Ita sum per gratiam Dei, qui me ad hanc Christianorum sortem vocare dignatus est per Baptismi Sacramentum, quo regeneratus, & ex mancipio Diaboli filius Dei effectus fui.

Q. Quæ est hominis Christiani obligatio?

R. Obligatio istius est Christum imitari. Quid enim prodest homini vocari quod non est; & nomen usurpare alienum? *Si quis se Christianum esse delectat, quæ Christianitatis sunt gerat, & merito sibi nomen Christiani assumet*, Augustin. de vita Christi.

Nemo certe *Christianus* recte dici potest, nisi qui Christo, & moribus ejus, *prout valet*, coæquatur.

Sanctus Augustinus, de quo supra, interrogatus, *qui esset vere Christianus*: sic respondet; *ille vere Christianus est, qui omnibus misericordiam facit; qui nulla omnino movetur injuria; qui alienum dolorem, tamquam proprium sentit; cujus mensam nullus Pauper ignorat; qui coram hominibus inglorius habetur, ut coram Deo, & Angelis glorietur; qui terrena contemnit, ut possit habere cælestia; qui opprimi pauperem se præsente non patitur; qui miseris subvenit, qui ad fletum fletibus provocatur alienis, quod bene faciebat Paulus: quis infirmatur, & ego non infirmor? uno verbo ille Christianus est*, qui Christi Jesu vestigia sectatur, *S. Augustin. in vita Christi*.

Q. Quis Nomen Christianismi, *Galliarum Regibus imposuit, & quam ob causam?*

R. Celsissimus hic, & supereminens titulus, *Christianissimus*, Franciæ Monarchis primo collatus fuit *Carolo Martello*, sic dicto a virtutibus ejus bellicis seu martialibus, a Gregorio III. summo Pontifice anno 740. dum auxilium ipsius piissimi Regis imploravit contra Longobardos, qui immanissime Ecclesiam divexabant.

Hunc augustum venerabilemque titulum tanquam hæreditarium tenuerunt successores Caroli, & quidem jure merito, cum sæpius Pontifices exules in sinum suum receperint, & oppressam Ecclesiam validissimis suis armis propugnarint, eamque magnificis donis cumularint, & provinciis integris locupletarint.

Cardinalis Pallavicinus, in Historia Concilii Tridentini lib. 2. cap. 1. refert, Maximilianum Imperatorem conquestum fuisse, quod hic titulus, *Christianissimus* nempe, Galliarum Regi ascriberetur, cum in publicis Ecclesiæ precibus soli Imperatori tribuatur feria 6. in Parasceve: Oremus & pro *Christianissimo* Imperatore nostro N.

Quidquid sit, nihil innovatum est; & hodiedum per Regem *Christianissimum* non alius a Rege Franciæ designatur, quod si in Ecclesiæ precibus Imperator tali decoretur nomine, forte est, quia tunc temporis, quando fuerunt ordinatæ preces illæ, Reges Galliarum erant *Imperatores*. Plures enim numerantur, qui supremam hanc dignitatem possederunt.

Q. Nonne parentes fideles gignunt filios

lios

lios sibi similes; *id est*, *fideles & Christianos*.

R. Nequaquam. *Nascimur omnes filii iræ, filii vindictæ*: nullus autem fidelis & Christianus, quantumvis parentes ejus essent sanctissimi. David ipse agnoscit se esse in peccatis conceptum: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, Psalm. 50. Et Paulus clamat: *nos esse filios iræ*, Eph. 2.

Ut quis ergo fidelis evadat & Christianus, debet denuo renasci per Baptismi Sacramentum, per quod homo peccatis inquinatus in novam renascitur creaturam, & ex filio Diaboli fit filius Dei adoptivus.

Q. Hoc donum Dei est ne in magno pretio habendum?

R. In maximo. *Non fecit taliter Deus omni nationi*, Psalm. 147. Etiam siquis omnes mundi divitias, & mundi regna possideret, quid illi hæc omnia prodessent, si animam perderet? Econtra si sit Christianus, & omnia desint, erit nimium fœlix.

Audi S. Petrum hanc Christianorum sortem extollentem: *Vos genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*, 1. Petri 2.

Non mirum si Sancti & prope infiniti Martyres honores, dignitates, opes perdere maluerint, imò horrendissima tormenta, crudelissimamque mortem subire, quam Christi fidem abnegare.

S. Ludovicus Rex Francorum dicere solitus erat, se plus majestatis, & dignitatis & beneficii accepisse *Possiaci*, *ubi baptizatus est*, quam *Rhemis*, ubi in *Regem* inauguratus fuerat.

Q. Cur Christiani a Christo potius quam Jesuitæ a nomine Jesu dicti sunt?

R. 1. Quia nomen *Jesu* est Hebraicum, & nomen *Christi* est Græcum. Unde quia mutatio nominis Apostolorum facta est in Græcia & non in Judæa, nempe *Antiochiæ*, ideo potius dicti sunt *Christiani*, quam *Jesuitæ*.

Deinde Nomen *Jesu* respicit Divinitatem, idem est enim *Jesu* ac Salvator, & salvare ad Deum pertinet. Nomen autem *Christi* est nomen humanitatis: nam *Christus*, idem est ac Unctus, Divinitate scilicet; unde cum Christiani sint uncti unctione Baptismi & Confirmationis, tamquam milites, ideo juste hoc nomine vocantur *Christiani*. Per nomen christianorum dumtaxat in Scripturis reperimus, Act. cap. 11. & 26. & 1. Petri Epist. cap. 5.

Q. Quis tandem dicendus est verus Christianus atque Catholicus?

R. Qui Jesu Christi veri Dei ac hominis salutarem doctrinam in ejus Ecclesia profitetur; neque sectis, vel opinionibus ullis ab Ecclesia Catholica alienis adhæret. Explico. Dicitur *Jesu Christi*, quia ab ipso ejus sequaces *Christiani* dicti sunt, ut pluries dictum est. Dicitur *in ejus Ecclesia*, quia in ea sola est veræ fidei professio, attestante Apostolo, qui Ecclesiam vocat *columnam & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. *adversum quam portæ inferi prævalere non possunt*.

Q. Quid indicant verba sequentia, *neque sectis, vel opinionibus ullis &c.* numquid forte *quilibet in sua Religione salvari non potest*?

R. Recte verba illa apposita sunt. Verus enim christianus debet sectas omnes a fide Catholica alienas, ut sunt Judaica, Mahometana, & Hæretica, detestari tanquam pestiferas, & auctore Diabolo, qui est *pater mendacii*, introductas. Nec debet quis sibi blandiri in omni Religione posse salvari. Unus est Deus, unus est Dominus, unum Baptisma, una Fides, Ecclesia una, *extra quam non est salus*.

Q. Quare Lutherani, Calvinistæ, & alii Heretici, cum sint christiani, non possunt salvari?

R. Falsum est, ipsos esse *proprie christianos*. Christi enim doctrinam dese-

fuerunt. Unde sicut quis dici non potest *Scotista*, qui Scoti dogmata non profitetur, ita nec *proprie* christianus, qui Christi doctrinam non amplectitur sed esto sint *christiani* ob receptum Baptismum, non tamen sunt *Catholici*.

Q. *Estne ergo differentia inter Christianum, & Catholicum?*

R. Ita. Catholicus ille est, qui Sacramento Baptismi initiatus in Ecclesia profitetur veram doctrinam Christi. Si autem opiniones ab Ecclesia Romana alienas teneat, christianus quidem, *suo modo*, dici potest, non tamen *Catholicus*: Sic omnis Catholicus absolute est christianus, non omnis christianus est Catholicus.

Q. *Si extra Ecclesiam Catholicam non sit salus, salvabuntur ne omnes qui in ea veram Christi fidem profitentur?*

R. Non sufficit ut quis salvus fiat, quod Christi Fidem profiteatur, sed debet Christi mores & vitam præterea imitari, ejusque præcepta servare. Dicebat Christus Judæis: *Si filii estis Abrahæ, opera Abrahæ facite*. Si Christus, o Christiani, Pater & Magister vester est, opera Christi facite.

Duo sunt in Ecclesia christianorum; boni alii, alii mali; sicut fuere in Arca Noe animalia munda & immunda. *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum*.

Mali Catholici *confitentur quidem se nosse Deum, factis autem negant*, ad Tit. 1., *& qui dicit se nosse Deum*, ait Joannes Apostolus, *& mandata ejus non custodit, mendax est*.

Q. *Quid censes de Prædicatoribus, qui quod alios docent, ipsi non faciunt.*

R. Dico illos similes esse fabricatoribus Arcæ Noe, qui aliis, qualiter diluvium evaderent, præstiterunt, & ipsi perierunt. Vel similes sunt lapidibus milliaribus Romanis, qui in bivio erecti erant, & itinerantibus viam ostendebant, nec tamen ipsi se movebant, aut ambulabant. Vel sunt similes Herodi, qui cum rescivisset a Scribis & Doctoribus legis, Messiam debere nasci in Bethleem, & a Magis nativitatem ejus annunciantibus, ob Stellam quam viderant, jam natum certo sibi persuadere poterat, non tamen Jerosolimis discessit iturus ad eum adorandum.

DE

SIGNO HOMINIS CHRISTIANI.

Q. QUodnam est signum externum christiani hominis?

R. Signum Sanctæ Crucis, a Patribus appellatum *Spirituale Vexillum Christi*, quo milites ejus ab Ecclesiæ hostibus, Idololatris, Turcis, Judæis, Hæreticis distinguuntur. Et docet hoc quotidiana experientia; quando enim quis ingreditur nostram Ecclesiam, & signat se *Signo Crucis*, omnes colligimus illum esse christianum; & cum transimus per regiones, urbes, pagos, alioquin nobis ignotos, atque cernimus in compitis, agris, ædibus, vel turribus erectum Signum Crucis, dicimus illum locum esse christianum. E contra cum videmus aliquem intrare nostram Ecclesiam, qui *se munire* Sancta Cruce *omittit*, vel cernimus in aliquo loco destructas, dissipatas & conculcatas imagines Sanctæ Crucis, & e contra in turribus erecta vexilla aeris, quæ sunt signa Dæmonum, seu *Potestatum aerearum*, statim colligimus talem hominem & locum esse extra Dei Ecclesiam veram, neque militare Christo.

Signum Crucis ergo est signum proprium verorum christianorum, gloria & decus eorum.

Q. *Estne antiquus in Ecclesia Signi Crucis usus?*

R. Antiquissimus, ab ipsis Apostolorum

rum temporibus -- Unde inter Apostolicas Traditiones numeratur: *Ad omnem progressum, & exitum, ad vestitum, ad mensas, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exerceat, frontem Crucis signaculo terminus*, Tertullianus lib. de Corona milit. cap. 3.

S. Joannes morti proximus, in sepulcro decumbens, Signo Sanctæ Crucis se munivit. Ita narrat Nicephorus. lib. 2. hist. cap. 42.

Et in actis Sanctæ Theclæ habetur, quod ad comprobandam Christi fidem, *Speciali Spiritus Sancti instinctu*, facto Signo Crucis, *se in flammas projecit, ex quibus illæsa evasit.*

Q. Quid sub hac cæremonia Signi Crucis continetur?

R. Præcipua nostræ Religionis Mysteria: Unitas & Trinitas Dei: Incarnatio & Passio Salvatoris nostri Jesu Christi.

Q. Qualiter super nos hoc Signum efformatur?

R. Hoc modo. Manum extendimus ad frontem, dicendo, *in Nomine Patris*: illam dimittimus ad pectus, dicendo, *& Filii*: postea deducimus illam a sinistro humero ad dexterum, dicendo, *& Spiritus Sancti. Amen.*

Q. In quo relucet Mysterium Sanctissimæ Trinitatis in hoc Signo?

R. In hoc, quod dicendo *in nomine*, singulariter indicatur una Dei majestas, essentia, unusque Deus, & subjungendo *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus Sancti*, personarum Trinitas demonstratur.

Q. Quomodo significatur per Signi Crucis formationem mysterium Incarnationis & Passionis Filii Dei?

R. Per hoc, quod deducentes manum a fronte ad pectus, dicendo, *in nomine Patris & Filii*, indicamus Filium, ab æternitate æqualem Patri, in Uterum Virginis descendisse, & naturam humanam assumpsisse. Et eo ipso quo manum a sinistro latere ad dexterum retrahimus, non solum Passionem Christi in Cruce exprimere volumus, sed etiam quod per mortem ejus a sinistris, ubi cum hædis eramus, ad dexteram cum electis translati sumus: item quod a rebus transitoriis ad æternas, a peccato ad gratiam, a morte ad vitam transiverimus.

DE

USU ET FRUCTU SIGNI CRUCIS.

Q. QUandonam Signo Crucis nos munire convenit?

R. Toties quoties in aliquod discrimen spirituale aut temporale impingimus: & alia quavis occasione operis inchoandi, sive jam perfecti. Et ratio est, *primo*, quod per Signum Crucis Dei adjutorium imploramus. *Secundo*, quod per ipsum Dæmonum tentationes superamus: quasi diceremus: *Domine Deus per Crucem & Passionem Jesu-Christi propitius esto nobis in hoc negotio, in hoc periculo &c.*

Q. Pertimescit ne Dæmon Crucem Christi?

R. Omnino, quia per ipsam victus fuit, & destructum est ejus imperium. Unde hoc signo conspecto statim declinat & recedit. Sanctus Ignatius Martyr & Episcopus, qui S. Petro Apostolo successit in Episcopatu Antiocheno, & vixit circa annum Christi septuagesimum, ita scribit, referente Georgio Herletto: *Crucis signum trophæum est contra mundi Principis virtutem, quod videns expavescit, & audiens timet* -- Et Ecclesia in sua antiphona: *Ecce Crucem Domini; fugite partes adversæ* &c. propter quod etiam in consecratione salis & aquæ contra operationes Diaboli solet adhiberi sæpius signum Crucis.

 Refert

Refert Sanctus Athanaſius in vita S. Antonii Abbatis, quod hic diſcipulis ſuis dederit hoc documentum: *Tam vos, quam Domos veſtras, Crucis armate ſignaculo, & confeſtim ſolventur Diaboli in nihilum: quia metuunt illud trophæum, in quo ſalvator aeras expolians virtutes, eas fecit oſten'ui.*

Q. *Quare Epiſcopus in Sacramento Confirmationis frontes confirmandorum Cruce ſignat?*

R. Ut eo ſigno tanquam milites Chriſti roborentur ad certandum pro fide uſque ad mortem & Martyrium. *Fronti Crucis ſignum imprimitur*, ait Ambroſius, *quæ verecundiæ ſedes eſt, ne Chriſti Crucem erubeſcamus, ſed in ipſa nos gloriari profiteamur.*

Q. *Cur ſignum Crucis in principio cujuſvis actionis formamus?*

R. Ut profiteamur nos cuncta facere in *nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, Colloſſ. 3. juxta mandatum Apoſtoli. Atque etiam ut omnia nobis feliciter ſuccedant ex merito ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti pro nobis crucifixi. Idcirco *S. Ambroſius* cunctos fideles monebat, ut ſurgentes Deo gratias agerent, & omne diei opus in ſigno Salvatoris facerent, ſerm. 43.

Q. *Quare præcipue ante orationem nos ſignamus?*

R. Ne Diabolus impedimentum adferat, & mentem ſuis phantaſmatibus ab oratione diſtrahat. 2. Ut profiteamur nos nihil a Deo petere, niſi in nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti Crucifixi. 3. Signum Crucis formamus, ut efficacius conſequamur id quod petimus. Signum enim Crucis nobis in memoriam reducit Chriſtum virtute Crucis, paſſionis & mortis ſuæ acceſſum nobis impetraſſe apud Patrem, a quo in nomine ejus omnia ſperare poſſumus.

Crucis ſigno ſe conſignaſſe veteres Chriſtianos, cum ad orationem accedebant, auctor eſt Tertullianus, in lib. ad uxorem, imo dum orationi inſiſtebant, brachia in modum Crucis extendebant.

Quod etiam ethnicis familiare fuit, ut colligitur ex Virgilio, lib. 9. Æneid. *& duplices cum voce manus ad ſidera tendit.*

Q. *Quare in Eccleſiis imago Crucifixi in ſublimi loco ſtatuitur?*

R. Ut introeuntibus palam proponatur conſpicienda, & ut fideles ſciant per ipſum Crucifixum omnia petenda impetrandaque eſſe.

Verum non ſolum imago Crucifixi in Eccleſiis expoſita cernitur, ſed ipſæmet Eccleſiæ *in modum Crucis* conſtructæ ſunt: nullam pene Eccleſiam conſpicimus, quæ Crucis figuram non referat, niſi forte ab Hæreticis *Crucis Chriſti* inimicis de novo aliqua fuerit ædificata.

Q. *Cur toties in Sacramentorum adminiſtratione, & Sacrificii celebratione ſignum Crucis efformatur?*

R. Ad ſignificandum Sacramenta, & Miſſæ ſacrificium omnem ex Domini Jeſu-Chriſti Cruce, Morte, Paſſione energiam ſumere.

Cruce Domini gloriamur, inquit S. Cyprianus, *cujus virtus omnia peragit Sacramenta, ſine quo nihil eſt Sanctum, neque aliqua conſecratio meretur effectum*, l. de Bapt. Chriſti.

Q. *Quid ſibi vult, quod ad Evangelium Crucis ſignum pollice ad frontem, ad os, & ad pectus formamus?*

R. Ut indicemus nos Chriſti Evangelium habere velle in memoria, in ſermone, & in affectibus noſtris.

Q. *Cur cibos, & omnem aliam creaturam hoc ſacro ſigno benedictionis?*

R. Ut purgemus & ſanctificemus per illud omnem creaturam, & Demonum poteſtati ſubtrahamus. Sanctus Paulus dicit: *Sanctificatur eſca per Verbum Dei, & orationem*, 1. Tim. 4. id eſt per benedictionem & preces, quæ ante ciborum ſumptionem præmitti debent.

Pius

Pius ille mos apud omnes pene christianos jam invaluit cibum & potum Cruce signandi, sub hac vel simili verborum formula: *Benedic Domine nos & hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi per Christum Dominum nostrum*. Amen.

Q. *Qui non præmissa mensæ benedictione cibos sumunt, male ne sibi consulunt?*

R. certe S. Gregorius narrat Religiosam hortum ingressam, lactucam concupiscentem, eamque avide sine benedictione, pro ut solebat, comedentem, fuisse a Dæmonio abreptam. Sed liberata fuit precibus Sancti Aquitii Monasterii directoris, lib. I. Dial. cap. 4.

Sanctus Benedictus mortem forte non evasisset, ni vas, in quo perversi homines venenum apposuerant, prius Signo Crucis benedixisset: quo facto vas confractum est, & liquor venenatus per terram effusus.

Q. *Estne signum Crucis remedium contra ingruentes tempestates, fulmina, tonitrua, terræ motus &c.*

R. Quis dubitat cum ex plurimis & quasi quotidianis exemplis comprobetur?

Unum memoratu dignum hic referre liceat de duobus Geneva Lausanam euntibus. Cum tempestas gravis ingrueret cum tonitru & fulgure, atque alter illorum se *signaculo Sanctæ Crucis* antiquissimo Christianorum ritu muniret, alter eum irridens: *Siccine*, inquit, *vis muscas a naso tuo abigere?* (Nam hujusmodi facetiis omnia Sacra ludificantur, non ab hæreticis solum, utinam non etiam a malis Catholicis!) & ecce protinus denuo cœlum intonat, idemque ille irrisor fulmine percussus emoritur; altero Cruce signato incolumi manente; qui mox rem gestam per totam Genevam divulgavit, *Tilm. Brenden. lib.* 8. *collat sacr. cap.* 58.

At non solum tonitrua, & fulmina, imo virtutem pellendi morbos etiam pestilentiales habet, S. Rochus ex utero rubra Cruce signatus fuit, & omnes peste afflictos facto signo Crucis sanabat. Romæ existens Cardinalem quemdam sic curavit, ut Crux facta fronti ipsius impressa perpetuo remanserit: innumera propemodum sunt exempla, quæ prætereo, utpote communia.

Q. *Cur oscitando Crux efformatur, & sternutando salutem adprecamur;*

R. Dicam. Anno Domini 590. tempore Agilulphi Italorum Regis IV. vehementer in dies sæviebat pestilentia; ad cæteros autem casus quibus homines fœde passim absumebantur, hoc etiam mali accesserat, quod multi cum sternutarent, alii cum oscitarent, repente Spiritum emittebant. Quod cum sæpius evenisset, consuetudo inducta est, quæ nunc etiam observatur, ut *sternutantibus* salutem adprecemur, & oscitantes signum Crucis admovendo præsidium quærant, Car. lib. I. de Regno Italico.

Q. *Quare Cruces per vias & compita passim eriguntur?*

R. Cum Gentiles olim in triviis, aut quatriviis idolorum imagines, quas *Hermas* vocabant, constituere solerent, *Christiani* in earum locum publicis in locis Cruces erexerunt; de quo testem habemus S. Chrysostomum, qui demonstratione adversus Gentiles dicit *Crucem celebrari, videre licet in viis*.

Dici igitur potest, Cruces per vias & compia erigi; *primo*, ut ubique locorum recordemur mysteriorum in Cruce peractorum, quasi ista Crucis imago personam Christi repræsentans dicat: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus*, lam. Jerem. I.

Secundo vero ut in omni loco frangatur potestas Diaboli ad præsentiam Crucis; quasi per erectionem ejusmodi signi dicatur: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ &c.*

Q. *Cur ante morituros, seu in agone existente statuimus signum Crucis?*

R. Du-

R. Duplici causa. 1. Ut terror inimici, tunc maxime rugientis, procul pellatur. 2. Ut moriturus contra desperationem muniatur, & meritis Christi confidat.

Legantur vitæ Sanctorum, omnes fere reperientur, in amplexu Sanctissimæ Crucis, & in osculo Jesu Christi crucifixi animam reddidisse.

Q. *Crux illa, quæ tantam infamiam, & dolorem Christo attulit, nonne religiosius a nobis execratione potius quam veneratione afficienda foret; nonne vituperandus esset filius, qui patibulum, in quo pater ejus suspensus fuit, honoraret?*

R. Ita loquuntur Hæterodoxi -- concedimus crucifixionem Christi fuisse ignominiosam, & gravissimos cruciatus ipsi intulisse -- Nec Crucem sub hoc respectu honoramus: Neque de morte Salvatoris cum Judæis lætamur. Cum autem Crux ipsa honorem simul & triumphum Christo, redemptionem & salutem nobis dederit, eam veneramur, & de morte Christi, qua a captivitate Dæmonis, & a morte perpetua liberati sumus, de hoc beneficio per Crucem nobis collato gaudemus.

Nec in dedecus filio, sed potius ipsi honori verteretur, si patibulum, in quo pater ejus vitam pro liberatione patriæ perdidisset, in magno haberet prætio.

Crux ista olim reorum supplicium, translata est ad frontes, & coronas Imperatorum. Jam quantumcumque patiaris: ait Augustinus, *ad Crucem non pervenies; quia jam de pœnis generis humani sublata est. Cum enim ab antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur. Hoc prohibuit Constantinus Magnus. Honorata est, & finita. Finita est in pæna, manet in gloria. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum &c.* S. August. in Psal. 36.

Q. *Unde provenit quod multi signum Crucis efformantes nullum ex inde fructum percipiunt?*

R. Quia licet Crucis signum in fronte gerant, non tamen Crucifixum in corde habent: non enim simpliciter Crucem digito in corpore, sed magna fide oportet formare in mente.

DE FIDE ET SYMBOLO

DE FIDE.

Cum fides sit veluti prima nostræ salutis janua & initium, spiritualis ædificii fundamentum, & radix omnis justificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire, merito ab ipsa in tradenda christiana doctrina incipiendum esse diximus.

Q. *Quid est fides?*

R. Fides multipliciter accipi potest, 1. Pro *fidelitate* quam quis servat in promissis adimplendis, ut 1. Machab. 10. *Servate fidem.* 2. pro *fiducia* consequendi petita, ut Jacobi 1. *postulet in fide, nihil hæsitans.* 3. pro *conscientia*, ut Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est* -- Relictis his & aliis fidei acceptionibus.

Fides, de qua hic agimus, est donum Dei ac lumen, seu virtus Theologica a Deo infusa, qua illustratus homo firmiter assentitur omnibus quæ Deus revelavit, & nobis credenda proposuit, sive illa scripta sint, sive non sint.

Q. *Explica mihi clare hanc definitionem.*

R. Dicitur *donum Dei:* quia non habemus a nobis ipsis, sed est nobis gratis datum pro nostra salute, ut asserit Joannes dicens: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum*, Joann. 6. Et alibi: *gratia estis salvati per fidem, & hoc*

non

non ex vobis, Dei enim donum est, ad Philip. II.

Dicitur, *lumen*; sicut enim Sol illuminat oculos nostros, ut omnia visibilia conspicere possint: ita fides intellectum nostrum illuminat ad credendum & cognoscendum quidquid Deus, *qui nec fallere, nec falli potest*, nobis revelavit, quantumvis sensui, vel rationi contrarium videatur.

Q. *Fides est ne necessaria ad salutem?*

R. Quantum ad adultos fides actualis absolute ad eorum salutem requiritur: *sine fide impossibile est placere Deo*, *Et: accedentem ad Deum oportet credere, quia est &c.* Hebr. II.

Quod vero spectat ad parvulos, cum non sint capaces eliciendi actum fidei, utpote rationis expertes, fides actualis ab ipsis non exigitur, quamvis non justificentur aut salventur sine fide habituali, quæ in Baptismo simul cum gratia a Deo infunditur.

Q. *Sufficit ne sola fides ad salutem.*

R. Hoc prætendunt hæretici ex quibusdam textibus Sacræ Scripturæ male ab illis intellectis: quales sunt. V. G. *fide justificatur homo*, Rom. 5. *justus ex fide vivit*, Rom. I. & aliis similibus, qui textus nihil aliud indicant, quam fidem esse initium & fundamentum justificationis, ut jam dictum est.

Quod autem sola fides non sufficiat ad salutem, asserit clarissime idem Apostolus dicens fidem justificantem esse eam, *quæ per Charitatem operatur*, ad Gal. 5. seu quæ bona opera habet adjuncta: Fides ergo, quæ juxta Apostolum justificat impium, non est illa fides inanis, & otiosa hæreticorum; sed quæ per charitatem in pia opera se diffundit.

Quid prodest fratres mei, ait S. Jacobus: *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit salvare eum?* & subdit: *fides sine operibus mortua est*, Epist. Canon. c. 2. Quam idcirco ex Canone expunxerunt hæretici.

Q. *Qua necessitate fides est necessaria ad salutem.*

R. Sciendum dupliciter posse esse aliquid ad salutem necessarium. I. *Necessitate medii*, seu finis; & est illud, sine quo etiam inculpabiliter ignorato, finis ultimus obtineri nequit. *Et necessitate præcepti*, sine quo inculpabiliter omisso finis potest obtineri.

Sciendum ulterius fidem dividi in explicitam & implicitam. *Explicita* ea est, qua assentimur alicui articulo determinato, ut quod Christus sit in Eucharistia. Secunda seu *implicita* est, qua assentimur omnibus articulis a Deo revelatis, & per Ecclesiam propositis, nulla facta ad specialem articulum reflexione.

Q. *Quæ mysteria fidei necessario necessitate medii credenda sunt?*

R. In omni statu fuit ad vitam æternam necessarium *necessitate medii* explicite credere Deum esse, remuneratoremque esse bonorum operum: juxta illud Apostoli: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator est*, Hebr. II.

Qualis vero sit illa remuneratio declarat Christus, Matth. 26. Ubi loquens de reprobis ait: *ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*.

Post sufficientem Evangelii promulgationem ad salutem æternam cujusvis hominis *fides explicita* misteriorum Trinitatis, & Incarnationis Filii Dei est necessaria *necessitate medii*. Ita S. Bonaventura in 3. dist. 5. art. 2. quæst. 3. & alii gravissimi Auctores.

Hæc sententia in praxi omnino suadenda est, non quia probabilissima sed quia tutior; & si tutior est, nihil juvabit probabilitas sententiæ oppositæ.

Ita colligitur ex illo Joannis: *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*.

Dixi *Explicita*; quia perfectior fides requiritur post adventum Christi, quam ante; sed ante sufficiebat implicita; ergo requiritur explicita.

Q. Quæ sunt credenda necessitate præcepti?

R. Quilibet fidelis *sub mortali* explicite credere, & scire tenetur, *saltem quo ad substantiam*, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, Sacramenta, saltem Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam. *Implicite* vero quidquid Deus nobis revelavit, & per Ecclesiam credendum proposuit.

Debent ulterius ita esse animo comparati, ut velint credere quosvis articulos ab Ecclesia propositos, ubi ad eorum cognitionem pervenerint.

Q. Suffi itne omnibus christianis scire Symbolum, Orationem &c.

R. Nequaquam. Episcopi, Parochi & alii, quibus ex officio incumbit alios instruere, quique *parati esse debent ad rationem fidei reddendam poscenti*, 1. Pet. 3. Tenentur insuper notitiam habere earum rerum, sine qua functiones sui officii, ac Ordinis recte exercere non possunt.

Q. Cur tam firmiter credendi sunt Articuli fidei?

R. Quia Deus, qui est prima & infallibilis veritas, nobis illos revelavit, & credendos proposuit.

Q. Unde Constat, unde scis Deum illos revelasse?

R. Hoc accipio ab Ecclesia, quæ in iis quæ fidei sunt, errare non potest propter specialem Spiritus Sancti assistentiam, quam proinde qui *non audierit, habendus est*, ex Christi sententia ut *ethnicus & publicanus*, Matth. 18.

Hinc S. Augustinus ait: *Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ moveret authoritas*, Lib. contra Ep. Manich. cap. 5.

Q. Est ne licitum aliquando negare fidem?

R. Dixerunt quidam Hæretici licere ad evitanda gravissima tormenta, dummodo in animo retineatur.

Nos vero asserimus in nullo casu licitum esse verbo, vel signo veram fidem negare, aut falsam profiteri, etiam exterius tantum.

Est de fide, & constat ex verbis Christi: *qui me negaverit coram hominibus negabo & Ego eum coram Patre meo*, Matth. 20. idem habetur apud Lucam: *Qui umque erubuerit sermones meos .... hunc Filius hominis erubescet*, Luc. 12.

Q. Quandonam obligat præceptum de confitenda exterius fide?

R. Quando agitur de honore Dei, & utilitate proximi. Unde si quis prævideat ex sua taciturnitate, vel dissimulatione, quod subtrahendus sit honor Deo debitus, vel inde secuturum proximorum scandalum seu ruinam; e contra vero ex publica Confessione magnum incrementum fidei nostræ, aut cultus Dei, cui vita corporalis merito postponenda est, tenetur publice fidem confiteri.

Audiatur Apostolus: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, salvus eris .... Corde creditur ad justitiam: Ore autem Confessio fit ad salutem*, Rom. 10. *Qui autem negaverit me .... Negabo & ego eum &c.* Ex his verbis colligitur duo extare præcepta circa fidem: Unum confitendi, quod est positivum; & non negandi, nec erubescendi, quod est negativum.

Unde merito Chrisostomus: *Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem palam mendacium loquitur, sed etiam qui libere veritatem non pronunciat, quando oportet.*

Q. Tirannus persequens ex odio fidei christianos, interrogat Petrum, an sit christianus? teneturne Petrus confiteri se vere esse christianum?

R. Ita, & patet ex citatis verbis Christi. Et quia in his circumstantiis,

ubi

ubi honor Deo debitus, & proximi utilitas periclitantur, præceptum divinum obligat ad publice profitendam fidem, & peccaret mortaliter contrarium ciens.

Baronius ad ann. 1175. adducit decretum quoddam Episcopi Lugdunensis contra Albigenses, his terminis conceptum: *Dicimus, quod fidem Catholicam non habet, qui eam non confitetur, quando interrogetur, vel fides periclitatur?*

Q. Numquid saltem licebit fugere ex iis locis, ubi ex odio fidei christiani multopere vexantur?

R. Quare non? per se loquendo licet. Fugere non est negare fidem; imo ipsa fuga testatur homo se esse christianum: Christus enim ipse exemplum præbuit, adhuc enim infans *fugit in ægiptum*; & grandior factus, pariter fugisse legitur: *Tulerunt lapides judæi ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se, & exivit de templo*, Joann. 8.

Hoc & docuit oraculo dicens; *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, Matth. 18.

Et hoc etiam fecerunt quamplurimi Pontifices; imo & Paulus ipse, qui cum e Civitate exire non valeret, *per murum demissus est in sporta*, 2. Corint. 12.

Dixi *per se loquendo*, quia si quis V.G. esset Episcopus, vel Curatus, seu Pastor animarum, & ex fuga sua sequeretur periculum perversionis in proximo, cui ex officio tenetur assistere, posset fuga ejus, *per accidens* esse illicita.

Non pauci sunt Pastores, qui cum viderent ex fuga sua periclitari fidem Gregum suorum, statim redierunt ad pugnam, & Martyrium fortiter subjerunt.

Q. Est ne licitum simulare falsam Religionem.

R. Non licet christiano professionem Religionis falsæ serio simulare, potest quidem aliquis in tragædis, & comædiis repræsentare se tanquam Paganum, Turcam, Lutheranum, &c. in aliis autem circumstantiis supra dictis non posset sine gravi peccato. Ratio est quod mendacium ex sua natura est illicitum, & ille qui fingit aut simulat falsam Religionem, mentitur si non verbo, saltem facto.

Exemplum assertionis nostræ habemus in Eleazaro sene, qui nunquam acquiescere voluit consilio illorum, qui ipsi suadebant, ut carnem suillam in lege prohibitam fingeret manducare: ipse enim respondit dicens, *præmitti se velle in infernum, non enim ætati nostræ dignum est fingere*, 2. Mach. 6.

Q. Potestne saltem quis occultare fidem suam quibusdam signis ab infidelibus usitatis?

R. Si signa illa sint ex se indifferentia, & non instituta ad profitendam falsam Religionem, qualia sunt illa, quibus una natio ab alia distinguitur, vel unus status ab altero, V. G. militis a mercatore, non est difficultas quin illis uti possit ad fidem occultandam; unde christianus inter infideles peregrinans vulgari eorum habitu vestiri potest, quamvis ab iis, qui illum non norunt, pro infideli sit habendus, cum ejusmodi vestes non sint signa falsæ sectæ.

Si vero signa illa sint *ex se*, aut ex *instituto*, ad profitendam falsam Religionem ordinata, non solum veram Religionem occultare, sed falsam quoque profiteri censeretur. Quod omnino illicitum est, *inquit Mastrius*, etiamsi hoc faceret absque animo negandi fidem.

Unde infertur, peccare contra præceptum negativum fidei, qui Idolis sacrificat, vel illis genuflectit, circumcisionem in se admittit more Judæorum, Cœnam Eucharisticam sumit inter Calvinistas, aliasque cæremonias facit, seu actiones falsæ Religionis ex

sua

sua natura protestativas, etiamsi ficte eas faceret; quia actiones hujusmodi institutæ sunt ad actum Religionis significandum, nec alium habent moralem usum; idcirco intrinsece malæ & superstitiosæ; Ergo nemini licitæ. Disp. 10. q. 1. & 2.

Q. Peccaretne, qui Templa infidelium & hæreticorum ingrederetur, eorumque concionibus interesset &c.

R. Distinguendum est. Qui curiosissitatis causa, vel ad tractanda cum ipsis sæcularia negotia introiret, aut concionibus, & eorum cæremoniis interesset animo confutandi eorum errores, & abesset scandalum, & subversionis periculum, non videtur, quod ea bono fine peragens, vel saltem indifferenti, sine animo deferendi cultum Dei, non videtur, inquam, fore pr hibitum.

Si vero Princeps ista præciperet in contemptum fidei, vel ad profitendam eorum sectam, tunc Templa eorum ingredi, ac concionibus, vel cœremoniis interesse non liceret?

Q. Licetne Catholico peregrinanti, aut degenti inter hæreticos vesci carnibus prohibitis V. G. diebus Veneris & Sabbati?

R. Si de morte, aut carcere, vel bonorum amissione ageretur, nec aliunde a tali casu se defendere valeret, non peccaret contra confessionem fidei carnibus utens. Ratio est: Primo, quia esus carnium præcise ex se est indifferens, neque est institutus ad professionem falsæ Religionis indicandam; nec abstinentia ab illis statutis quibusdam diebus fuit ab Ecclesia introducta ad discernendos Catholicos ab hæreticis, alioquin catholici nunquam possent, etiam titulo infirmitatis, illis diebus vesci carnibus; sed introducta solum fuit ad macerationem carnis.

Si tamen ab hæretico apponerentur carnes ad explorandum, an sit catholicus, & exinde sequeretur notabilis divini honoris diminutio, vel proximi scandalum, non liceret comedere; *Mastr. ibid.*

Exemplum habemus in Eleazaro, qui maluit mori, quam carnem suillam comedere; ratio hujus est, quod Judæi volebant per hoc ut Judaismi fidem abjuraret, quod erat tunc lege divina prohibitum.

DE INFIDELITATE.

Q. QUid est infidelitas, & quotuplex?

R. Infidelitas est vitium christianæ veritati oppositum, quo illi omnes qui non habent fidem, infideles dicuntur.

Duplex est infidelitas, *negativa* una, contraria seu *positiva* altera: *negativa* ea est, quæ reperitur in illis, qui nihil unquam audiverunt de fide?

Positiva *infidelitas* ea est, quæ reperitur in illis, qui fidem sibi sufficienter propositam contemnunt, vel ei pertinaciter contradicunt?

Q. Quale peccatum est infidelitas?

R. Infidelitas *negativa* per se non est peccatum; qui enim nihil unquam audivit de Deo, nec audire potuit, ut supponuntur ii, qui terras adhuc nobis ignotas inhabitant, non peccant peccato infidelitatis, nec propter illud damnabuntur; sed propter peccatum originale, aut alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt. Ipsi enim de numero eorum censentur, de quibus loquitur Apostolus: *quomodo credent ei, quem non audierunt?* Rom. 10. Ergo non peccat eo quod tali notitia careat, quam, ut supponitur, habere non potuit?

Confirmatur ex verbis Christi: *si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*, Joan. 15. Ergo cum illi, de quibus loquimur, nihil de Evangelio audierint, peccatum non habent, si Evangelio non crediderint.

Nec

Nec refert, quod Evangelii sonus in omnem terram exierit; hoc est ad principales partes, non in omnes & singulas mundi partes.

Deinde Ecclesia sequentem Baii propositionem damnavit: *infidelitas negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*, ergo contradictoria vera est: *infidelitas negativa peccatum non est:* quia scilicet ignorantia est invincibilis.

Infidelitas *positiva* est peccatum gravissimum ex genere suo, cum propter eam quis Inferno adjudicetur: *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marci ult. Quod intelligendum est de adultis, qui credere potuerunt, & non crediderunt.

Est enim per se gravis injuria, non credere Deo dicenti post sufficientem rerum fidei propositionem, quia parvipenditur prima veritas &c.

Alia est infidelitas, quæ *privativa* dicitur, & reperitur in eo, qui nec credit, nec dissentit, aut culpabiliter res fidei ignorat, & voluntarie circa illas errat; *privativa* vocatur, quia est absentia formæ seu actus, qui deberet inesse: nam isti non habent actum vel habitum, quem deberent habere.

Q. *Quomodo dividitur infidelitas positiva?*

R. In Paganismum, Judaismum, & Hæresim, ad quam Apostasia reducitur.

Paganismus, ad quem reducitur Atheismus, & Mahumetismus, est quando nullius misterii revelati fides habetur, & scripturæ utriusque testamenti rejiciuntur: Ut faciunt Gentiles & Ethnici, qui *Pagani* dicuntur.

Q. *Unde ortum habuit Paganorum nomen?*

R. A Constantini Imperatoris tempore. Cum enim statuisset, ut qui vellent militare cum ipso, deberent baptizari; illi qui noluerunt hoc Sacramentum suscipere, remanserunt in pagis suis, & inde *Pagani* dicti sunt; *sic falsorum Deorum cultores, usitato nomine*, Paganos *vocamus*, inquit Augustinus 2. Retract. 43.

Judaismus est eorum qui admittunt tantum Vetus Testamentum, rejiciuntque Novum, & sic negant Christum, seu Messiam de facto venisse: *hi Judæi* sunt, qui olim *Populus electus* dicebantur, propter eorum infidelitatem nunc a Deo *populus reprobatus* dicuntur.

Hæreticismus est eorum, qui fidem Christi susceperunt, & ab ea quoad aliquas veritates defecerunt, in errores oppositos abeuntes cum pertinacia. Quod si fides suscepta in totum abjiciatur, *apostasia* dicitur.

Hæreticismus subdividitur in plures species, quæ denominantur vel ab auctoribus earum, ut *Lutherani* a Luthero, *Calvinistæ* a Calvino, *Jansenistæ*, a Jansenio &c. vel ab erroribus, quos tuentur, ut *Trinitarii* propter hæresim de Trinitate; *Sacramentarii*, *Anabaptistæ*, propter errores circa Baptismum, & Sacramenta.

Q. *Negans fidem verbo, vel facto, interius tamen fidem servans, est ne hæreticus?*

R. Minime. Hæresis enim *est error intellectus liber & pertinax contra fidem in eo qui fidem suscepit*, sed qui fidem solum exterius abnegat, non potest dici habere errorem in intellectu, liberum & pertinacem, cum nullum interius judicium ferat contra fidei veritates; non est igitur *hæreticus*, neque pœnas contra hæreticos latas incurrit, saltem in foro conscientiæ: nam in foro externo possent Inquisitores contra ipsum procedere, quia ex signis externis internum hæresis peccatum præsumitur.

Q. *Dubius in fide est ne hæreticus?*

R. Aliqui docent non esse hæreticum; quia, inquiunt, hæresis essentialiter consistit in judicio contra fidem, dubius vero non habet tale judicium, sed potius judicii suspensionem; ergo non est hæreticus.

Me-

Melius tamen alii affirmant, ipsum esse hæreticum; & probatur auctoritate Stephani Papæ dicentis: *dubius in fide est hæreticus*, cap. 1. de Hæret. Item ex Hugone Victorino: *Ubi dubitatio est, fides non est*, lib. 1. de Sacr. cap. 2.

Ratio hujus aperta est, quia dubius de re fidei sufficienter proposita judicat illam rem non esse certam, aut non esse certo revelatam, adeoque forte esse falsam; & sic facit injuriam Deo revelanti aut proponenti tales regulas, quibus sufficienter colligitur talem articulum esse a Deo revelatum.

Q. *Potestne Ecclesia cogere infideles non baptizatos ad fidem suscipiendam?*

R. Certum est, quod qui semel baptizati sunt, sive in infantia, sive invitis parentibus, sive in adulta ætate, possit ipsos cogere Ecclesia ad fidem suscipiendam, & servandas leges Ecclesiasticas, cum per Baptismum subditi facti fuerint Ecclesiæ.

Ad quæsitum dicendum est, infideles non baptizatos cogi non posse, sive sint subjecti principibus christianis, sive non. Et patet ex dicto Apostoli: *quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?* 1. Corinth. 5. Et confirmatur ex Concilio Tridentino, sess. 24. cap. 4. ubi dicitur Ecclesiam in neminem judicium exercere, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.

Q. *Habetne Ecclesia jus prædicandi Evangelium in terris infidelium?*

R. Ecclesiam habere jus prædicandi Evangelium infidelibus, colligitur ex illo Matthæi, cap. 28. *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra; euntes ergo docete omnes gentes.*

Hinc sequitur, licere principibus Christianis infideles prædicationi Evangelii resistentes cogere ad non resistendum.

Q. *Potestne Ecclesia, vel Princeps christianus infideles sibi subjectos cogere ad audiendam prædicationem Evangelii?*

R. Ita est, cum videamus Romæ Pontifices cogere judæos sibi subjectos sub quibusdam pœnis ad prædicationem semel in hebdomada audiendam. Ratio est, quia prædicatio potest considerari ut aliquid pertinens ad bonum politicum, cum ordinetur proxime ad tollendam ignorantiam circa virtutes necessarias; ergo non excedit potestatem Pontificiam.

Quod autem non possit Princeps Ethnicus similiter suos subditos cogere ad audiendam prædicationem Gentilismi, non oritur ex defectu potestatis; sed ratione materiæ, quæ turpis est.

Quod si Princeps christianus nullam in infideles jurisdictionem habeat, non potest illos cogere: Christus quidem dedit Ecclesiæ potestatem ubique prædicandi, non vero cogendi ad audiendum.

DE
SACRA SCRIPTURA.

Q. Dixisti, in definitione fidei: *sive illa scripta sint sive non sint*. Num forte non est S. Scriptura fidei nostræ *sufficiens fundamentum*?

R. Sic est. Non omnia Religionis nostræ dogmata in scripturis diserte sunt expressa, ut videbimus infra.

Unde recurrendum est ad Traditiones.

Q. *Quid est Sacra Scriptura?*

R. Est totum corpus Bibliorum constans partibus in Concilio Tridentino enumeratis, veteri scilicet & nova lege, Mosaica & Christiana.

Q. *Quare hæ leges Vetus & Novum Testamentum dicuntur?*

R. Quia Deus utramque legem condens, pactum quoddam testamentarium cum homine iniit faciendi illum cœlestium bonorum hæredem, si suam legem observet. Hinc David ait: *Et justitia ejus in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus:* nempe ut subdit,

dit, veluti explicans quod dixerat, *& memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea*, Psal. 102.

Q. *Quot & qui sunt libri Veteris Testamenti?*

R. Libri Veteris Testamenti sunt quadraginta quinque; & ex iis alii sunt Legales, alii Historici, alii Prophetici, alii Morales.

Libri *Legales* Veteris Testamenti sunt, *Pentateuchus*, seu libri quinque Moysis, id est *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*.

Historici sunt, *Josue*, *Judicum*, *Ruth*: quatuor *Regum*, duo *Paralipomenon*: *Æsdræ* primus & secundus, qui dicitur *Nehemiæ*; *Tobias*, *Judith*; *Esther*, *Job*, duo *Machabæorum* primus scilicet & secundus.

Prophetici sunt, *Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum*: quatuor Prophetæ Majores, scilicet, *Isaias*, *Jeremias* cum *Baruch*, *Ezechiel*, *& Daniel*: Et duodecim Prophetæ Minonores, scilicet *Osee*, *Joel*, *Amos*, *Abdias*, *Jonas*, *Michæas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Aggæus*, *Zacharias*, *Malachias*.

Morales sunt, *Proverbia Salomonis*, *Ecclesiastes*; *Canticum Canticorum*, Liber *Sapientiæ*, *& Ecclesiasticus*.

Q. *Dica mihi breviter & summatim quid quilibet horum librorum contineat?*

R. Desiderio faciam satis, ex Francolino, qui in suo tirocinio Theologico cujusvis sacri libri argumenta paucis complectitur. Incipiamus per *Pentateuchum* ex quinque libris Moysis compactum: in primo qui est *Genesis*, Moyses narrat creationem mundi & gesta Adami, Ævæ, Noe, Abrahæ, Isaac, Jacob, & aliorum usque ad mortem Joseph.

In *Exodo*, persecutionem Pharaonis, indeque decem plagas Ægypti, egressum Hebræorum ex Ægypto, & peregrinationem per desertum, ubi in Syna Decalogum, cæterasque leges a Deo acceperunt.

In *Levitico* describuntur sacra & sacrificia, cibi vetiti, festa, aliique ritus, lustrationes, & cæremoniæ tam populi, quam Sacerdotum & Levitarum.

In *Numerorum* libro numerantur Populus, Principes, & Levitæ: item quadraginta duæ mansiones Hebræorum, horumque ac Dei gesta in deserto recensentur. Insuper effertur Prophetia Balaam, ac describitur bellum Hebræorum cum Madianitis.

In *Deuteronomio* sive secunda lege repetuntur & inculcantur Hebræis leges antea in Exodo, Levitico, & Numeris a Deo datæ.

Q. *Quis verus auctor horum Librorum?*

R. Indubitatus *auctor* est *Moyses*, qui illos conscripsit per modum Diarii, vel Annalium: Josue tamen eosdem in meliorem ordinem digessit, & sententias nonnullas addidit. Sic in fine Deuteronomii mors Moysis, eo utique mortuo, a Josue, vel forte ab aliquo alio describitur, sicut & mansuetudo ejus in libro Numerorum.

Porro quæ narrat Moyses, partim traditione, partim divina revelatione, partim oculari inspectione didicit, & accepit; omniaque *divino instinctu* conscripsit.

DE LIBRO JOSUE.

In hoc libro gesta ipsius describuntur, qualiter terram Chanaam bello subegerit, illamque in duodecim Tribus diviserit. Narratur quomodo Rempublicam Israelis in eadem constituit, eamque tam in pace, quam in bello prudentissime gubernavit Quæ in eo narrantur, primo ab ipsomet Josue conscripta sunt; eorum vero collector nonnulla addidit, nempe ejus mortem, & quæ

post ejus mortem contigere, uti sunt ea quæ cap. 15. de Axa filia Caleb, & cap. 19. de filiis Dan narrantur.

DE LIBRO JUDICUM,

ET DE LIBRO RUTH.

Liber Judicum horum gesta prosequitur.

Q. Qui erant Hebræorum Judices?

R. Ii, qui eos ingressos in Palæstinam a vicinarum gentium insultibus & jugo liberarunt, eisque in judiciis præfuerunt, præfectura fere Monarchica.

Q. Quot erant simul Judices?

R. Non plures, sed unicus erat Judex ad jus populi dicendum. In causis tamen difficilioribus sententiam supremi concilii exquirere, ejusque decretis stare debebat. Supremum illud Concilium *Sanhedrin* dicebatur. Judex ille Regiam potestatem non habebat: quare nec leges condere poterat, nec diademate aut sceptro utebatur, nec satellitio custodiebatur. Non ungebatur, nec hæreditario jure succedebat, sed electione Dei, vel populi creabatur.

Electus per omnem vitam manebat Judex: jus demum vitæ, & necis non habebat, sed reos juxta legem morti adjudicabat, aut aliter plectebat.

Q. Quot fuerunt Hebræorum Judices, & quot annis eorum magistratus duravit?

R. Fuere quindecim nempe: Othoniel, Aod, Samger, Barac cum Debora, Gedeon, Abimelec, Thola, Jair, Jephte, Abesan, Ahialon, Abdon, Sampson, Heli, Samuel, post quem populus Regem petiit.

Hic Judicum magistratus duravit annis 356. In hoc tamen duorum ultimorum judicum, Heli nempe & Samuelis acta non describuntur, sed in libro primo Regum.

Q. Quis librum hunc scripsit?

R. Non plane constat. Verisimile est Esdram, vel Prophetam aliquem posteriorem, aut potius Samuelem ex antiquis Diariis & Annalibus, quæ Judex quisque aut alius ejus tempore conscribebat, collegisse, & in hunc librum redegisse.

Q. Quid continet liber Ruth? & quis ejus auctor?

R. Genealogiam Judæ Patriarchæ a Phares filio ejus usque ad Davidem; Est autem appendix libri Judicum: Ruth enim historia contigit sub judicibus, & est velut præludium & manuductio ad librum primum Regum, in quo gesta Davidis describuntur.

Auctor hujus libri incertus est; aliqui credunt fuisse Ezechiam Regem, alii Esdram; a pluribus creditur fuisse Samuel, id quod verisimilius est.

DE LIBRIS REGUM

ET PARALIPOMENON.

Q. Quid in quatuor libris Regum continetur?

R. Historia Regni Hebraici. Duo priores acta Saulis, & Davidis, duo posteriores enarrant acta Salomonis, & successorum ejus usque ad ultimum Regem Sedeciam.

Item gesta Jeroboam & posteriorum, qui regnarunt in Israel super decem Tribus usque ad ultimum Regem Oseam.

Q. Qui eorum auctores sunt?

R. Primum librum scripsit Samuel usque ad mortem suam; ejus vero mortem & gesta post ipsum usque ad finem libri secundi scripsit David, aut potius Nathan, & Gad Prophetæ, qui David erant a secretis.

Duos posteriores scripsit partim Isaias, partim Jeremias, partim Esdras.

Li-

Libris Regum attexuntur duo libri Paralipomenon, idest relictorum, seu residuorum, quia hi supplent ea, quæ in libris Regum de Regibus Juda prætermissa sunt. Horum auctor probabiliter fuit Esdras.

D E
DUOBUS LIBRIS ESDRÆ.

Q. Estne *Esdras auctor horum librorum?*

R. Solius primi auctor est, secundi vero est Nehemias. Attribuuntur tamen Esdræ, quia olim apud Hebræos, & Græcos uterque hic liber unus erat.

Q. *Quis fuit ille Esdras, & quid præclare gessit?*

R. Fuit Sacerdos, Propheta, Scriba, Doctor, & totius sacræ scripturæ deperditæ in vastatione Babilonica ex memoria dictator & restaurator, vel potius vitiatæ corrector.

Q. *Quis Nehemias? Et quid populo obsequii præstitit?*

R. Etiam ipse Sacerdos fuit, & Artaxersis Persarum Regis pincerna. Is reducem e captivitate populum numeravit, ac templi, & murorum restaurationem designavit & perfecit.

Q. *Quid isti libri Esdræ continent?*

R. Complectuntur ea quæ circa prædictam populi liberationem contigerunt ab anno primo Monarchiæ Cyri usque ad annum septimum Artaxersis Regis, quo Esdras e Babilone cum aliis Sacerdotibus & Levitis rediit in Jerusalem: quod est spatium 73. annorum.

Liber vero Nehemiæ continet reædificationem urbis Jerosolymæ, aliaque ab anno septimo usque ad annum 32. ejusdem Artaxersis.

DE LIBRIS TOBIÆ, JUDITH, ESTHER, ET JOB.

Liber Tobiæ describit vitam, gesta & mores utriusque Tobiæ. Auctor primæ partis fuit Pater, auctor secundæ partis libri Filius. Contigit hæc Historia sub Ezechia, & Manasse. Argumentum libri Judith, est ejus victoria de Holoferne, & Assiriis.

Argumentum libri Esther est humiliatio superborum in persona Vasthi Reginæ, & Aman; & exaltatio humilium in persona Esther, & Mardochæi, ac liberatio oppressorum in persona Judæorum.

Eodem tempore, quo vixere Esther & Mardochæus, floruerunt Esdras, Nehemias, Daniel, Zorobabel, Jesus filius Josedech, Aggæus, Malachias, Zacharias &c.

Auctor libri Esther fuit, ut creditur, ipse Mardochæus cum Esther.

Argumentum libri Job est exemplum insigne patientiæ Job, & providentiæ Divinæ circa ipsum, reliquosque justos; quos tentari permittit Deus, ut eos probet & postea coronet.

Hujus libri auctor censetur Moyses a Cardinale Bellarmino, & aliis, at a nonnullis auctor habetur ipse Job, qui natus dicitur anno mundi 2230.

D E
LIBRO PSALMORUM.

Is liber continet laudes Dei, ejusque legis, & viri justi & Sancti, sed præsertim Christi Domini, qui est præcipuum libri Argumentum. Omnes 150. Psalmi, quibus is liber constat, Davidi attribuuntur. Controversia tamen est inter eruditos, an revera sint omnes ipsius Davidis.

DE

LIBRIS SALOMONIS.

SAlomon, inquit S. Hieronymus in Commentariis in Ecclesiasten, tria volumina edidit, Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum.

In *Proverbiis* parvulum docens, & quasi de officiis per sententias erudiens, unde & ad filium ejus sermo crebro repetitur.

In Ecclesiaste vero, maturæ virum ætatis instituens, ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca & brevia universa, quæ cernimus.

Ad extremum jam consummatum virum, & calcato sæculo præparatum in Cantico Canticorum sponsi jungit amplexibus.

Q. *Canticum Canticorum fuitne Spiritus Sancti inspiratione conscriptum?*

R. Nonnulli de ejus inspiratione dubitarunt, etiam ex ipsis Judæorum Rabbinis -- Alii, ut Anabaptistæ, tanquam perniciosum reijciunt, pretendentes Canticum non esse aliud, quam *carmen amatorium*, in gratiam filiæ Pharaonis, in nuptiis cum Salomone, ab ipso compositum, exprimens garritum conjugum, levesque amantium sub noctem susurros.

Verum Ecclesia hunc librum recepit tanquam sacrum Epithalamium nuptiarum Christi, & ipsius Ecclesiæ; vel cum anima Christiana.

Etenim impium est asserere Ecclesiam, quæ a Spiritu Sancto regitur, inter libros Canonicos recipere carmen amatorium, prophanos amores, & carnalium nuptiarum arcana exprimens.

Ut igitur hujus libri sensus assequamur, non ad carnem & sanguinem, sed omnia ad Christi cum Ecclesia & cum anima justi nuptias, referenda sunt.

Q. *Quomodo liber hic sacer esse potest, cum in eo ne quidem una vice nomen Dei scriptum inveniatur?*

R. Et si nomen Dei expressum non habeatur, sufficienter tamen significatur sub nominibus *Sponsi*, *amici*, *dilecti*, quæ ad amorem exprimendum & excitandum aptiora sunt, quam nomina majestatis & potestatis.

Deinde libri Sacri non ex Dei nomine, sed ex Dei revelantis auctoritate censentur -- Sic in libro Esther qualem habent Hebræi, nomen Dei pariter non legitur.

Cum igitur in libro hoc Dei Filius sub *Sponsi* allegoria inducitur, debuit proinde juxta allegoriæ leges, ejus nomen sileri, & sponsus induci.

Q. *Estne consultum lectionem hujus libri junioribus permittere?*

R. Minime. Cum Hebræi ipsi lectionem hujus libri ante annum trigesimum vetuerint, ne si nimis ad litteram in eo contenta intelligerentur, potius scandalum, quam ædificationem caperent; quod & a Christianis servatum est, Testibus *Origene*, *Hieronimo* &c.

Certe hominibus carnalia sapientibus liber iste exitio esse potest, ac illum legentes, de excutienda erga Sacram Scripturam veneratione, & de animæ salute periclitantur.

Videatur Sanctus Bernardus, qui in expositionem hujus libri præ cæteris excelluit, & expressiones quasdam obscuriores eleganter explicuit.

Q. *Estne Salomon salvus, an damnatus?*

R. Nemo certo dicere potest. Illum salutem consequutum fuisse censent multi Sancti Patres, inter quos Hilarius, Cyrillus Jerosolomytanus, Ambrosius, Hieronymus &c. rationem adferentes, quod Deus de Salomone ad Davidem loquens dixerit: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga & in plagis filiorum hominum, misericordiam autem meam, non auferam ab eo*, 2. Reg. 7. & 1. Paral. 17.

Dein-

Deinde liber Ecclesiastes salutis ejus apertum est monumentum: & textus ille Proverbiorum: *Novissime ego egi pœnitentiam*, cap. 24. n. 30.

Nonnulli, illum æternum periisse autumant, ut Tertullianus, S. Cyprianus, S. Gregorius &c. quia, *inquiunt*, de lapsu ejus & idololatria aperte Scriptura loquitur, nihil vero de ejus pœnitentia habet -- Quæ in ejus favorem adducuntur ex libris Ecclesiastes, & Proverbiorum, nihil ad rem faciunt, quia libri illi, ut opinio est, scripti sunt ab ipso, antequam in luxuriam & idololatriam incideret.

Ex his, cum Salomonis æterna salus, vel damnatio nullo Scripturæ loco certo probari possit, neque ex traditione, neque ex consensu Patrum, vel Ecclesiæ judicio; melius faciunt illi, qui quæstionis decisionem ad inscrutabilia judicia Dei referunt.

DE LIBRIS SAPIENTIÆ ET ECCLESIASTICI.

Liber *Sapientiæ* tractat de vera Sapientia, non tam speculativa, quam practica, quæ scilicet est ratio agendorum secundum Deum, ac proinde non est aliud quam Dei cognitio conjuncta cum ejus timore, religione & cultu. Hujus ergo originem, mores, opera, effectus, & prœmia is liber exponit.

Quis sit Auctor? Incertum est, an Salomon, an Jesus Sirach, an Philo senior, qui vixit annis 160. ante Christum, disputant Auctores gravissimi.

Liber *Ecclesiastici* brevibus sententiis docet omnem moralem philosophiam uberius quam liber Proverbiorum Salomonis: Agit enim de virtutibus non tantum *Ethicis*, quæ personam cujusque concernunt & perficiunt; sed *Oeconomicis* quæ ad familiam, & *Politicis*, quæ ad Rempublicam gubernandam, vel utiles sunt, vel necessariæ.

Auctor hujus libri a multis creditur Salomon; sed Cornelius a Lapide fuse probat eum fuisse *Jesum* filium Sirach, civem Jerosolimitanum, virum eximie sapientem & Prophetam, qui floruit paulo post *Alexandrum Magnum*, tempore Ptolomæi Philadelphi, & septuaginta duorum Interpretum.

DE LIBRIS PROPHETARUM MAJORUM.

Dicuntur Prophetæ Majores, qui singuli suos scripsere libros integros; Minores autem, quorum Prophetiæ simul unico libro apud Hebræos continentur.

Primus Majorum Prophetarum est *Isaias*, cujus Prophetia est de adventu Christi, de Nativitate ejus ex Virgine, de vita, de prædicatione, de regno, de miraculis, de sepultura: Item de vocatione gentium, de gloria Ecclesiæ &c.

Secundus est *Hieremias*, qui hortatur populum ejusque principes ad pœnitentiam. Prædicit etiam imminentem ruinam Jerosolymæ, templi Domini, & totius regni: Multa etiam de adventu Christi, de Testamento Novo, deque aliis christianis mysteriis apertissime.

Addit in fine libri Threnos, id est *Lamentationes*, carmine scriptas ordine alphabetico, quibus deplorat ærumnas gentis suæ.

Epistolam quoque ad populum captivum in Babylone, qua eum hortatur, ut in fide persistat. Hanc Epistolam posuit Baruch in extremo libro suo.

Fuit autem *Baruch* minister & Amanuensis Hieremiæ, & præter ea quæ

scripsit Hieremia dictante, scripsit proprium volumen quinque capitum, in quibus prædicit apertissime Divinam Incarnationem.

Tertius est *Ezechiel*, qui prædicit liberationem sui populi a captivitate, adventum Christi Domini, aliaque mysteria, & structuram Templi, sed obscure.

Quartus & ultimus est *Daniel*, qui scripsit multa de Christo, nec non de morte ejus, & de excæcatione Judæorum: item de Anti Christo & præliis ejus. Prædixit progressum quatuor præcipuorum regnorum, & de bellis futuris inter Græcos & Persas, & inter successores Alexandri Magni, tam perspicue, ut ejus Prophetia rerum gestarum historia videatur.

DE PROPHETIS MINORIBUS.

DUodecim hi sunt, quorum primus *Oseas*. Prædixit hic captivitatem decem Tribuum, & deinde captivitatem etiam aliarum duarum.

2. *Joel*, prædixit duabus Tribubus, quibus Propheta datus erat a Deo, Babilonicam captivitatem: & in extremo Vaticinio, prædicit adventum Messiæ, & Spiritus Sancti in Apostolos, & ultimum Judicii diem.

3. *Amos*, prædixit & ipse captivitatem, & alia gravia flagella, & gravissime in scelera invectus est.

4. *Abdias*, prophetavit contra Idumæos, & non solum prædixit eorum exitium, sed etiam causam exitii, quia videlicet tempore captivitatis Babilonicæ futuri essent socii Chaldæorum contra filios Israel.

5. *Jonas*, prophetavit contra Ninivitas, & quamvis agentibus illis pœnitentiam, Deus tunc pepercerit, tamen postea reversis ad iniquitatem Deus exitium immisit, quod *Jonas* prædixit, ut dicitur in libro Tobiæ cap. 14.

6. *Michæas*, prædixit primam captivitatem decem Tribuum, & secundam duarum Tribuum. Prædixit etiam adventum Christi, & Nativitatem in Bethleem, & conversionem Gentium.

7. *Nahum*, prædixit exitium Regis Assyriorum, & vastationem Ninive per Chaldæos, nec hos prævalituros contra Jerusalem, sicut prævaluerant contra Samariam.

8. *Habacuc*, diversus ab eo, qui attulit prandium Danieli, prædixit adventum Chaldæorum, & Babilonycam captivitatem, & vastationem eorumdem Chaldæorum, quæ facta est per Medos, & Persas: & tand m prædixit adventum Christi, Passionem, Resurrectionem, & secundum Adventum in gloria.

9. *Sophonias*, prædixit excidium Palæstinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum & aliarum gentium: Prædixit etiam conversionem gentium, & ruinam idololatriæ -- Denique prædixit Christi Resurrectionem, Judæorum excœcationem & exitium ultimum: tandem Ecclesiæ gloriam & fœlicitatem.

10. *Aggæus*, hortatur populum ad reædificationem Templi, quod dicit fore multo gloriosius quam primum; subintelligit enim Ecclesiam Christi.

11. *Zacharias*, similiter hortatur ad ædificationem Templi, & ad timorem Domini &c. Prædicit quoque multa per varias similitudines de fælicitate Ecclesiæ Christianæ, & de ultima Judæorum ruina.

12. *Malachias* ultimus, prædicit abolitionem Sacrificiorum Judæorum, & institutionem sacrificii novi, toto orbe offerendi. Prædicit quoque ultimum judicium, & conversionem præcedentem Judæorum per Eliam. Invehitur vehementer in negligentiam Sacerdotum, & in alia vitia.

DE

DE

LIBRIS MACHABÆORUM.

Scopus horum librorum est conscribere gesta, & prælia Judæ, Jonathæ, & Simonis Fratrum Machabæorum contra Antiochum aliosque Hebræorum hostes per annos circiter 60.

Judas omnium primus dictus fuit *Machabæus*, id est extinctor, seu occisor, inde sic appellati etiam Jonathas, & Simon, eorumque posteri.

Fuerunt autem Judas, ejusque fratres & posteri electi a populo, & constituti Duces, aut Principes, non autem Reges.

Probabile est primum librum scriptum fuisse a Joanne Hircano filio Simonis Fratris Judæ Machabæi, qui patri Simoni in Principatum æque, ac Pontificatum successit.

Secundi libri Historia fuse a Jasone Cyrenensi quinque libris conscripta fuit, quam in Epitomen contraxit, & librum secundum confecit primarius Sacerdos.

DE

NOVO TESTAMENTO.

Q. QUot, *& qui sunt libri novi Testamenti?*

R. Viginti septem, & ex iis alii sunt legales -- Nempe quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem.

Historicus unicus est, nempe liber Actuum Apostolorum a Luca Evangelista conscriptus.

Propheticus unicus est, scilicet Apocalypsis Joannis Apostoli.

Morales sunt quatuordecim Epistolæ Beati Pauli Apostoli: Ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses. Duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos.

Petri Apostoli duæ: Joannis Apostoli tres: Jacobi Apostoli una: Judæ Apostoli una.

Q. *Quare hæ septem ultimæ Epistolæ Catholicæ vocantur?*

R. Catholicæ dicuntur, id est *universales*, eo quod non ad personam privatam, ut multæ ex Epistolis Pauli, sed ad universam Ecclesiam directæ sunt.

S. Petrus in suis Epistolis totus est in sanctitate christiana; S. Joannes in caritate; S. Jacobus in oratione; S. Judas in fide Orthodoxa commendanda.

Q. *Quid continet aut quid enarratur in libro Actuum Apostolorum?*

R. In eo describitur infantia Ecclesiæ, nempe ejus fundatio in Judæa & Samaria; mox propagatio Evangelii per Syriam, Licaoniam, Pamphiliam, Græciam, aliasque gentes, opera Apostolorum, & præsertim S. Pauli facta.

Ejus Auctor, ut diximus, fuit S. Lucas Medicus Antiochenus, inde S. Pauli discipulus.

Q. *Omnes libri recensiti utriusque Testamenti, suntne canonici?*

R. Ante responsionem scire oportet, quod Canon duo significet. 1. Normam seu Regulam quam sequimur.

2. Catalogum seu numerum aliquarum rerum. Utroque sensu libri Scripturæ vocantur Canonici. *Priori* quidem, quia continent normam seu regulam, quam in fide & moribus sequi debemus. *Posteriori*, quia in catalogum librorum divinorum relati sunt.

Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri Vulgata Latina Editione habentur pro sacris & canonicis non susceperit &c. Anathema sit, Conc. Trid. sess. 4.

Q. *Si libri isti omnes sint canonici, cur ergo Lutherani, & Calvinistæ ex Veteri Testamento libros Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum, & ex Novo, Epistolam ad Hebræos, Jacobi, & Judæ* ex Canone expunxerunt?

R. Ex eadem causa qua omnes Veteris Testamenti libros reijciebant *Manichæi*, & alii Hæretici, de quibus S. Augustinus in libro de dono perseverantiæ: *Scripturas sic accipiunt, ut suo quodam privilegio, imo sacrilegio, quod volunt sumant, quod nolunt reijciant.*

Q. *Præfati libri non fuerunt in Canone Judæorum; Nonne etiam excludi debent a Canone Christianorum?*

R. Certe non sequitur: Non enim Canon Hebræorum, sed Ecclesiæ facit libros Canonicos: deinde Canon Judæorum consignatus fuit ab Esdra, at suo tempore nondum scripti erant V. G. libri Machabæorum; quid ergo mirum, si in illum Canonem relati non fuerint.

Nec refert quod antiqui Patres in primitiva Ecclesia supradictos libros pro Canonicis non habuerint, quia Ecclesia tunc nondum definierat illos esse recipiendos ut a Spiritu Sancto dictatos -- Esse autem genuinos Sacræ Scripturæ libros, testantur S. *Hieronymus* in Epistola ad Paulinum, *Innocentius* primus Pontifex Maximus, qui vixit circa annum 402. in Epistola ad Exuperium Tolosanum Episcopum: & tandem pluribus in Conciliis ut Carthaginensi tertio -- Can. 47. sub *Gelasio* I. Romano, sub *Eugenio* IV. & Tridentino citato definitum fuit.

Fatemur ergo aliquos libros ante definitionem *Innocentii* primi non fuisse habitos pro Canonicis, & sic Patres primorum sæculorum potuisse de iis vel dubitare, vel aliter sentire. At nunc facta & approbata legitima declaratione, dubitationi, vel contrariæ opinioni locus non est.

Q. *Quotuplex est Sacræ Scripturæ sensus?*

R. Duplex, *Litteralis* seu historicus unus, *spiritualis* seu Mysticus alter -- *Litteralis* est ille, quem ipsa verba proxime & immediate nobis exhibent, sive verba illa sint propria, sive metaphorica. *Spiritualis* est, qui non per ipsa verba, sed per rem significatam, nobis a Spiritu Sancto exhibetur. Ut V. G. *Aqua* litteraliter significat Elementum: *Congregentur Aquæ in locum unum*, Gen.

Alio loco spiritualiter tribulationes significat, ut Psal. 63. *Transivimus per ignem, & aquam.* Alio loco gratiam, mundi prosperitates, Baptismum &c. Sic Manna eodem loco litteraliter significat cibum Cœlestem datum Israelitis in deserto, mystice Eucharistiam.

Q. *Quotuplex est sensus spiritualis?*

R. Triplex juxta Theologos. Nempe Allegoricus, Anagogicus, & Moralis seu Tropologicus; qui omnes hoc duplici versu designari solent.

Littera gesta docet: quid credas Allegoria:
Moralis quid agas: quid speres Anagogia.

Sicut enim tres sunt virtutes Theologicæ, fides, spes, charitas, ita tres sunt sensus mystici. *Allegoricus* est dum verba ultra sensum litteralem significant aliquid pertinens ad *fidem*, aut Ecclesiam militantem -- Sic *Serpens æneus* allegorice significat *Christi Crucem.*

Anagogicus, dum voces præter sensum naturalem important aliquid spectans ad *spem*, seu Beatitudinem, aut Ecclesiam Triumphantem, aut vitam æternam, quam speramus: sic hæc verba: *introibunt in requiem meam*, Psal. 94. *litteraliter* significant *Terram Promissionis* in Palæstina, *Anagogice* Cœlestem patriam, ubi est vera requies.

Moralis, seu Tropologicus est quando verba Scripturæ ultra sensum litteralem important aliquid pertinens ad instructionem morum, vel ad officia

charitatis: quo pacto illud Deuteronomii 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, secundum litteram intelligendus est de *veris bobus*: at moraliter de *operariis Evangelicis*; qui non debent impediri, quo minus recipiant sustentationem a populo, juxta illud Apostoli: *dignus est operarius mercede sua*; & aliud *qui Altari servit, de Altari vivere debet*.

Q. *Ex dictis agnosco, quadruplicem esse sensum Sacræ Scripturæ; quinam ex scriptoribus Ecclesiasticis hos sensus clarius explicarunt?*

R. Recte dicis: Sensus Sacræ Scripturæ quatuor sunt, 1. Litteralis, 2. Allegoricus, 3. Anagogicus, 4. Moralis, quos dilucide exposuerunt quatuor Ecclesiæ Doctores -- Hieronymus *litteralem*, qui est de rebus gestis, Ambrosius, *Allegoricum* qui est de credendis, Augustinus *Anagogicum*, qui est de sperandis. Gregorius *Moralem*, qui est de faciendis -- Non quod quilibet horum Patrum modo unum, modo alterum sensum non exposuerint, sed quod in recensitis quilibet in particulari excelluerit. Sixtus senensis libro 3. Bibliorum, cujusque laus fuerit, his versibus declarat.

Historiam Hebræis & Græcis fontibus haustam,
Hieronymo disces duce.
Allegorias, Anagogiasque recludent
Origenes & Ambrosius.
Exponent Sensus formandis moribus aptos
Chrysostomus, & Gregorius.
In dubiis, altaque locis caligine mersis,
Augustinus lucem feret

Q. *Estne sensus Scripturæ obscurus, aut clarus?*

R. Hæretici docentes Lectionem Scripturæ esse omnibus utilem, etiam docent eam esse omnibus intelligibilem, perspicuam & facilem -- Nos vero licet fateamur in quibusdam locis claram esse, in multis tamen obscuram esse declaramus cum Sancto Petro, qui loquens de Epistolis Pauli ait: *in quibus sunt quædam difficilia intellectu* &c. 2. Pet. 3. Quod confirmatur exemplis ipsiusmet Sacræ Scripturæ, 1. Discipulorum euntium in Emmaus, qui non intelligebant Scripturam, donec Christus interpretaretur, Luc. 22.

2. Eunuchi Reginæ Æthyopum, qui Philippo interroganti an intelligeret Isaiam, quem legebat, respondit: *Quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi*, Act. 8.

3. Ipsorummet Apostolorum, qui multa eorum, quæ a Christo dicebantur non intelligebant, ut habetur Lucæ 18. *Ipsi nihil horum intellexerunt* -- Et Matthæi 15. Dominum requirebant, ut *ipsis explicaret Parabolam Zizaniorum*.

Deinde si Scriptura esset intellectu facilis, ad quid tot interpretes, tot commentaria, tot quæstiones, tot circa illam inter ipsosmet Hæreticos altercationes & dissensiones? Quare Lutherani & Calvinistæ diversimode interpretantur illud Christi: *Hoc est Corpus meum* & multa alia loca circa fidem? Vel debent se ipsos accusare de perversa interpretatione, vel fateri scripturæ sensum non esse semper facilem & obvium.

Q. Quid respondendum Hæreticis, dum sequentes nobis opponunt textus: *Mandatum, quod ego præcipio tibi, non est supra te*, Deu. 30. *Præceptum Domini lucidum*, Psal. 19. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, Psal. 118. &c.

R. Neg

R. Non negamus aliquam partem Scripturæ esse claram, ut sunt V. G. præcepta Decalogi, præcepta cæremonialia, & judicialia legis Mosaicæ, sed sustinemus id non posse dici de tota Sacra Scriptura. Et ad præfatos textus alios opponimus ex iisdem Psalmis: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua - Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas*, Psal. 118. &c. Ergo Scriptura non est clara: Cum David singulari auxilio Dei indigeat, ut ipsam intelligat.

Unde si dicatur *Lux*, *lucerna*, *lumen &c.* non est talis, nisi quando bene intellecta & perspecta est quo ad omnem sensum; tunc dirigit hominem in actibus suis instar lucernæ vel luminis, ut clare videre possit quid ex Dei voluntate agendum sit, & quid omittendum.

Q. Unde provenit Scripturæ Sacræ obscuritas?

R. Ob duas potissimum causas. Prima est, *ex parte rerum*, quæ tractantur in Scriptura, ut Prophetiæ, Mysteria Fidei, præsertim de Trinitate, Incarnatione, prædestinatione, de præsentia Christi in Eucharistia &c. quæ omnia certe superant humanum captum.

Secunda ratio obscuritatis est ex parte modi, quo res tractantur, & qui sæpe obscurus est sequentibus de causis, quia in Scriptura multæ sunt locutiones figuratæ, tropi, metaphoræ, allegoriæ, quibus multæ veritates occultantur.

Quia in ipsa occurrunt apparentes contradictiones, quæ lectoribus magnam pariunt difficultatem, in quibus contradictionibus conciliandis multum insudarunt Sancti Patres, quorum labores, si ad nos non pervenissent, in magnis adhuc tenebris versaremur.

Quia non servatur in ea ordo rerum gestarum, & quia sæpe occurrunt Hebraismi, qui a paucis intelligi possunt, & ob multas alias causas, quæ videri possunt apud auctores.

Q. Cur Deus obscuram voluerit Scripturam?

R. Plures hujus rei causas Doctores reddunt, cur Scripturam de se obscuram, etiam ex modo tractandi obscuriorem Deus voluerit.

Siquidem voluit uti in rebus aliis, ita in Ecclesia esse Ordinem, ut alii essent qui discerent; alii qui docerent, & interpretarentur, quomodo in corpore humano variæ sunt functiones membrorum, ut observat S. Paulus.

Secundo, facilitas Scripturæ multum diminueret illius auctoritatem, etiam apud infideles, & ita Sanctum daretur canibus, qui eam conculcarent.

Tertio, daretur multis occasio arrogantiæ & præsumptionis, ut videmus apud Hæreticos, quibus Scriptura est perspicua. Cum in hac obscuritate prudentes & timorati, suæ imbecillitatis conscii, ad Deum, vel Ecclesiam confugiant, ut verum illius sensum assequantur; dicendo cum Davide; *Da mihi intellectum & scrutabor Legem tuam*, Psalm. 118.

Q. Estne liberum unicuique legere Sacram Scripturam idiomate vernaculo?

R. Hoc justissime vetuit Ecclesia per regulam quartam indicis librorum prohibitorum, editi jussu Concilii Tridentini, ubi hæc ratio affertur: *Experimento manifestum est, si Sacra Biblia, vulgari lingua passim sine discrimine permittatur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri.*

Cum non omnes sint capaces verum Scripturæ sensum intelligendi, facilè in falsum detorquent, & semel seducti in errore perseverant, ut quotidie videmus in Lutheranis, & Calvinistis.

Sunt enim multa, ait S. Petrus, *in Epistolis Pauli, intellectu difficilia, quæ indocti & instabiles depravant, si-*

cut

eut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem, 2. Petr. 3.

Unde jure merito Lectionem Sacræ Scripturæ non omnibus indifferenter concedit Ecclesia, sed solum iis, quibus convenire judicat.

Aliis notitia Mysteriorum fidei & præceptorum sufficienter traditur Catechismis, concionibus, lectionibus piorum librorum, Parochorum instructionibus &c.

Esto igitur quod antiquitus Biblia legeretur communiter indifferenterque ab omnibus, teste Theodoreto, *Sermone de Natura*; Modo tamen Ecclesia catholica fidei, morumque Magistra sancivit ob rationes adductas, absque licentia legi non posse in lingua vernacula, citra temeritatem & peccatum mortale, *Concil. Trid. sess. 22. cap. 8. Can. 9.*

DE TRADITIONIBUS.

Q. QUid nomine *Traditionis significatur?*

R. Per Traditionem de qua hic agimus, intelligitur, *Doctrina Saera non scripta; sed viva voce ab uno ad alterum transmissa, parem cum Scriptura auctoritatem habens.*

Dixi, *non scripta*, saltem a sui exordio; successu enim temporis per Sanctos Patres conscripta fuit, & in eorum codicibus reperitur.

Q. Quotuplex est Traditio?

R. Triplex, Divina Apostolica, Ecclesiastica. *Divina*, est quæ immediate a Christo Apostolos docente, processit.

Apostolica, quæ ab ipsis Apostolis tradita est. Quod si fuerit a Deo inspirata, etiam *Divina* dicitur.

Ecclesiastica, quæ nec a Christo, nec ab Apostolis, sed ab Ecclesiæ Prælatis introducta est.

Q. Quæ sunt illa nostræ Religionis dogmata, quæ fide credimus, & in Sacris litteris non sunt expressa?

R. Plurima; inter quæ. 1. Quod Symbolum fidei, sit vere canonicum & Apostolicum. 2. Quod Spiritus Sanctus procedat a *Patre & Filio*, quod aperte in Scriptura non habetur. 3. Quod infantes sint baptizandi, licet fidei actualis capaces non sint, quam tamen requirere videtur Christus, dicendo, *qui crediderit & baptizatus fuerit, & Docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*

4. Quod baptizati ab Hæreticis, non sint rebaptizandi.

5. Quod in Baptismo debeat pronunciari hæc verborum forma: *Ego te Baptizo, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Dixit quidem Christus, ut Apostoli baptizarent in *Nomine Patris Filii & Spiritus Sancti*, sed non *expresse* jussit, ut hæc verba pronunciarent, sine quibus tamen nec nos, nec Hæretici Baptismum validum haberemus.

6. Quod sit certus & determinatus Sacramentorum numerus.

7. Quod Evangelia Mathæi, Marci, Lucæ, Joannis sint a Spiritu Sancto dictata,

8. Quod Maria Mater Christi semper fuerit Virgo, etiam post partum &c.

Hæc in Scripturis non continentur, sunt tamen fidei Doctrina non scripta: igitur tradita.

Q. Quæ sunt Traditiones Apostolicæ;

R. Sequentes inter alias recensentur. Exorcismi & Cæremoniæ, quæ adhibentur in Baptismo, 2. Chrismatis renovatio singulis annis facienda, 3. Trina mersio in Baptismo, 4. Mixtio aquæ cum Vino in calice Eucharistico, 5. Benedictio aquæ, 6. Quatuor temporum institutio &c. 7 inuocatio Sanctorum, 8. Cultus Sacrarum Imagiuum, 9. Jejunium Quadragesimæ, 10. Festivitas diei Dominicæ loco Sabbati &c.

Q. Quæ

Q. *Quæ sunt Traditiones Ecclesiasticæ?*

R. Inter alias hæ numerantur, 1. Solemnitas & observatio quorumdam festorum, 2. Jejunium in pervigiliis aliquorum Sanctorum, 3. Abstinentia a carnibus die Veneris & Sabbati, 4. Antiquus Candelarum, Cinerum, Palmarum & similium benedictionis usus, aliæque hujusmodi, quæ licet parem non habeant cum traditionibus Divinis & Apostolicis auctoritatem, merito tamen a Christianis servari debent. *Insolentissimæ insaniæ est disputare, an faciendum sit, quod tota per Orbem frequentet Ecclesia*, ait Augustinus Epist. 118.

Q. *Traditiones suntne necessariæ.*

R. Negant Hæretici, volentes sufficere verbum Dei scriptum; sed inepte. Admittunt Sacram Scripturam esse verbum Dei, & quod tota illa Scriptura, præsertim in iis quæ ad fidem, & salutem necessaria sunt, incorrupta perseveret: ergo admittere necessario debent traditiones; tum quia quod hi libri sint Scriptura Divina, ab initio a Deo inspirata & dictata, antequam ab Ecclesia definiretur, ex sola traditione habebatur.

Et licet Scriptura diceret *se esse a Deo*, nisi aliunde mihi constet, non teneor magis ei credere, quam Alcorano, si in ipso legerem, se esse missum a Deo.

Tum quia Sacra Scriptura docet esse aliquas traditiones, easque esse admittendas.

Q. *Qui sunt illi textus ex quibus colligi potest tenendas esse Traditiones?*

R. Varii sunt ex utroque Testamento: *Narrabis filio tuo, quod fecit Dominus &c.* Exod. 8. *Interroga Patrem tuum & annunciabit tibi, majores tuos & dicent tibi*, Deut. 32. *Ubi sunt mirabilia Dei, quæ narraverunt, Patres nostri annunciaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum*, Psal. 43. *Quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis*, Psal. 77.

Ex quibus constat traditionem fuisse Judæis a Deo præceptam, & licet multa forent scripta, ad Scripturam tamen non remittebantur, sed ad traditionem; forte quia Scriptura pro tunc non erat collecta in unum volumen, vel quia Liber Deuteronomii, qui erat præcipuus inter libros Veteris Testamenti, non habebatur passim a populo. Unum siquidem exemplar a Rege, alterum a Sacerdotibus custodiebatur in Arca Domini.

Confirmatur etiam assertio nostra ex Novo Testamento. S. Paulus ad Thessalonicenses scribens: *Itaque fratres*, ait, *state, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*, 2. Thessal. cap. 2. & ad Timotheum: *Tu ergo Fili mi... quæ audisti a me per multos testes; hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere*, 2. ad Tim. 2.

Ex his patet, quod non omnia per epistolam tradiderit Apostolus, sed multa sine litteris: Eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista, Chrys. Hom. 4. in 2. ad Thessal.

Q. *Habent ergo traditiones parem vim & auctoritatem cum Scriptura?*

R. Æqualem omnino. Verbum enim Dei *viva voce* prolatum æqualiter est infallibile, & consequenter *nostræ fidei Regula*, ac si foret *litteris exaratum*: non sortitur suam auctoritatem ab atramento aut caracteribus, sed ab ipso Deo, qui est Veritas ipsa. Unde non magis *doctrina* Matthæi, & aliorum Evangelistarum *scripta* est verbum Dei, quam doctrina Philippi, Andreæ, Bartholomæi &c. quam ipsi viva voce prædicarunt; quia Deus his, sicut & aliis eam inspiravit.

Christus ipse suam doctrinam non scriptis mandavit, nec præcepit unquam Apostolis, ut aliquid scriberent, sed ut prædicarent & docerent.

Ante Moysen nulla extabat Scriptura,

ta, & tamen sola Traditione per bis mille annos fuit conservata in ipsis hominibus vera Religio.

Tandem Hæretici ipsi, qui traditiones reiicere profitentur, eas de facto admittunt. Credunt enim quod infantes sint baptizandi, & quod baptizati ab Hæreticis non sint rebaptizandi; quod Evangelium *Matthæi* sit Canonicum, non vero *Nicodemi &c.* atqui non continentur clare hi articuli in Scripturis; ergo reipsa credunt quæ scripta non sunt: ergo velint nolint, sunt necessariæ ipsis, æque ac nobis traditiones.

Q. Quid respondendum est, dum obiiciunt, Deum prohibuisse addere ad ea quæ præcepta sunt: *Non addetis ad verbum quod ego loquor vobis, nec auferetis ex eo*, Deut. 4. & Paulum anathematizare *etiam Angelos, si aliquid aliud evangelizant, præterquamquod evangelizatum est*, ad Gal. 1.

R. Dicendum est Deum in primo loco nihil aliud exigere, quam ut Israelitæ præcepta cæremonialia & judicialia integre & perfecte observarent; quasi diceret, nihil in eorum observatione vel addetis, vel detrahetis; non vero prohibuit addere nova præcepta, alioquin non liceret recipere *Evangelium*.

Potest etiam dici, prohibuisse, ne quis privata auctoritate, vel prava interpretatione mandata corrumpendo aliquid de suo superaddat

Deinde prædicta verba vel ad Judæos, & Christianos simul diriguntur, vel ad Judæos solum. Si primum, cur adversarii legem Mosaicam non observant? Cur se non circumcidunt? Cur alias legales cœremonias intermittunt? Si ad solos Judæos, cur illa adducunt contra nos? *Non addetis, non auferetis &c.* quæ æque militant contra ipsos.

Ad secundum, dicendum Apostolum anathematizare eum, qui contraria, non qui consona evangelizaret.

Damnat solum quosdam falsos Apostolos, qui prædicabant Circumcisionem & alias cœremonias Mosaicas ultra fidem in Christum necessarias esse ad salutem: non vero traditiones, quas dixit *tenendas* esse.

Hoc argumentum retorqueri potest contra adversarios hoc modo, Apostolus dixit: *Tenete traditiones*; adversarii contrarium docent; ergo aliud ab Apostolo evangelizant; ergo *anathema sunt*.

Q. Quomodo intelligendum est illud Joannis: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super ipsum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit, auferet partem ejus de libro vitæ*, Apocal. 22.

R. Sic accipienda sunt hæc verba: puniendos esse illos, qui apponerent aliquid de suo tanquam esset pars hujus Prophetiæ, aut aliquid detraherent, quasi ad illam non pertineret: non vero intendit Joannes rejicere omnia præter librum suum Apocalipticum, alioquin non liceret admittere Prophetias Isaiæ, & aliorum, nec ipsamet Evangelia.

Mirum qua ratione Lutherani & Calvinistæ hunc textum nobis objiciant, qui non solum diminuunt de libro hoc, sed nec eum pro Canonico habent.

Q. Si Scriptura, ut dicit Apostolus Paulus, *divinitus inspirata utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*, 2. Tim. 3. nonne superfluæ sunt traditiones?

R. Puerile est istud argumentum; idem fere est ac si quis diceret: utilis est cibus ad nutriendum; ergo supervacaneus est potus; utile est Vetus Testamentum; ergo Novum est inutile; utilis est oratio ad salutem; ergo superfluit eleemosina: similes argumentationes sunt ridiculæ, nec responsione indigent.

Q. Si,

Q. *Si necessaria aut utiles sint traditiones*; cur ergo Judæos reprehendit Christus dicens: *irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*? Matth. 15.

R. Loquitur ibi Christus contra Pharisæos, & ipsos reprehendit, non quod traditiones a Moyse & aliis Prophetis acceptas servarent; sed quia ipsis male utebantur ad jactantiam & vanam gloriam, juxta illud: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus*, Matth. 23.

Secundo ipsos redarguit propter certas traditiones humanas, quarum aliquæ *inutiles* erant: ut quod ante sumptionem cibi lavandæ essent manus. 2. quod etiam inter comedendum illa lotio sæpius esset repetenda &c.

Aliæ *periculosæ*, ut, quod cum peccatoribus non esset sumendus cibus. 2. Quod nequidem permittendum esset, ut quis a peccatoribus tangeretur.

Aliæ *falsæ*, ut quod in Sabbato non liceret ægros sanare. 2. Spicas eo die vellere & comedere, etiam si quis fame premeretur. 3. Quod omnium rerum etiam minimarum decimæ offerendæ essent. 4. Quod filii non tenerentur reipsa parentes suos honorare, aut illis bene facere: sed quod abunde sufficeret munus aliquod offerre, & multæ aliæ similes.

Q. *Unde cognoscendum est traditionem aliquam esse Divinam, vel Apostolicam*?

R. Bellarminus sequentes tradit regulas.

Prima est, quando Ecclesia universa credit aliquid tanquam de fide, quod non reperitur in Sacra Scriptura.

2. Quando servat aliquid non scriptum quod a solo Deo potuit constitui: ut quod parvuli possint baptizari; quod talis materia & forma in Sacramentis sit adhibenda.

3. Dum aliquid semper in Ecclesia servatum est, nec legitur institutionis initium, ut quod aqua miscenda sit vino in Calice, &c.

Quod universa tenet Ecclesia, inquit S. Augustinus, *nec in Conciliis institutum, sed semper retentum, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*, Lib. 1. contra Donat. c. 24.

DE
SYMBOLO FIDEI CHRISTIANÆ.

Q. QUid est Symbolum?

R. Symbolum vox græca est, quæ multipliciter sumitur, 1. pro plurium rerum in commune collatione, 2. pro signo quodam militari, quo veri milites ab aliis discernuntur, 3. pro regula fidei, sive summa capitum fidei, quæ omnibus credenda proponuntur.

Q. *Quid est Symbolum Apostolorum*.

R. Est collectio præcipuorum articulorum fidei christianæ per Apostolos facta, non quidem litteris, sed *viva voce* tradita.

Q. *Unde constat hoc Symbolum fuisse vere ab Apostolis editum*?

R. Ex superius relata celebri regula S. Augustini: *quod universa tenet Ecclesia, nec in Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*: atqui tale est *Symbolum* quod vulgo dicitur *Apostolorum*: semper enim in Ecclesia retentum fuit, nec ab ullo Concilio, vel Pontifice invenitur institutum, ergo &c.

Credatur, inquit S. Ambrosius, *Symbolum Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat*, Epist. 7. ad Syricium.

Q. *Cur symbolum istud inter Scripturas Canonicas non recensetur*?

R. 1. Ideo est, quia non fuit ab Apostolis scripto traditum. 2. Quia Ecclesia nullibi definivit de *fide esse*, Symbolum istud fuisse ab Apostolis conditum,

tum,

tum, & traditum. Temerarium tamen foret oppositum asserere; quia hoc communi Patrum consensui & traditioni repugnaret.

Licet ergo Symbolum hoc sit vere Apostolicum; quia tamen non est ab his scripto traditum, nec per Ecclesiam definitum, non potest esse Scriptura Canonica, cum Scriptura Canonica sit scripto tradita; & de fide est, quod sit ab Auctoribus sacris.

Nec obstat quod *Sanctus Lucas*; qui acta Apostolorum scripsit, vel alius Evangelista de Symbolo hoc mentionem non fecerit. Multa enim sunt certa, quorum non meminit *S. Lucas*, vel alter Evangelista, *ut de adventu S. Petri ad urbem Romam*; ergone, inde falsus ille Petri Romam adventus?

Q. *Quare Apostoli Symbolum illud condiderunt?*

R. Variis de causis, 1. ut ipsimet Apostoli haberent eamdem fidei regulam, quam omnes omnibus populis proponerent.

Secundo, ut præcipua fidei dogmata breviter & summatim collecta facilius a fidelibus addiscerentur, retinerentur, crederentur, & ubi opus esset aliis exponerentur: *Ideo breviter confectum est Symbolum*, ait Augustinus, *ut mentem instruat, nec oneret memoriam*, Serm de Temp. 119.

Tertio, ut omnes fideles per orbem dispersi in eadem doctrina convenirent.

Quarto, ut fideles recitantes Symbolum, fidei & spei Christianæ professionem facerent.

Quinto, ut per dictum Symbolum fideles ab infidelibus distinguerentur.

Sexto, ut Doctores ex principiis in Symbolo contentis plurima quæ ad fidem christianam pertinent deducere possent.

Septimo, ut doctrina Symboli omnium Apostolorum testimonio comprobaretur.

Octavo, ut per hanc fidei regulam occasio errandi in fide tolleretur.

Q. *Quandonam illud Apostoli composuerunt?*

R. Eodem anno, quo passus est Christus, ut vult Ruffinus, vel certe anno decimo post Passionem, ut docet Baronius. Probabilior est prima sententia. Unde Apostoli, accepto mandato a Domino Jesu Christo, ut in universum proficiscerentur mundum, *& omni creaturæ Evangelium prædicarent*, hanc doctrinæ summam composuerunt, & iis, qui obedirent Evangelio, tradendam censuerunt, ut ubique una eademque esset, & servaretur doctrina; & ut fideles ab infidelibus per ejusdem fidei regulæ professionem internoscerentur.

Q. *Composuerunt ne Apostoli Symbolum in commune, an vero singuli singulas Symboli sententias protulerunt?*

R. Symbolum conflatum esse ab omnibus simul Apostolis volunt nonnulli: alii contendunt quemlibet illorum unum singillatim articulum apposuisse. Res tamen incerta est. Ultimæ opinioni favere videtur S. Leo, dicens: *ipsa Catholici Symboli brevis & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis*, Epist. 13.

Hanc opinionem amplexi sunt gravissimi Theologi, inter quos S. Bonaventura *in 3. distinct. 25. art. 1. quæst. 2.* & noster Doctor subtilis Joannes Duns Scotus, *in 3. sent. dist. 25. quæst. 1. lit. C.* ubi, Theulo referente in suo libro intitulato, *Scotus Moralis*, hæc habet.

Petrus tres Articulos complexus est in unum, scilicet quantum ad unitatem essentiæ, Credo *in unum Deum:* quantum ad omnipotentiam Patris, *Patrem omnipotentem:* quantum ad opus creationis, *Creatorem cœli & terræ*.

Joannes posuit Articulum de persona filii; *Et in Jesum Filium ejus unicum Dominum nostrum*.

Jacobus Zebedæi, seu major, conjunxit Articulos de Conceptione, & de Nativitate: *Qui conceptus est de Spiritu San-*

Sancto, natus ex Maria Virgine.

Andreas poſuit Articulum de Paſſione: *Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & ſepultus.*

Philippus egit de deſcenſu ad inferos: *Deſcendit ad inferos.*

Thomas poſuit Reſurrectionem: *tertia die reſurrexit a mortuis.*

Bartholomæus Aſcenſionem: *Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris.*

Matthæus adventum ad judicium: *inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.*

Jacobus Alphæi, ſeu minor, Articulum de Spiritu Sancto: *Credo in Spiritum Sanctum.*

Articulum quo ad opus gratificationis duo Apoſtoli poſuerunt: nam *Simon* poſuit effectum gratiæ quo ad collationem boni, *Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum Communionem*; Et *Judas* Jacobi poſuit effectum gratiæ quoad mali remotionem, *remiſſionem peccatorum.*

Matthias tandem poſuit glorificationem, carnis reſurrectionem, & vitam æternam.

Q. *Quare hæ ſententiæ Articuli vocantur?*

R. Sicut corporis membra articulis diſtinguuntur, ſic etiam in Symbolo quidquid diſtincte & ſeparatim ab alio, peculiarem continens diffinitatem nobis credendum proponitur, apte Articulus vocatur.

Q. *Continetne Symbolum Apoſtolorum omnia quæ Chriſtiani credere debent, ut ſalutem conſequantur?*

R. Non continet quidem *explicite* omnia quæ ſunt credenda, bene vero *implicite*. Primum patet oculis; nulla enim in hoc Symbolo fit mentio de Sacramentis, de Euchariſtia, de Invocatione Sanctorum, de Purgatorio, de Indulgentiis, de Summo Pontifice, de ejus primatu &c., quia ſi de omnibus his & ſimilibus loqueretur, non eſſet proprie Symbolum, ſeu compendium fidei, nec infirmorum juvaret memoriam.

Quoad ſecundum patet ex eo quod Symbolum Apoſtolorum continet articulos, qui ſunt fundamenta, & generalia fidei noſtræ principia.

Ex quibus principiis aliæ veritates elici poſſunt; v. g. omnia quæ citata ſunt, reducuntur ad articulum quo credimus *Sanctam Eccleſiam*: credendo enim Sanctæ Eccleſiæ, credere oportet Indulgentias, Purgatorium, Præſentiam Chriſti realem in Sacramento Altaris, Sanctos eſſe colendos & invocandos, Papam Vicarium eſſe Chriſti, ſupremumque in Eccleſia habere regimen, Miſſam eſſe verum Sacrificium &c. Et multa alia, quæ Eccleſia tanquam orthodoxa determinavit &c.

Q. *Omnes illi articuli in Symbolo expreſſi habenturne in Evangelio?*

R. Quod *Chriſtus deſcenderit ad inferos*, non habetur in Evangelio: & tamen hoc tenendum eſt, ſicut articulus fidei, quia ponitur in Symbolo Apoſtolorum. Multa etiam de Sacramentis Eccleſiæ non ſunt expreſſa in Evangelio; & tamen Eccleſia tenet illa eſſe tradita certitudinaliter ab Apoſtolis.

Nec Chriſtus ipſe docuit omnia pertinentia ad diſpenſationem Sacramentorum: dixit enim diſcipulis ſuis; *adhuc habeo multa vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo: cum autem venerit ſpiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem*, Joan. c. 16.

Multa igitur eos Spiritus Sanctus docuit, quæ non ſunt ſcripta in Evangelio.

Q. *Quot ſunt Symboli partes?*

R. Tres. Prima primam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam, *Patrem* ſcilicet reſpicit: Secunda *Filium*: Tertia *Spiritum Sanctum*; pro ut videbimus poſtea.

Q. *Eſtne neceſſarium cuilibet homini credere diſtincte omnes illos articulos fidei?*

R. Minime. Deus enim ad impossibile non cogit: ideo si sit aliquis rudis, qui non possit concipere quid est *Natura*, & quid est *Persona*, non est necesse quod habeat actum explicitum de articulo pertinente ad essentiæ unitatem, & personarum Trinitatem *distincte*, sicut habent litterati.

Si non posset talia intelligere, sufficit quod credat sicut Ecclesia credit. Ita Scotus in 3. sent. dist. 25. quæst. 1.

Q. *Teneturne quilibet Christianus scire memoriter totum Symbolum Apostolorum?*

R. Sic est: saltem *quo ad substantiam*. Professio enim Christianæ Religionis exigit, ut non ignorentur præcipua ejus mysteria, Divinitatis, Humanitatis Christi, ac Redemptionis naturæ, & status vitæ futuræ, quæ omnia in Symbolo collecta sunt.

Olim tenebantur Catechumeni, antequam ad Baptismum essent admissi, memoriter recitare illud. Sic fuerat statutum in Concilio Laodicensi, his verbis; *Baptizandos oportet fidei Symbolum discere*, Can. *non licet*, & quidem lingua, quam noverant, quia aliter vix habere possunt notitiam sufficientem mysteriorum.

Dixi, *saltem quoad substantiam*. Quædam sunt circumstantiæ, quæ non cadunt sub strictam obligationem, ut quod passus fuerit Christus *sub Pontio Pilato*: quod resurrexerit *tertia die &c.*

Nec absolute requiritur, ut sciant articulos eo ordine quo positi sunt: sufficit, quod de iis interrogati possint respondere.

Q. *Cur præter Symbolum Apostolorum alia Symbola sunt?*

R. Ad clarius profitendam fidem Catholicam contra varios errores, qui post tempora Apostolorum subinde pullularunt. Omnia Symbola quoad substantiam sunt unum & idem: in hoc solum differunt, quod unum alio sit clarius & explicatius: imo fuerunt necessaria fidelibus, maxime in iis locis, ubi exortæ sunt hæreses, ne facile deciperentur.

Q. *Numquid ista Symbolorum multitudo indicat aliquam in fide contrarietatem?*

R. Nullo modo, quia Symbolum posterius nihil asserit quod sit contrarium Symbolo Apostolorum, sed tantum illud magis explicat, addendo aliqua verba articulis illis, circa quos errores novi exoriebantur.

Q. *Quæ sunt illa præcipua Symbola in Ecclesia recepta?*

R. Duo, Symbolum nempe Constantinopolitanum, & aliud S. Athanasii; principaliora recensentur, quia in Ecclesia magis usitata.

Q. *Quandonam fuerunt condita?*

R. Primum confectum fuit in Concilio Constantinopolitano anno 381. celebrato. Et est expositio & auctarium ejus, quod in Concilio *Niceno* anno 325. congreato, tempore Constantini Imperatoris, sub S. Sylvestro Papa, & a trecentis & octodecim Episcopis, sanctitate, miraculis, & doctrina conspicuis, compositum fuerat, in urbe scilicet Nicæa, quamobrem & *Nicænum* appellatum est.

Secundum est *S. Athanasii*, a Concilio *Augustodunensi in Galliis* anno 670. commendatum.

Dicitur *Athanasii*, quia summam fidei continet, cujus Sanctus Athanasius assertor fuit & vindex; non vero quod fuerit ab ipso compositum, pro ut communis opinio inter eruditos jam invaluit. Non desunt tamen gravissimi Auctores contrarium sentientes, Symbolum nempe Athanasii esse ipsius genuinum fœtum.

Antiquitus recitabatur quotidie ad Primam in Officio divino: pro nunc solum dicitur in diebus Dominicis.

Q. *Quare Symbolum Apostolorum sub-*

 mis-

miſſa voce dicitur in officio divino ; Symbolum vero Conſtantinopolitanum alta voce recitatur, vel canitur in Miſſarum ſolemniis?

R. Ratio eſt, *quod Conſtantinopolitanum fuerit conditum fide jam manifeſta, & Eccleſia pacem habente, propter hoc publice in miſſa cantatur: Symbolum autem Apoſtolorum quod tempore perſecutionis conditum fuit, fide nondum publica, occulte dicitur in prima & completorio, quaſi contra tenebras errorum præteritorum, & futurorum.* Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 9.

Q. *Qua de cauſa omiſſa ſunt in Symbolo Miſsæ, hæc verba,* deſcendit ad inferos, *quæ recitantur in Symbolo Apoſtolorum?*

R. Ratio eſſe poteſt, quod circa hunc articulum nullum unquam fuerit motum dubium, nec unquam, quod ſcitur, ab ullo hæretico negatus fuit deſcenſus Chriſti ad inferos: hinc nova non indigebat confirmatione, nec ſpeciali declaratione a Patribus in Concilio congregatis ſicut alii articuli.

Q. *Quare Eccleſia Romana ſemper retinuit Symbolum Apoſtolorum, pro ut ab ipſis traditum fuit?*

R. Quia, nulla Hæreſis ortum ibi habuit, ſicut in aliis Eccleſiis Orientalibus: unde neceſſe non fuit aliquid prædicto Symbolo addere, quo refutarentur hæreſes, & ſic intactum permanſit.

DE PRIMO SYMBOLI ARTICULO

Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cœli & Terræ.

CREDO

Q. *Quis ſenſus iſtius Verbi, Credo?*

R. *Credo*, hoc eſt, pro certo habeo quidquid in his duodecim articulis continetur. Et ratio hujus mei aſcenſus eſt *Deus ipſe*, qui hos revelavit Apoſtolis.

Apoſtoli deinde eos Eccleſiæ tradiderunt, & Eccleſia eos nobis proponit. *Et quia impoſſibile eſt mentiri Deum,* Heb. 6. majori certitudine adhibeo ipſis fidem, & aſſenſum, licet ſuperent rationis meæ comprehenſionem, quam iis rebus quas cerno propriis oculis, & propriis tango manibus, & humana ratione cognoſco: eligeremque potius mori & extrema quæque ſupplicia pati, ut fecerunt tot milliones Martyrum, quam vel minimum articulum negare, aut in dubium vocare.

Q. *Qua ratione res tanta caligine obſeratas, & incomprehenſibiles ſic firmiſſime credere debemus?*

R. Sufficit quod ſciamus Deum eas revelaſſe.

Rationes autem perquirere, divinaque myſteria, & judicia ſcrutari non licet: *qui ſcrutator eſt majeſtatis opprimetur a gloria*, Prov. 21. & alibi. *Altiora te ne quæſieris: ſed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita, & in pluribus ejus operibus ne fueris curioſus*, Eccleſ. 3.

Si arrogantis & impudentis hominis eſt, gravi ac ſapienti viro aliquid affirmanti fidem non habere; ſed præterea ur-

urgere, ut quod dixerit, rationibus aut testibus probetur, quantæ temeritatis ac stultitiæ est, Dei voces audientem, cœlestis ac salutaris doctrinæ rationes requirere?

In captivitatem igitur redigere debemus intellectum nostrum in obsequium fidei, 2. Corint. 10.

Credidit Abraham Deo, inquit S. Ambrosius, *& quia rationem non quæsivit, sed promptissima fide credidit, reputatum est ei justitiam*, Lib. 1. de Abrah. cap. 3.

Q. *Credere sine ratione, numquid est levem corde se demonstrare? qui autem levis est corde, & citò credit, facile decipitur*, Ezech. 9.

R. Verum est, quod qui facile credit, *credulitate humana*, facile decipiatur: non autem *fide Divina*.

Nec nos mysteria quæ a Deo, & ab Ecclesia nobis credenda proponuntur, vera esse sine ratione credimus, cum testante Propheta: *Testimonia Dei credibilia facta sint nimis*, Psal. 92.

Q. *Quæ sunt ista rationes, seu motiva credibilitatis?*

R. Multa sunt & tanta, ut homini, *passione non prevento*, non possit fides nostra non apparere vera. Sunt autem sequentia.

1. Prophetarum vaticinia. 2. Miracula. 3. Populorum consensus. 4. Evangelii propagatio. 5. Constantia Martyrum. 6. Doctrinæ Christianæ sanctitas.

Quantum ad primum, certum est prædictionem futurorum non posse esse, nisi a Deo; juxta illud: *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quod Dii estis vos*, Isaiæ 41. atqui quæ Prophetæ longe ante prænunciarunt, v. g. de Christi Nativitate ex Virgine, Passione, Morte, Resurrectione, Ascensione &c. adamussim completa esse cernimus; ergo fides nostra a Deo est; ergo vera est. Multa adhuc prædicta remanent, quæ necdum advenerunt, ut quod Christus judicaturus sit vivos & mortuos; quod homines resurgere habent in corporibus suis; quod vita futura erit æterna. Hæc non videmus, sed speramus &c.

Q. *Quid respondendum Ethnico dicenti, libros Prophetarum confectos esse post factum a Christianis?*

R. Opponendum est testimonium inimicorum nostrorum, Judæorum nempe, a quibus libros illos accepimus. Ipsi nobis porrexerunt codices Isaiæ, Aggæi, Psalmorum, & aliorum Prophetarum, quos longe ante adventum Christi legebant in synagogis suis: atqui libri isti futura prænunciabant ea omnia quæ de Christo diximus, & adimpleta nunc cernimus. Ridiculum est ergo dicere, Christianos conscripsisse *ut futura* ea quæ viderunt fieri, cum libri citati non sint Christianorum, sed Judæorum, Christi inimicorum, qui eosdem libros adhuc hodiedum legunt, & religiose conservant.

Q. *Quomodo ex miraculis fides nostra esse vera comprobatur?*

R. Quia miracula cum superent vires naturæ, sola virtute divina fieri possunt. Deus autem fallere & falli incapax, miracula patrare non potest in confirmationem falsæ doctrinæ; igitur ex illis bene sequitur Religionis Christianæ doctrinam verissimam esse.

Ut merito dixerit Hugo de S. Victore, *si error est, a te Domine decepti sumus: nam ista quæ credimus, tantis prodigiis confirmata sunt, quæ non nisi a te fieri possunt.*

Q. *Prodigiosa illa miracula quæ narrantur, nonne possunt esse fictitia.*

R. Nequaquam; conscripta enim sunt a personis fide dignis; a discipulis Jesu-Christi, & aliis viris Sanctis, qui eorum oculati testes fuerunt, nec ullum habebant motivum homines fallendi: unde prodigia ab illis relata negare est prodigium omnium maximum in medium adferre; illud nempe, quod innumeri homines terreni, carnales, suis

superstitionibus addicti, nullis visis signis aut prodigiis, amplexati sunt Religionem carni, sanguini, & cupiditatibus omnino adversantem, ubi prædicatur Deus Crucifixus, ubi præcipitur peccatorum confessio, amor inimicorum, divitiarum contemptus, corporis mortificatio &c.

Unde recte concludit S. Augustinus contra infideles, miracula facta esse negantes: *hoc unum nobis grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis credidit*, Lib. 22. de Civ. Dei, cap. 5.

Et alibi ait, *quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit*, cap. 8.

Q. *Perseveratne adhuc istud donum miraculorum?*

R. Ita: in Ecclesia Catholica Romana hoc donum perseverabit usque ad finem mundi: Et quamvis amplius ita frequentia non sint miracula nostro tempore, nec forsitan erunt imposterum, sicut in principio, utpote non ita necessaria, propagata jam & confirmata Religione Christiana; Deus tamen omnipotens miracula per servos suos patrare non cessat, ubi necesse est ad confirmandam fidem, ad sopitam fidelium devotionem excitandam, ad magnificentiæ gloriæ suæ ostensionem, ad hæreticorum pervicaciam confundendam, & multis aliis de causis.

Q. *Explices paucis reliqua motiva.*

R. Tertium motivum petitur *ex hominum consensu* in Religionem, quæ tam multa proponit credenda, sensibus repugnantia, & omnem intelligentiam superantia, quæ præcepta tradit ardua, duraque, naturalem hominum inclinationem invertentia, & alia ut supra retulimus.

Quartum argumentum est *stupenda fidei nostræ propagatio*. Quid enim mirabilius, quam quod piscatores illiterati, pauperes, abjecti, omni humano subsidio destituti, sine armis, nulli vim inferendo, non divitias, honores, voluptates proponendo, sed cruces, persecutiones, tribulationes annunciando, cum obligatione illas æquo hilarique animo ferendi, tolerandique, sola bona invisibilia pro altera vita promittendo; quid inquam mirabilius, quam quod viri illi ignobiles potuerint homines carnales, non simplices & plebejos solum, sed etiam sapientissimos Philosophos, Politicos, potentissimos Reges, Imperatores, imo fere totum mundum ad hanc strictissimam Religionem amplectendam adducere?

Quintum est *constantia Martyrum*, quos nec tormentorum vis, nec exquisitæ crudelitatis supplicia, nec mortes acerbissimæ, nec munerum & dignitatem oblatio, nec cujusvis generis tentatio, imo nec tota dæmonum machina potuit evertere: imo quo magis sæviebat persecutio, eo magis crescebat fidelium numerus. *Sanguis Martyrum*, inquit Tertullianus, *semen est Christianorum*, Apolog. cap. 1.

Sextum est *Doctrinæ Christianæ Sanctitas*. In ea enim docetur charitas Dei & proximi, concupiscentiæ omniumque passionum refrænatio, vitæ innocentiæ, pudicitia, non corporis tantum, sed & animi; mundi, suique ipsius contemptus; inimicorum amor, beneficientia, misericordia, humilitas, mansuetudo; in adversis patientia; uno verbo, vitiorum detestatio, & omnium virtutum exercitatio.

Post hæc cum Pico Mirandulano concludere debemus, *magna* inquit, *insania est Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia stupenda probant, ratio confirmat, doctrinæ puritas docet, elementa loquuntur, dæmones confitentur* &c.

DE MARTYRIO.

Q. *HÆretici, qui pro sua fide mortem subeunt, nonne & ipsi Martyres dici possunt?*

R. Minime, quia non moriuntur pro vera fide Jesu-Christi, quæ in sola Ecclesia Romana reperitur: *Martyrem, non supplicium, sed causa facit*, ait S. Cyprianus, Epist. 104.

An illi damnentur? Affirmat S. Fulgentius, his verbis: *firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hæreticum cum diabolo*, æterno ignis incendio, *participandum, nisi ante finem vitæ catholicæ fuerit incorporatus Ecclesiæ*, De Fide ad Petrum, cap. 39.

Q. *Quid est Martyrium?*

R. Martyrium nomen Græcum est, quod significat *confessionem*, seu *testimonium* Deo datum per passionem, aut mortem pro ipso toleratam. Dixi per *passionem*, quia antiquitus Martyres etiam vocabantur, qui aliqua supplicia pro fide sustinuerant. Dixi *pro Deo*, nam non pœna, sed causa Martyres facit. Pœna est communis latroni & Martyri, Hæretico & Catholico, qui omnes mortem pati possunt, sed dispar est causa, quia Martyr moritur ut testis, hoc est, pro tuenda divinitate, aut fide Catholica.

Q. *Qui sunt Martyrii effectus?*

R. Cum Martyrium Baptismo comparetur, gratiam confert tam parvulis quam adultis, & hos ultimos penitus purgat ab omni culpa tam mortali quam veniali, nisi voluntatem actualiter peccato inhærentem habuerint.

Secundo, remittit peccatum originale cum omnibus aliis, si quæ sint, & hoc ex speciali privilegio, aut publica protestatione a Christo facta: *qui perdiderit animam suam*, id est vitam suam, *propter me, inveniet eam*, Matth. 16. v. 25. & quidem ex *opere operato*, ut docent nonnulli; & patet in parvulis ab Herode occisis, in quibus Martyrium non potuit causare gratiam ex *opere operantis*, defectu usus rationis: unde de Martyribus dicitur: *laverunt stolas suas in sanguine agni*, Apoc. 7. & idcirco Ecclesia Innocentes a temporibus usque Apostolorum semper coluit ut *veros Martyres*.

Tertio tandem Martyrium remittit omnem pœnam peccato debitam, tam æternam, quam temporalem, & quidem infallibiliter, quatenus nempe Christus voluit, ut Martyri imitatori suæ passionis remittatur tota culpa & pœna.

Hinc Augustinus clare confitetur *injuriam facere Martyri eum, qui orat pro Martyre, cujus debemus orationibus commendari*, Serm. 17. de verb. Apost.

Q. *Quæ requiritur in adultis acceptatio mortis ad Martyrium?*

R. Ut mors Martyrem faciat, requiritur *quod sit ab eo acceptata*; quia adulto non datur gratia nisi volenti, nec Deus in suam amicitiam admittit, nisi in illam aliquo modo consentiat, ut patet in Sacramentis, ad quorum valorem requiritur intentio & consensus suscipientis.

Secundo, talis debet esse, ut *Martyr non se defendat*, aut resistat, quia alioquin non satis Christo se conformaret, qui ut habetur, 1. Petri 2. *cum pateretur, non comminabatur*, & Isaiæ 53. *quasi agnus coram tondente se obmutuit*.

Hinc Christiani milites nostri, qui in bello Sancto contra Turcas fidei causa pugnantes occiduntur, non sunt Martyres. Nunquam enim tales pro Martyribus agnovit Ecclesia, licet plurimum mereantur.

Quod si aliqui Sancti Patres quosdam Sanctos Confessores vocent *Martyres*, loquuntur de Martyrio per quamdam similitudinem.

Tertio, debet esse mors & si sponte electa, attamen *violenta & injusta*, a tyranno veritatem & justitiam, aut aliquam virtutem persequente illata.

Hinc qui se exponunt pro servitio pestiferorum, & in eo moriuntur, non sunt proprie martyres; sed solum per quandam similitudinem: *Qui contempserunt vitam mundi, pervenerunt ad regina cœlestia*. Qui enim sic moritur, maximam charitatem erga Deum & proximum ostendit se habere, declarante Christo apud S. Joannem: *majorem charitatem neminem habere, quam ut animam suam ponat pro amicis suis*, cap. 15.

Quarto, causa mortis debet esse *honesta*, ex motivo *supernaturali*, cum sit actus virtutis: quia si non sit causa honesta, erit Martyr Diaboli, non Christi -- Si non sit ex motivo supernaturali, moritur non ut *Christianus* sed ut *Philosophus*.

Unde si quis mortem sibi in odium Christi illatam sustineret ob *vanam gloriam*, ut constans & fortis appareret, non esset martyr -- Ut igitur aliquis sit verus martyr debet mortem pati ob *honestam causam*, qualis est conservatio fidei, religionis, castitatis, immunitatis ecclesiæ, vel ob aliam qualemcumque christianam virtutem.

Q. *Quæ dispositio requiritur ad martyrium?*

R. In homine justo & in gratia Dei existente non alia requiritur dispositio, quam ipse status gratiæ.

Quod si quis non foret baptizatus, teneretur ante martyrium suscipere Baptismum, si occasionem haberet. Quod si negligeret, non haberet gratiam per martyrium, neque per Pœnitentiam -- Si vero baptizatus sit, & in peccato mortali, tenetur si potest peccata confiteri, etiam si per contritionem deleta, si necdum fuerint clavibus subjecta.

Item tenetur conari elicere actum amoris Dei super omnia, & contritionis, saltem si peccata occurrant; subiturus enim martyrium non liberatur ab obligationibus, quæ sunt omnibus *etiam justis* communes.

In Peccatore, præter acceptationem mortis requiritur *pœnitentia* seu *dolor supernaturalis* de peccatis, vel *formalis*, vel saltem *virtualis*.

Colligitur ex Concilio Tridentino ubi sess. 14. can. 1. declaratur: Pœnitentiam universis *hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent*, quovis tempore *ad gratiam consequendam necessariam esse, etiam illis qui Baptismi Sacramento ablui petivissent*.

Si ergo semper necessaria fuit pœnitentia ad effectum Baptismi & Sacramenti Pœnitentiæ, a fortiori requiritur ad effectum martyrii, cum dicta Sacramenta sint media *per se* instituta ad justificationem peccatoris, non martyrium.

Q. *Quid esset de illo, qui existens in peccato mortali, & dormiens in odium Christi occideretur?*

R. Actum esset de salute ipsius, supposito quod ante somnum peccatum non retractaverit, nec actum doloris, seu contritionis, aut saltem attritionis elicuerit.

Sicut enim Baptismus in re, vel in voto est ad salutem necessarius his, qui ante peccaverunt; ita & Pœnitentia his qui peccaverunt post Baptismum: Qui dixit: Nisi *quis renatus fuerit*; etiam dixit: *Nisi Pœnitentiam egeritis, omnes peribitis* -- Ita ut si quis mortem pro Christo subiret, & actualiter adhæreret peccato mortali, aut cum jam in martyrii agone constitutus esset, peccata in mentem ipsius venirent, & de iis non doleret, non salvaretur, sed ad infernum descenderet: *Nihil enim coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum*, Apoc. 11. Dormiens autem in peccato lethali est coinquinatus; ergo si tunc occidatur, non admittetur in Regnum cœlorum. Quamquam eo ipso quo quis mortem obiret ob Dei causam, ipsamet martyrii susceptio voluntaria esset actus amoris, quo præcepto divinæ dilectionis satisfaceret.

Unde

Unde suadendum est omnibus Catholicis, ut ante quam mortem subeant, actum amoris Dei eliciant, quam poterunt perfectissimum; imo ad id tenentur, in quantum in mortis articulo urget præceptum amoris Dei, & morituri ex charitate erga se ipsos tenentur quam possunt certissime suæ saluti consulere: *Si Corpus meum tradidero*, inquit Paulus, *ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, Corinth. 13.

Item suadendum est omnibus & singulis, ut frequenter in vita se Deo offerant, ad subeundum pro Christo martyrium, quod maximæ charitatis indicium est; Etenim nulla securior via perveniendi ad coronam immortalem, quam pro Christo mortem subire.

Idcirco Ecclesia in solemnitatibus Martyrum ita canit: *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti; & quia* pro ejus amore *sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.*

Hoc est: Maruerunt habere coronam illam perpetuam, quia tradiderunt corpora sua *propter Deum* ad supplicia.

Q. *Quinam heretici martyrium improbaverunt?*

R. Plures numerantur. Aliqui, ut *Cerinthiani* blasphemi martyres afficiebant; alii negabant absolute, meritorium esse martyrium. *Basilidiani* tempore *Adriani* Imperatoris, & *Alexandri* Papæ Primi circa annum 224, stultum fore tempore persecutionis mori pro fide Christi profitenda reputabant: Credebant enim vitam esse ita rebus omnibus præferendam, ut ab unoquoque posset citra crimen Christus negari pro vita ipsa conservanda.

Paulo post, anno scilicet 239. regnante *Julio Maximo* Imperatore, & *Fabiano* Pontifice Ecclesiam regente, eamdem hæresim amplexi sunt *Elchesaitæ*, sic dicti a quodam Pseudo Propheta, nomine *Elchesæ*. Hi dicebant negare Christum non esse peccatum, ac proinde martyrium nedum esse superfluum, imo perniciosum, & de genere homicidii, quia putabant, velle mori pro Christo idem esse ac velle *se occidere inordinate & indebite*; Et ideo asserebant, nullum hominem posse assequi vitam æternam moriendo, etiam ex motivo dilectionis Dei & charitatis, quia, ut dicebant, hæc dilectio non dispensat in præcepto *non occides*.

Eorum ratio erat, quia, *qui in corde suo fixus est se in fide permansurum, potest Christum lingua negare tempore persecutionis &c.*

At hæc ratio est impia, ut colligi potest ex superadictis gratiæ & benedictionis effectibus martyrio annexis, qui certe non nisi a causa bona, & Deo grata provenire possunt.

Q. *Si conservatio vitæ sit homini naturalis, qua ratione potest inculpabiliter se voluntarie martyrio exponere?*

R. Quia martyrium quod est actus virtutis quadruplicis, fortitudinis scilicet, patientiæ, charitatis & fidei, quo ad vitam æternam pervenitur, prævalet conservationi vitæ corruptibilis, absque eo quod violetur præceptum *non occides*.

Nonne licet civibus pro defensione Reipublicæ mori, & militibus pro defensione Regis, etiam cum vitæ periculo, militare? A fortiori licebit nobis exponere vitam, dum urget necessitas tuendi existentiam & veritatem auctoris vitæ, quippe cum ab ipso & in ipso vivamus, moveamur & simus, certumque habeamus testimonium de gloria cœlesti statim in æternum consequenda.

Q. *Si quis pro suis peccatis, & cœlo securius acquirendo se ipsum interimeret, esset ne martyr?*

R. Nequaquam, sed verus homicida foret.

Refert Augustinus lib. de Hæref. cap. 69. quod anno Domini 349. tempore

Constantii Imperatoris, & *Julii* Papæ, quidam hæretici *Circumcelliones* dicti terram circuirent, ut ille qui eos inveniret, occideret eos -- imo si quibus occurrerent, ipsos cogebant ad tantum nefas perpetrandum, quod tamen rem meritoriam, & honorabilem falso existimabant; credentes ad Martyrium nihil aliud requiri præter occisionem, illumque esse martyrem, qui ab alio occisus esset, quacumque ex causa.

Dum vero non inveniebatur qui vellet occidere eos, per mortes varias, maxime præcipitiorum, aquarum & ignium se ipsos necare consueverant: Et in hunc furorem alios seducebant, ut se ipsos occiderent, si vellent pervenire ad Palmam martyrii.

Petilianus secta Donatista pariter sustinebat eos, qui se pro peccatis interimunt, debere martyres nuncupari, eo quod in se puniant delicta quæ commiserunt, & moriantur pro eo, pro quo mortuus est Christus, scilicet pro *peccato*.

Q. *Quid opponendum istis hæreticis?*

R. *Primo* dicendum, quod Deus ob peccatum commissum non exigat a delinquente mortem sui corporis, sed pœnitentiam; ait enim: *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat.*

Secundo, occidens se ipsum aut petens ab alio occidi, non potest esse martyr, quia martyrium pro objecto Deum habet; unde mori pro se, aut pro alio motivo distincto a Deo, non potest habere vim, nec naturam martyrii, cum non interficiatur pro ejus gloria, adeoque potius homicida est quam martyr.

Deinde Deus hoc præcepto non *occides* quamlibet hominis occisionem prohibet, si excipiatur illa, quæ fit ex mandato judicis in vindictam malefactorum juxta illud: *maleficos ne patiaris vivere*, Exod. 22. v. 18. Unde si non licet occidere alium, multo minus licebit se ipsum occidere, aut velle occidi ab alio, præciso motivo charitatis, aut sublata necessitate profitendi fidem Christi.

Audiatur Augustinus: *Vide ne tibi subrepat*, inquit, *ut te ipsum velis occidere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo* animam tuam.

Hinc enim quidam maligni atque perversi homines, & in se ipsis crudeliores ac sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt.

Hoc Christus non docuit; imo etiam Diabolo sibi præcipitium suggerenti respondit, redi retro Satanas, *scriptum est enim: non tentabis Dominum Deum tuum.*

Petro autem dixit.... Cum esses junior.... ibas quo volebas, cum autem senueris, alter te feret quo tu non vis, *ubi satis expressit, non a se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi*, Tract. 31. in Joann.

Q. *Qua ratione ergo Ecclesia celebrat martyria quarumdam Virginum & Confessorum qui se ipsos in flumen, aut ignem projecerunt?*

R. Verum est, quod plura referantur exempla tam in Veteri Testamento quam in Ecclesiastica Historia -- *Fortissimus Sampson* se ipsum cum hostibus ruina domus oppressit: Quod si de facto hoc laudetur, hoc est, inquiunt SS. Augustinus & Thomas, *Quod latenter Spiritus Sanctus hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.*

Idemque de Sanctis quibusdam Virginibus & fœminis, quæ sibi ipsis mortem procurarunt, ut S. *Apollonia*, S. *Pelagia*, ejusque sorores & mater, & non nullæ aliæ, quas, ut insectatores suæ pudicitiæ devitarent tempore persecutionis, speciali Spiritus Santi impulsu mortem sibi ipsis procurasse pie creditur. Et hæc exempla suscipienda sunt, non imitanda: *ne violemus præcepta*

dum

dum passim sectamur exempla; Aug. lib. contra Mend. cap. 9.

Nisi ergo constet de revelatione Dei, nullus potest se ipsum morti tradere. Nemo tamen facile huic revelationi credere debet, & nisi sit evidens utilitas Ecclesiæ, cultusque divini, reijcienda est tanquam illusio Diaboli: sic neque in pœnitentiam alicujus peccati commissi potest quis sibi mortem injungere: Pœnitentia enim fieri debet juxta *præscriptum Ecclesiæ*, & non juxta *exemplum Judæ* proditoris qui pœnitentia ductus *laqueo se suspendit*.

Hanc autem occisionem fuisse factam propter peccatum commissum, constat ex propria ipsius confessione: *Peccavi tradens sanguinem justum*; & tamen Judas non obstante hac morte est damnatus.

Neque etiam ad evitandum periculum proximum peccati potest quis se ipsum interficere; quia debet expectare auxilium a Deo, qui fidelis non permittet nos tentari supra vires; taliter quod virgo proxime opprimenda ab infideli nequit se interficere, ut conservet Virginitatem: Non enim est crimen mulieris per violentiam violatæ, si consensus non adsit; quia *non inquinat r corpus, nisi de consensu mentis*, ut præclare testata est Lucia ad Paschasium Præfectum, ad lupanar eam duci volentem; cui Beata Virgo corde virili respondit; *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*. In tali igitur casu Virgo voluntate dissentiens non peccat, & remanet intrinsece Virgo, licet in corpore corrupta.

Q. *Num licet carnem macerare jejuniis, flagellis, vigiliis, & aliis pœnitentiæ modis, & instrumentis, quibus citius mors infertur?*

R. Hæc omnia licita sunt & laudanda, modo tendant ad bonum spirituale animæ, ut caro spiritui subjiciatur, non autem ad mortem, quæ omnibus prohibetur hoc præcepto Decalogi, *non occides* -- Apostolus de se ipso dicebat: *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, 1. Corinth. 9.

Hæc autem servitus non erat ad mortem, sed ad fugam peccati; id quod est virtutis opus.

Falsum tamen est, inquit Mastrius, licere sic se macerare *ex intentione citius moriendi*, quia hoc esset directe se sensim occidere. Unde si quis adverteret vitam suam jejuniis, & macerationibus carnis notabiliter minui & nihilominus continuaret *graviter peccaret*. Quod si moderate iis afflictionibus se afficeret ex intentione *placendi Deo*, & subjiciendi *carnem spiritui*, jam diximus esse licitum.... Quare concludendum est cum communi Doctorum, quod si quis contra regulas prudentiæ indiscrete supra vires suas sese cruciaret & affligeret, unde notabiliter vitam sibi breviorem redderet, peccati *homicidii* reus esset. Ita Mastrius. disp. XI. quæst. 6. art. 2.

Nullus enim ita dominus est vitæ suæ, ut possit se occidere, quin injuriam faciat Deo, qui est vitæ & mortis dominus.

Merito igitur Concilium Bracarense eos damnat qui se ipsos voluntarie & sponte occidunt, cum pro illis orare prohibeat: *Placuit ut qui sibi ipsis voluntarie, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo, violentam inferunt mortem nulla prorsus pro ipsis in oblatione fiat commemoratio*, cap. 34.

IN DEUM.

Q. E*Stne idem Credere in Deum, Credere Deum & Credere Deo*

R. Non certe idem est; *Credere Deo*, est credere verum esse quod Deus dixit, & in scripturis revelavit, & per Ecclesiam.

siam nos docuit -- *Credere Deum* est credere Deum esse. *Credere in Deum*, est amando credere in ipsum, *seu ire amore in Deum* credendo. Unde duo isti versus formati sunt.

Crede Deo, credasque Deum, plus credo valere,
Si credas in eum, quam quod ei, vel eum.

DE CHARITATE.

Q. *Quid est Charitas?*

R. Charitas *est virtus Theologica, qua Deus propter se ipsum, proximus autem*, per quem omnem hominem accipimus, *propter Deum diligitur.*

Duplex igitur est charitas, Dei & proximi.

Prior est amor *amicitiæ*, seu *benevolentiæ*, quo Deus propter se diligitur: hoc est, quo ei bonum volumus; quod si bonum illius ad nos referamus, ac potius nobis ipsis illud velimus, erit amor *concupiscentiæ*.

Quando autem ex illo Dei amore, seu propter Deum, diligimus proximum, est charitas proximi.

Q. *Estne a nobis diligendus Deus?*

R. Maxime, cum ipsum diligendi sit utriusque Testamenti primum & maximum mandatum. *Audi Israel, Dominus Deus noster unus est. Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*, Deuteron. 6.

Item: *Quid Dominus Deus tuus petit a te, quam ut timeas eum, & ambules in viis ejus, & diligas eum?* Deuteron. 10.

Ex novo Testamento. Interrogatus Jesus a Legis Doctore quod esset mandatum magnum in Lege? Respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum*, Matth. 22. v. 37. &c.

Q. *Quid est amare Deum ex toto corde &c.*

R. Est illum ita diligere, ut dilectio ipsius omnes alias superet dilectiones, plus diligere ipsum, quam cuncta omnia alia, id est, plusquam omnes parentes, scriptum enim est: *qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*, plusquam divitias, uxorem, liberos, & se ipsum: *si quis venit ad me, & non odit*, id est minus amat, *patrem & matrem, & uxorem, & filios, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse Discipulus* -- & ratio est, quod Deus præ omnibus absolute & simpliciter *sit bonus*, ita & præ omnibus est amandus; ita ut parati simus omnia prorsus relinquere, omnia supplicia perferre, vitam ipsam effundere, quam ut ipsum ullo modo offendamus.

In hoc consistere charitatem in Deum, declarat Paulus; *Quis nos separabit a charitate Christi? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus . . . . neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.*

Q. *Habemusne istius fortissimi in Deum amoris exempla?*

R. Prope infinita sunt. Unum ex Veteri Testamento referre lubet -- Machabæi septem fratres neque ingentibus Regis promissis corrupti sunt, neque minis territi -- Ad perferenda fortiter supplicia Mater hortatrix aderat; & magis ipsa animo torquebatur, verens, ne tormentis victi contra Dei Legem aliquid agere inclinarentur. Sed & feliciter consumpti, plus Deum, quam semetipsos diligendum, documento fuere; & Mater sic amandos Filios, ut eos quocumque mortis genere affici maluerit, quam peccare.

Ac ne in se, quam in liberos indulgentiorem fuisse putes, quos ad necem præmiserat, continuo sequi voluit -- Et quidem tanto lubentius, quam jam de eorum erga Deum fide magis fuit secura. Non supplicia reputabat; sed an *Deum amarent*, gloriosam experientiam, mu'taque charitate ardens, probari tam se, quam alios, pœnis acerbioribus gestiebat. *Lege librum Machabæorum.*

In Novo Testamento, intensissimum in Deum amorem testati sunt tot centena millia Martyrum, quorum Dei charitas non modo divitiarum, dignitatumque sæcularium atque bonorum, verum etiam vitæ contemptores fecit. Nullis tyrannorum minis suppliciisve absterreri potuerunt, ne nomen Dei ubique palam prædicarent, atque extollerent -- Dulcia illis tormenta erant, per quæ ad Christum ascendere, & cum illo jungi properabant -- Nihil illis formidini, nihil timori esse poterat, quoniam *perfecta charitas foris mittit timorem* -- Vehementiores pœnas expetierunt, ut *majoris amoris* testimonium redderent -- Sed nulla tam vehemens a persecutoribus excogitari potuit, ut æquaret patientium affectum; graviora tolerare parati erant, quam noverat inferre rabies inimici in ipsos debacchantis.

Q. Quo motivo Deum amare convenit?

R. Propter se ipsum, quia est *infinite bonus*, infinite *potens*, infinite *pulcher*, summe *amabilis*, igitur *summe diligendus*, unde si quis Deum amaret propter se, propter ejus beneficia recepta vel futura, pro adipiscenda gloria æterna, vel pro quocumque alio motivo, non esset *amor perfectus*; quia revera non amaret *Deum propter se ipsum;* sed esset amor *complacentiæ*, seu *concupiscentiæ*, qui potius ad spem pertinet, quam ad charitatem perfectam.

Debemus ergo Deum amare, quantum in nobis est, non spe præmii, nec timore pœnæ, sed quia est summum bonum; ita ut si nullus esset Paradisus, nec infernus existeret, nihilominus ipsum *ratione sui*, adhuc *toto corde* diligeremus.

Q. Possetne hoc aliquo confirmari exemplo.

R. Ita narratur de Sancto Ivone in vita ejus, quod designatus orator a *Ludovico Pio*, Galliarum Rege ad Sultanum Damascenum, obviam alicubi habuerit fæminam quandam vetulam altera manu testam prunis plenam, altera phialam aquæ gestantem.

Miratus ille, quid sibi id vellet, inquirit, cur sic ignem & aquam deferret: Respondit illa, hoc igne *Paradisum* comburere; aqua, *infernum* extinguere volo.

Et quid tam arduam rem moliris? inquit Ivo, quomodo Paradisum centrum, & fontem omnis boni & fælicitatis, qui homines ad virtutes magis arduas tam efficaci fune attrahit, destruere velle; Et infernalem ignem, undis necare, qui perversissimos quosque a vitiis retrahere valeret, haud capio: remque talem approbandam, minus tolerandam non censeo: Dic queso, *qua ratione id peragere velis, & intentas?* Respondit, christiana Mulier, *ut nemo imposterum bene operetur* præmii spe *inductus*, metuque *pœnarum* nullus a scelere desistat: *sed ut omnes vero amore*, quem Deo debemus, *accensi*, *recte vivamus*. Joinvil in vita Ludovici, c. 57.

Q. Quandonam tenetur homo elicere actum dilectionis Dei super omnia?

R. Theologi docent hominem ad actum amoris eliciendum teneri, primo, dum usum adeptus est rationis, & ei proponitur Deus amandus, & præceptum de illo amando.

2. Cum homo adultus Sanctum Baptismi Sacramentum suscipit, quia cum se totum Deo consecret, certo certius debet suum propositum firmare per amorem ipsius.

3. Ad

3. Ad exercendum divini amoris actum tenetur, cum ad justificationem se præparare debet extra Sacramentum Pœnitentiæ per contritionem, quæ ex charitate procedit, deficientibus ministris.

4. Cum singulare aliquod beneficium a Deo accipit; cum enim sit signum specialis amoris Dei erga nos, tunc cum magis redamare debet: ingrati animi vitium est immane, si non redamaveris beneficentissimum amantem, nihil ab alio postulantem præter amorem.

5. Obligat hoc præceptum amandi Deum specialius, juxta mentem Scoti, diebus *Dominicis & festivis*, quia ut ait, in hoc præcipue consistit sanctificatio Festorum, ut homo apud se maneat *se recolligendo, & ascendendo ad Deum*. Cum Ecclesia his diebus recolere soleat Dei perfectiones, mysteria & beneficia, & ad similes actus fidei, spei, & charitatis nos hortetur inter solemnia, & instruat ad illos formandos; ergo signum est quod hos a nobis exigat.

6. Cum ad Sacram mensam accedit, Eucharistiam sumpturus, quæ est pignus singularissimi amoris, quo Deus dilexit nos; rationabile videtur, ut ipse per actum similiter amoris Deo Jesu-Christo uniatur.

7. Quando gravi pulsatur tentatione; cum tunc periculum sit, ne separetur a charitate Dei, debet illico auxilium Dei implorare, protestando se illum super omnia diligere, & sic potius velle mori quam tentationi succumbere, & peccatum committere.

8. Quando est necessitas subeundi Martyrium.

9. Cum Deus blasphemiis impetitur, sacrilegiis inhonoratur, contemnitur aut gravi quodam scelere offenditur; & hæc qui videt, vel audit, si zelo Dei incensus sit, pro tantarum injuriarum reparatione, in actum vehementis amoris prosilict.

Tenetur tandem quilibet instante morte actum amoris Dei elicere, quia tunc urget receptio Sacramentorum Pœnitentiæ, Viatici, & Extremæ Unctionis: quæ hæc non prosunt sine quodam Dei amore.

Certum & indubitatum est, quod teneamur ipsum diligere: *Diliges Dominum Deum tuum &c.* Præceptum hoc, in quantum est affirmativum, obligat aliquando; ergo maxime imminente morte, quia tunc est periculum, ne occasio ejus nobis eripiatur, ut uniamus nos Deo.

Alia ratio est quod debeamus omni conatu æternam nostram salutem, & quantum in nobis est, certam facere; id quod fit principaliter cum actu perfecto amoris Dei, idoneo cum gratia Redemptoris ad hominem justificandum. Posset dari casus, ut homo non foret rite & veraciter baptizatus, vel quod non esset a peccatis absolutus ob aliquem defectum, sive ex parte pœnitentis, sive Confessarii; talis autem justificationis gratiam consequi potest per actum perfectum contritionis, seu amoris Dei; ergo in articulo mortis pro majori securitate ad talem actum tenemur.

Hinc consultissimum est toto mortalis hujus vitæ tempore, divini amoris actus exercere quam frequentissimos possumus.

Q. Estne diligendus proximus?

R. Certissime, & quidem sub stricto & gravi præcepto, dicente Christo: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, Matth. 21. Item: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem... Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Joann. 15. Deinde si teneamur diligere inimicos, & bene facere his, qui nos oderunt; quanto magis cœteros homines, cum nequidem inimici excipiantur.

Q. Quis est Proximus?

R. Nomine proximi intelliguntur omnes

omnes homines Beatitudinis capaces, sive justi, sive injusti, sive fideles, sive infideles, sive amici, sive inimici. Cum isti omnes sint Beatitudinis capaces, proximus noster censeri debent.

Q. Damnati sunt ne noster Proximus?

R. Minime, cum enim sint irrevocabiliter a Beatitudine exclusi, proximus noster censeri non debent, nec recta ratio suadet ut illis Beatitudinem velimus, aut per ordinem ad Beatitudem eos diligamus: Deinde Dæmones & damnati sunt a Deo in perpetuum separati, & sic non possunt amari ex charitate propter Deum, bene vero sancti, & animæ existentes in Purgatorio.

Q. Qua ratione tenemur inimicos diligere?

R. Quia hoc expresse præcepit Christus: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*, Matth. 5. Et hoc non est solum consilium, sed vere præceptum: unde necesse est inimicos amare, non quatenus inimici sunt, sed in quantum homines sunt, & Beatitudinis capaces.

Idem præceptum non modo de non odio habendo, sed etiam de benefaciendo inimicis expresse quoque habetur in veteri lege: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ*, Luc. 3.

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, da illi bibere, Proverb. 25.

Q. Quæ signa charitatis, seu dilectionis exibenda sunt inimicis?

R. Ea quæ communiter aliis hominibus ejusdem conditionis exhibere solemus. Non tamen tenemur eos peculiari actu diligere, nec specialia amoris signa eis exhibere, nisi omissio talium signorum scandalosa esset, aut si per aliquod illorum sine nostro incommodo possemus inimicum nobis & Deo reconciliare, id omittere esset grave; *cuilibet* enim *mandatum est de proximo suo*, & quilibet tenetur scandalum & proximi sui ruinam evitare, quoties potest absque gravi suo incommodo.

Q. Si inimicus se contritum de offensa demonstraret veniamque exposceret, teneremurne illi offensam dimittere?

R. Sic est, testante Christo: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester Cœlestis dimittet vobis peccata vestra*, Matth. 6. Nec quis sibi imaginetur sufficere externam condonationem; etiam interiori cordis affectu hanc præstandam esse declarat: *Sic & Pater meus Cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*, Matth. 18. Unde signa reconciliationis, dum opus est, exterius exhibenda sunt.

Qui plura vult, consulat Casuistas.

Q. Quis Ordo in dilectione proximi servandus est?

R. Certum est quod in charitate aliquis reperiatur Ordo, juxta illud: *ordinavit in me charitatem*, Canticorum *cap.* 2. Ex quo ordine Deus præ cœteris diligendus est, cum de ipso diligendo sit primum & maximum mandatum: unde Christus ait: *qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*, Matth. 10.

Deo enim potius bonum velle debemus, eumque offendere deterius æstimare, quam proximum, idque propter summam illius eminentiam & bonitatem: cum ergo diligere nihil aliud sit, quam bonum velle, & Deo bonum velle potius quam proximo debeamus; sequitur quod super omnia amandus sit.

2. Tenetur unusquisque magis diligere se ipsum, quam proximum: & patet ex citatis Sacræ Scripturæ textibus, ubi dilectio sui proponitur ut regula & exemplar amoris proximi: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Non dicitur, *quantum te ipsum*, sed *sicut*, id est ad instar tui; ita ut quæ quisque sibi vult venire bona, illi ve-

lit,

lit ; & quæ sibi accidere mala non vult, illi nolit accidere.

Unde si quis pro alterius vita temporali V. G. suam ipsam temporalem perdit, non est jam diligere illum *sicut se ipsum*, sed *plusquam se ipsum*, quod sanæ doctrinæ regulam excedit, plus enim tenetur homo providere vitæ suæ, quam alienæ, dummodo tamen omnia sint paria, nec intercedat quidquam quod sit altioris ordinis : sic vitam temporalem pro spirituali proximi ponere tenemur in casu necessitatis, ut V. G. Si baptizandus esset aliquis, aut absolvendus moribundus, & alius non adesset, qui faceret, tunc teneremur cum vitæ periculo baptizare, & moriturum absolvere: desumitur ex Scriptura : *debemus pro Fratribus animas ponere*, 1. Joann. 3.

Tandem post Deum, & seipsum : Primo diligendus est *Pater*, cum ab eo acceperimus quidquid habemus, 2. *Mater*, a qua etiam ducimus originem, 3. *Uxor*, quæ una caro reputatur cum sponso, 4. *Filii*, qui sunt conjunctiores, utpote de substantia Parentum, 5. post filios, *Fratres*, *Sorores*, & alii consanguinei, servato ordine, ut scilicet diligantur primo qui sunt conjunctiores, 6. *amici*, qui sunt magis diligendi inimicis, & *domestici*, & *familiares*, qui magis diligendi sunt quam extranei.

Q. Quibus in extrema necessitate prius succurrendum est ?

R. Conveniunt Doctores prius subveniendum esse parentibus, quam filiis, in articulo necessitatis ; cum enim Pater, & Mater dederint filiis esse, sic filii debent reddere illud parentibus, dum sunt suam existentiam amissuri.

2. Pater præferri debet Matri, quia vir est caput mulieris, & Pater nobilius concurrit ad generationem.

3. Parentes præferendi sunt Uxori, quia filius accepit ab ipsis bonum sui esse, non a conjuge : nec refert dictum illud : *Relinquet homo Patrem, & Matrem & adhærebit Uxori suæ*, Gen. 2. quia non quantum ad omnia deseritur Pater, & Mater, sed quantum ad habitationem, & ad res domesticas, facilius & commodius peragendas &c.

Inter consanguineos conjunctioribus prius succurendum est &c.

DE SPE.

Q. **C***Um debeamus amare Deum, tenemurne etiam in ipsum sperare.*

R. Quidam olim dixerunt, nullum extare præceptum spei affirmativum, sed solum negativum, scilicet nunquam de Deo desperandum. Certum tamen est de fide extare præceptum spei, non tantum negativum, sed etiam affirmativum, quo aliquando obligamur elicere actum spei, ut luculenter deducitur ex Scripturis : *Sperate in Domino*, Psalm. 4. *Beatus vir, qui sperat in eo*, Psalm. 33. *Fides est substantia rerum sperandarum*, Hebr. 11. *Spem non habentes sunt sine Deo in hoc mundo*, Ephes. 3. *Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum ; sed in Deo vivo*, 1. Timoth. 6.

Unde Augustinus ; *quam multa*, inquit, *nobis mandata sunt de spe, quis potest omnia colligere ?* Tract. 33. in Joann.

Ratio Theologorum est, quod omne medium ad salutem necessarium cadit sub præcepto ; sed actus spei est medium ad salutem necessarium ; ergo cadit sub præcepto.

Q. Quid est spes illa necessaria ad salutem ?

R. Spes est virtus nobis a Deo infusa, qua desideramus Deum, ut bonum infinitum secundum ordinem divinæ Sapientiæ. Hæc definitio est Scoti in 3. Dist. 26. quæst. unica. Unde præcipuus

mus ejus actus est amor concupiscentiæ erga Deum, quo Deum & Divina præ omnibus aliis nobis concupiscimus, ita ut parati simus potius omnia perdere, quam Deum & Divina.

Q. Quandonam obligat præceptum spei?

R. Præceptum spei affirmativum obligare aliquando in vita certissimum est ex supradictis. Alexander VII. propositionem sequentem proscripsit & condemnavit.

Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.

Duo tempora assignat Mastrius, in quibus homo per se tenetur ad actum Spei eliciendum. Alterum initio vitæ, quando quis sufficienter instructus de rebus fidei, ad Deum se convertere tenetur, tanquam ad ultimum finem per actus Fidei, Spei, & Charitatis, juxta illud: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator est*, Hæbr. 11.

Quando ergo homo sufficienter est instructus de æterna Beatitudine, ad quam conditi sumus, & de mediis ad illam assequendam necessariis, tenetur elicere actum spei.

Alterum tempus est finis vitæ, quando homo in extremo constitutus maxime in Deum sperare tenetur, ad quem migrandum est. Disput. 10. quæst. 2. art. 1.

Tenetur insuper aliquoties in vitæ decursu. Quoties autem, aut quo præcise tempore, non est determinatum.

Obligat autem per accidens, quando urget præceptum quarumdam virtutum, quæ exerceri non possunt sine spe, ut sunt actus orationis, pœnitentiæ &c.

Item, quando quis graviter tentatur desperatione cum periculo consensus, nisi tentationi resistat per actum spei. Tandem bonus Christianus sæpe in actum spei prorumpere debet.

Q. Possumus ne sperare in homine?

R. Cum solus Deus Beatitudinis & donorum supernaturalium auctor sit, ab illo solo ea sperare possumus, non vero ab homine, scilicet tanquam a causa principali: Unde scriptum est, *Maledictus homo, qui confidit in homine*, Jerem, cap. 17.

Possumus tamen sperare ab homine, tanquam a causa instrumentali, quatenus unus homo potest a Deo impetrare gratiam pro alio homine, & proinde Beatitudinem. Quo sensu S. Augustinus ita cum Virgine Maria loquitur: *Tu es spes unica peccatorum, per te speramus delictorum veniam, & in te Beatissima nostrorum est expectatio præmiorum*, Serm. 18. de Sanctis.

Q. Quodnam est motivum spei?

R. Est liberalitas, est misericordia Dei; ideo enim speramus nos aliquando consecuturos Beatitudinem, quia Deus illam nobis per suam bonitatem promisit; & auxilia ad illam acquirendam necessaria nobis pollicitus est.

Q. Estne licitum operari intuitu mercedis æternæ?

R. Hoc negant hæretici, affirmant Catholici ex Concilio Trident. sess. 6. can. 11. *Si quis dixerit hominem justificatum peccare, dum intuitu mercedis æternæ bene operatur, anathema sit.*

Unde Deus ipse proponit hoc motivum bene operandi: *Observa, & audi omnia quæ præcipio, ut bene sit tibi*, Deut. 12. Et David: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem*, Psalm. 18.

Et Lucæ 16. habetur, *facite eleemosinas, ut recipiant vos in æterna Tabernacula.*

Ratio est, quia operari bene ob mercedem, non est ex se malum, nec ulla lege prohibitum: Quod si S. Bernardus dixerit Deum esse diligendum *absque mer-*

mercedis intuitu, de charitate perfecta locutus est.

Q. Estne certa spes?

R. Spes quæ nititur promissis divinis, certissima est. *Spes non confundit*, Rom. 5. Idem Apostolus ad Titum 1. *in spem vitæ æternæ quam promisit, qui non mentitur Deus*. Ex parte igitur Dei certitudinem futuritionis rei speratæ habemus.

Ex parte vero nostra certitudo dependet ex meritis nostris: nam Dei promissio est quasi conditionata: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Item, *hoc fac & vives*: sed meritorum suorum nemo est certus, *nullus enim scit an amore, vel odio dignus sit*: idcirco spes ex parte nostra non est adeo certa: sine revelatione Divina nemo potest esse certus de sua prædestinatione ad Gloriam: *Portamus thesaurum in vasis fictilibus*. *Justus septies in die peccat*. Unde Sancti merito timebant de sua salute, timore scilicet se tenente ex parte illorum, nescientes utrum perseveraturi essent.

Q. Quot sunt præcepta in materia spei?

R. Quatuor. Duo negativa; quorum uno prohibemur desperare; altero præsumere de Misericordia Divina.

Alia duo affirmativa, quorum altero Beatitudinem sperare jubemur, & media ad illam consequendam necessaria: altero timere supplicium & pœnam æternam, Matth. loco cit.

Q. Quis timor est actus spei?

R. Cum timor duplex sit, servilis, & filialis, ut omittam mundanum, quo mala temporalia timentur, ut paupertas, morbus, despectio &c.

Servilis timet offensam Dei metu pœnæ.

Filialis timet offensam amore Dei & virtutis.

Filialis dicitur, quia filii ingenui hoc timore timent offendere parentes.

Servilis, quia servi metu verberum, aut damnorum propriorum timent offendere dominos; non enim ex amore eorum ipsis obsequuntur; sed ex amore proprii boni, & ne pœnis plectantur; & sic timent mala proprio bono contraria, & ea aufugere student.

Servilis dividitur in *simpliciter servilem*, & *serviliter servilem*.

Serviliter servilis est quo aliquis timet offensam propter solam pœnam; ita quod admittat semper complacentiam in peccato, & vellet perseverare in peccato, si pœna non mulctaretur. Et hic est vitiosus, & non est per consequens actus spei, quæ est virtus.

Servilis simpliciter est ille quo quis ex metu pœnæ timet peccatum, ita ut nullam complacentiam retineat ad illud. Et hunc esse bonum tenent omnes, & esse actum spei. De timore *filiali* dicitur: *quid Dominus Deus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum*, Deuter. 10. De timore vero *servili* habetur Lucæ 11. *Timete eum, qui postquam occidit corpus, habet potestatem & corpus, & animam perdere in gehennam*.

Q. Quotuplex est vitium virtuti spei oppositum?

R. Duplex. Unum per defectum, nimirum desperatio; aliud per excessum, nimirum præsumptio.

Q. *Quid est præsumptio?*

R. Præsumptio est fiducia inordinata obtinendi a Deo gratiam & gloriam, cæteraque dona supernaturalia, aliter quam Deus obtinenda statuit.

Duobus modis hoc contingere potest. *Primo*, cum quis præsumit Divinam gratiam, aut gloriam ex se ipso & naturæ viribus adipisci posse, ut faciebant Pelagiani.

Secundo, quando quis præsumit econtra, se sola Dei misericordia ac liberalitate, sine pœnitentia & bonis meritis,

ritis, Beatitudinem consecuturum: quæ præsumptio est Lutheranorum.

Præsumptio aliquando est conjuncta cum infidelitate, ut patet in præsumptione Pelagianorum, & Lutheranorum.

Aliquando tamen est sine infidelitate, ut patet in eo, qui ex præsumptione Dei gratiæ differt pœnitentiam usque ad finem vitæ.

Q. *Quid est desperatio?*

R. Desperatio est animi dejectio, qua quis voluntarie Beatitudinem refugit, tanquam bonum arduum sibi impossibile consequendum.

Q. *Ex quibus causis oritur desperatio?*

R. Ex falso judicio intellectus, quo quis putat peccata sua esse irremissibilia, ex eorum gravitate, multitudine, duratione, & peccandi habitudine, quam dum experitur peccator, desperat de venia & refugit eam petere. Talis fuit in Juda & Cain: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*, Gen. 4.

Secundo, ex falso judicio de Divina bonitate & misericordia, quam putat peccator se non posse mereri, & ideo cessat exorare.

Tertio, ex acedia erga Spiritualia, ob nimiam proclivitatem in corporalia, & ut deplorat S Bernardus, quasi dicant: *Quid facis? vitam istam perdis, & futuram per peccata tua maxima, & nimium multa. Nequaquam pro tot & tantis, nec si te excories, sufficis satisfacere... ignorans miser, quam facile omnipotentis bonitas, quæ neminem vult perire, cuncta illa dissolveret, sequiturque impænitentia*, Serm. 38. in Cant.

Q. *Quale peccatum est præsumptio?*

R. Præsumptio est proprie species peccati in Spiritum Sanctum, quia per hujusmodi præsumptionem tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritus Sancti, per quod homo revocatur a peccato.

Ita ferme se habet præsumptio ac desperatio. Sicut falsum est quod Deus pœnitentibus non indulgeat; ita falsum est quod in peccato perseverantibus veniam concedat. Et ideo præsumptio est peccatum mortale, minus tamen quam desperatio, quoniam magis proprium est Deo *misereri & parcere*, quam punire, propter ejus infinitam bonitatem, illud enim secundum se Deo convenit; punire autem secundum nostra peccata.

Q. *Quid repræsentandum est præsuntuosis?*

R. Id quod dicit sapiens: *Ne dixeris peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatum: & ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.*

Misericordia *enim* & ira *ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius.*

Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te, Eccl. cap. 5.

Q. *Estne grave peccatum desperatio?*

R. Gravissimum, ex suo genere mortale, & gravius quam omnia alia peccata, quæ sunt contra virtutes morales, cum sit contra unam ex virtutibus Theologicis, quæ sunt omnium præstantissimæ.

Qui desperat, proinde se habet ac si crederet Deum peccatori pœnitenti gratiam denegare, aut nolle peccatores per suam gratiam ad se convertere: quod valde est injuriosum misericordiæ Divinæ.

Unde Isidorus dicit; *Perpetrare flagitium aliquod mors est animæ; sed desperare est descendere in infernum*: Lib. de summo bono.

Q. *Quid proponendum est desperabundis?*

R. Proponenda est eis immensitas misericordiæ Dei, ejusque bonitas, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.

Declaretur eis quod *misericordia Dei plena sit terra*. Quod hanc loquantur & commendent passim Scripturæ Sacræ, præsertim Evangelicæ, omnia Incarnationis Dominicæ mysteria, omnia Sacramenta & remedia pro peccatis a Christo Domino Redemptore nostro instituta.

Denique quod nullum peccatum Deo magis exosum sit, quam desperatio &c.

Q. *Habesne exemplum quo valeas convincere desperationem supra omnia alia peccata Deo displicere?*

R. Habeo, & refertur in vita Sanctæ Catharinæ Senensis. Deus loquens sacræ huic Virgini ait: „ *Peccatores, „ qui in mortis extremitate desperant „ de misericordia mea*, multo gravius „ me offendunt, & magis mihi displi„ cent hoc uno peccato, *quam omni„ bus aliis iniquitatibus, quas unquam „ commiserunt, qui enim desperat, „ contemnit aperte ipsam Misericordiam „ meam, & perverse existimat iniqui„ tatem suam majorem esse, quam sit „ eadem misericordia & bonitas mea.*

„ *Unde detentus hujusmodi peccato „ non dolet de offensa in me admissa; „ sed dolet de irremediabili suo malo.* „ Qui si in veritate doleret, quod me „ offendisset, atque contempsisset, & „ in misericordia mea fideliter spera„ ret, *ipse eam certissime inveniret*, „ *quoniam* in infinitum major est ipsa „ misericordia mea, *quam sint omnia „ peccata, quæ unquam fuerunt commis„ sa, vel quæ committi possunt ab ali„ qua creatura.* “

Q. *Quem sensum debemus habere de misericordia Dei ejusque bonitate?*

R. Illum ipsum, quem exprimit pœnitens Regius David: *Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum*, Psalm. 102.

Et: *Tu Domine suavis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te*, Psal. 85.

Q. *Si Deus revelaret alicui, quod sit certo damnandus, possetne desperare?*

R. Licet non congruat Divinæ bonitati & sapientiæ, ut sic anticipate damnet hominem, iste enim summum perciperet dolorem æquivalentem essentiali pœnæ damni; nec legimus Deum id aliquando fecisse ulli peccatori in hac vita. Dato tamen isto casu, quidam dicunt quod posset desperare de sua salute & Beatitudine æterna, & quidem sine peccato; immo deberet desperare, quia, *inquit*, non licet opinari contra revelationem Divinam, quæ est infallibilis.

Objectum spei non est Beatitudo, ut sic considerata; sed ut *possibilis*; sed in casu posito homo non judicat Beatitudinem possibilem & futuram, cum certus sit de opposito; ergo non potest illam sperare, quia opponeret se Dei voluntati & decreto ejus; ergo cum nulla spes affulgeret, posset positive desperare.

Relicta hac opinione, communi Doctorum sententiæ adhærendum est, & tenendum absolute, quod miser ille non posset *positive* desperare, sed quod deberet *quo ad hoc* mere negative se habere non sperando, nec desperando, sed se conformando voluntati Dei, dicendo cum Heli Sacerdote: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat*, 1. Reg.

Q. *Peccaretne qui Deo libenter cedens cœlum, desideraret perpetuo manere in terra?*

R. Si deliberate id desideraret, peccaret mortaliter, contra præceptum spei Divinæ, qua quilibet homo obligatur Deum & Divina præ omnibus sibi concupiscibilibus concupiscere. Sane homo talem actum eliciens vel est Atheista, vel Atheismo vicinus.

Q. *Di-*

Q. *Dixisti exhortandos esse Christianos ad eli iendos sæpius actus fidei, spei, & charitatis, des mihi formulam istorum actum?*

R. Libenter pietati tuæ, & sancto desiderio satisfaciam.

ACTUS
FIDEI, SPEI, CHARITATIS,
ET RESIGNATIONIS.

„ O Sapientia infinita quæ falli non „ potest! Bonitas immensa quæ „ fallere non potest! Prima & æterna „ veritas Deus meus! Credo in te, & „ Credo tibi in omnibus quæ tu revelasti, & per Ecclesiam sponsam tuam „ mihi credenda proponis: & pro hac „ Sancta fide per tuam gratiam mori sum paratus.

„ Spero in te, o æterna Beatitudo „ nostra! Teque per infinitam misericordiam tuam, & prætiosissima merita tua, veniam, gratiam, & gloriam cum omnibus necessariis mediis „ mihi promissam daturum confido: „ & me totum a te pendere, & nihil „ sine te, omnia vero per te posse agnosco & profiteor.

„ Amo & amabo te, & omnia quæ „ tu amas propter te, ò fons omnis „ boni! quia bonus es in te, & infinite amabilis: Gaudeo de infinita „ perfectione, beatitudine, & amabilitate tua, & de omni obsequio, „ laude, honore, & gloria tibi ab Electis tuis, & creaturis omnibus unquam reddita, reddenda, possibilique „ ut reddatur.

„ Hæc omnia tibi intime voveo, „ præbeo, & offerro, cum omni affectu, obsequio, & vita mea.

„ Te, Tuumque in omnibus beneplacitum brachiis dilectionis, & „ resignationis arctissime complector, „ omnique possibili reverentiæ, fiduciæ, amoris, & pietatis affectu veneror & exosculor, ac amplecti, venerari, & osculari cupio in æternum; licet me velles beata visione „ carere, modo gratia & amore tuo „ nunquam destituar.

„ Quidquid in me est affectus erga „ creaturas, in te solum transferatur. „ Quidquid egero in omnem æternitatem, aut passus fuero, cedat ad tuam „ gloriam. Tuus sum ego, fac de me „ quidquid vis nunc & in æternum. „ Amen.

DE
SANCTISSIMA TRINITATE.

Q. Quid est Trinitas?

R. Est unus Deus in tribus Personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

Q. *In quibus conveniunt, & in quibus differunt tres Personæ Trinitatis?*

R. 1. Conveniunt in eadem & unica natura seu Essentia Divinitatis; in omnibus attributis absolutis, potentia, sapientia, bonitate, immensitate, infinitate & aliis.

2. Conveniunt in omnibus actionibus *ad extra*, id est, quibus agunt aliquid circa creaturas: unde axioma Theologicum: *Actiones Dei ad extra, sunt communes toti Trinitati.*

Distinguuntur in eo, quod Pater a nullo est, nullum habens principium: item quod sit generans, & ideo *Pater*. Filius non est generans, nec *Pater* est, sed genitus, & est *Filius*. Spiritus Sanctus non est genitus nec Filius; sed est procedens a Patre, & Filio simul tanquam ab uno principio: unde Patri proprium est ut sit *Generans*: Filio ut sit *Genitus*; Spiritui Sancto ut sit *Procedens*.

Q. Unde constat in Divinis Trinitatem esse Personarum ?

R. Ex utroque Testamento. 1. Deus volens condere hominem dixit: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, Gen. 1. Verbum *faciamus*, & pronomen *nostram*, personarum pluralitatem inter se colloquentium indicant.

Dicunt Hebræi, Deum alloqui ibi Angelos, sed sequentia verba contrarium probant, *ad imaginem & similitudinem nostram*, cum non sit una Dei, & Angelorum similitudo.

Nec est quod dicant, principes etiam plurali numero uti, licet V. G. in regno unicus sit Rex: *ordinamus*, ait, *volumus &c.* hoc fit, dum loquuntur nomine totius status, cui præsunt: cum vero Rex solus est, non dicit *scribamus*, *dormiamus &c.*

Idem habetur Capite 18. ejusdem Genesis: *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.*

Clamabant alter ad alterum; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, Isaiæ 6.

Cum ter dixisset Sanctus, Sanctus, Sanctus, addidit singulariter, Dominus Deus Sabaoth, *ut ostenderet Trinitatis unam esse Deitatem*, inquit S. Ambr. lib. 2. de fide ad Gratian. cap. 4.

Hoc impenetrabile Mysterium lucidius exprimitur in novo Testamento.

Euntes, inquit Christus Discipulis suis, *docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Matth. ult.

Ubi tres Personæ clare & distincte enumerantur. Et cum dicitur *in nomine*, essentiæ unitas significatur. Sicut quando dicitur: *Tres sunt qui Testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi Tres unum sunt*, 1. Joann. 5.

Accedit concors Sanctorum Patrum sententia, & Conciliorum canones & decreta, unanimisque totius Ecclesiæ Catholicæ consensus, & professio in Symbolo Apostolico, & Nicæno seu Constantinopolitano expressa.

Q. Quinam fuerunt istius adorandi Mysterii oppugnatores ?

R. Inter alios celebrior fuit *Sabellius* circa annum 257. Asserebat quod eadem persona dicitur *Pater*, in quantum Creator; *Filius*, in quantum Redemptor, & *Spiritus Sanctus*, in quantum Sanctificator: sicut V. G. idem homo est *Sacerdos* in quantum consecrat corpus Christi; *Prædicator*, in quantum annunciat verbum Dei; & *Confessarius*, in quantum excipit fidelium confessiones.

Utebatur etiam exemplo solis, qui licet unicus sit, dicitur illuminativus, calefactivus, productivus &c. eo quod vim habeat illuminandi, & producendi &c.

Textus allati sufficienter Personarum Trinitatem demonstrantes, hunc errorem refutant. Si quis V. G. diceret *Tres sunt, qui testimonium dant in judicio, seu coram Judice, Petrus, Jacobus & Joannes*, nonne ineptissime diceretur unicam esse personam testem: ita & in nostro casu, dum scilicet audimus: *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus &c.*

Q. Extinctam hanc hæresim quis renovavit ?

R. *Socinus Senensis*, a quo discipuli *Sociniani* dicti sunt: inter quos excelluit *Crellius*. Hi Sæculo 16. omnia Scripturæ loca sola ratione metientes, solum Patrem Deum dixerunt, Christum vero purum hominem, & Spiritum Sanctum *Patris* virtutem & efficaciam.

Floruerunt maxime in Polonia, unde *Fratres Poloni* dicti sunt: Eodem sæculo *Michael Servetus* Hispanus, etiam sustulit Personarum divinarum distinctionem, quam ob causam Genevæ fuit combustus.

Q. Si

Q. *Si tres personæ sint realiter distinctæ, & quælibet sit Deus, nonne erunt tres Dii?*

R. Ad hoc quæsitum jam respondimus in procemio, illuc recurre.

Q. *Numquid bene sequitur: Pater est Deus, Filius est idem numero Deus; ergo Pater debet esse Filius? ergo non distinguuntur. Si aliquis V. G. vocaretur Joannes-Franciscus, bene sequeretur Joannes est homo, Franciscus est idem numero homo, ergo Joannes est Franciscus.*

R. Negatur consequentia, quia licet Pater sit idem numero Deus ac Filius, non tamen est Deus secundum omne quod est Filius, cum non sit secundum *personalitatem* Filii, & consequenter Pater non est Filius.

Aliud est de Joanne-Francisco, cum enim Joannes sit homo secundum omne quod est Franciscus, & e contra, bene sequitur quod Joannes est Franciscus &c.

Alias objectiones fieri solitas contra hoc admirabile, & inscrutabile Mysterium, videas apud Theologos Scholasticos.

Q. *Reperiturne in creaturis aliquale vestigium Sanctissimæ Trinitatis?*

R. Reperitur, sed adeo tenue & improportionatum, ut nullo modo convincat.

In Anima rationali, quæ unica est in se, reperiuntur tres potentiæ, memoria, intellectus, & voluntas: illæ tres potentiæ non sunt tres vitæ, nec tres animæ, sed una anima: ita in Deo tres sunt Personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & non tres Dii, sed unus Deus.

Aliam similitudinem adducit S. Augustinus: *illud omnes concedunt*, ait, *si ex uno fonte tria pocula impleantur, posse dici tria pocula*, tres autem aquas non posse dici, *sed omnino unam aquam; quanquam de singulis poculis interrogatus in quolibet horum aquam esse respondeas*, Lib. de Fide & Symb. cap. 9.

Verum cum in omnibus quæ proferri possunt ad explicandum utcumque adorandæ Trinitatis Mysterium, infinita sit disparitas, oremus Deum, ut qui, *ipso revelante*, id credimus, aliquando in æterna Tabernacula recepti, videamus. *Existimabam, ut cognoscerem hoc*, inquit Propheta Regius, *labor est ante me, donec intrem in Sanctuarium Dei*, Psalm. 72.

Q. *Una persona est ne æqualis duabus aliis, vel toti Trinitati?*

R. Cum summa æqualitas sit in divinis Personis, una æqualis est omnino duabus aliis: *Attende*, inquit Richardus de S. Victore, *quam incomprehensibilis sit in summa illa Trinitate omnifaria magnitudinis coæqualitas*, ubi *unitas* pluralitati non cedit, nec pluralitas unitatem excedit.

Q. Quis auctor est Hymni, *Trisagium* dicti, in quo ter *Sanctus* canitur, hoc est: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miserere nobis?*

R. Angeli sunt istius Hymni seu Trisagii auctores. Et hoc eruitur ex Epistola tertia Felicis Tertii Summi Pontificis ad Petrum Fullonem Patriarcham Antiochenum ubi legitur.

„ Cum terræ motu Constantinopolis „ quateretur, populusque in campo ora„ ret, infantulus toto populo spectante „ cum Proclo Civitatis Episcopo, *in Cœ„ lum per unam horam raptus est*, ibique „ hujusmodi didicit Hymnum, rursum„ que descendens se audivisse nuncia„ vit in Æthere multitudinem psallen„ tium & dicentium, *Sanctus Deus*, „ *Sanctus fortis, Sanctus & immortalis*, „ *miserere nobis*, sibique dictum fuisse, „ ut eam laudationem populo indica„ ret; quam ubi populi incœperunt, „ *Deo per hujusmodi laudem* propitio „ facto, ab imminenti ita liberati sunt; „ *stetit terræ motus*, & in civitatem „ redierunt.

Q. *Quis composuit officium Sanctissimæ Trinitatis?*

R. Siffridus Præsbiter Misnensis in *Epitome Historiarum* dicit, fuisse Alcuinum Magistrum *Caroli-Magni* Regis Galliarum & Imperatoris. *Cum Princeps hic Christianissimus circa divinum cultum esset sollicitus*, *rogavit* magistrum suum Alcuinum *ut historiam & officium componeret* de Sancta Trinitate, *ut per hoc errores emendarentur, & devotio, & securitas fidei augeretur.*

Anonymus in Micrologio cap. 6. qui floruit sub Gregorio VII. sic habet. *Quidam* Leodiensis Stephanus *idem officium, de Trinitate scilicet, composuisse asseritur, quod ab Apostolica Sede respuitur.*

Q. *Qualis erat ille error, qui tempore Caroli Magni circa Sanctissimam Trinitatem grassabatur?*

R. Edicit Ado Archiepiscopus Viennensis in Galliis, in suo Chronicorum libro: *Synodus Magna Grani-aquis*. Vulgo Aix la chapelle, *congregatur, in qua de processione Spiritu Sancti quæstio agitur: utrum sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio.*

Hanc quæstionem Joannes Monachus Hierosolymitanus moverat, cum Regula & fides Ecclesiastica firmet, Spiritum Sanctum a Patre, & filio procedere.

Q. *Ubinam primo celebratum est Festum Trinitatis?*

R. In Gallia seu Francia & Germania, quorum Principum auctoritate fuerat ordinatum, & paulatim apud alias nationes, ut colligitur ex Gervasio Cantuariensi Monacho: *Consecratus Thomas Archiepiscopus instituit festivitatem principalem Sanctissimæ Trinitatis, singulis annis inperpetuum, die octava Pentecostes celebrandam &c.*

Q. *Quandonam incæpit hoc festum celebrari Romæ, seu in Ecclesia Romana?*

R. Aliqui censent sub Alexandro III. circa annum 1170. sed falso. De hac re requisitus Papa Alexander, *inquit Annonymus citatus*, respondit, *juxta Romanum ordinem, nullum diem specialiter adscribi debere solemnitati SS. Trinitatis, sicut* nec Sanctæ Unitatis, *præcipue cum in omni Dominica, imo singulis diebus*, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, *& similia dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis.*

Hæc omnia inserta sunt a Gregorio IX. in Decretalibus. Ex quo apparet in Romana Ecclesia hoc festum etiam tempore Gregorii IX. non fuisse celebratum.

Post Urbanum VI. circa annum 1390. cœptum fuisse scribit Randulphus Decanus Tongrensis in suo libro, *de Canonum observantia*. Ubi hæc habet: *hodiernis temporibus Romæ & in Curia Romana solemnis habetur* Festivitas Sanctæ Trinitatis, *in octava Pentecostes* &c.

Q. *Græci celebrantne Divinissimæ Trinitatis Festum?*

R. Festum hoc a Græcis usque modo non celebratum est, forte ob rationes ab Alexandro adductas. Etenim in Jure Græco Romano Imperatoris *Manuelis Comneni*, lex de feriis omnia Græcorum festa enumerat, & de hoc festo, officioque nullam facit memoriam.

In Dominica prima post Pentecostem omnium Sanctorum festum ipsi celebrant, ut testis est Nicephorus: *Die Dominica post Pentecosten ubique per universam terram existentium, sive in Asia, sive in Africa, sive in Europa, Austro, atque Septentrione Sanctorum omnium diem festum celebramus.*

Et Leo Imperator Græcorum in orat. ait: Dominica *post Pentecosten in universa terra sanctos universos universalis Dei Ecclesia honorat.*

PA-

PATREM.

Q. *Qua ratione prima Trinitatis Persona vocantur Pater?*

R. His potissimum de causis. 1. Quia ab æterno Filium a se genitum habet. Sic usurpatur in Psal. 78. *ipse invocabit me, Pater meus es tu,* & Matthæi cap. 16. *Pater meus, qui est in cœlis* &c. *Baptizantes eos in nomine Patris,* &c.

2. Quia creator, provisor atque rector est omnium creaturarum. Quemadmodum eum a quo familia propagata est & regitur, *patrem* appellamus; ita Deum quem omnium opificem & gubernatorem agnoscimus *patrem* vocamus; & quidem jure merito, cum legamus in Deuteronomio cap. 32. *nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te & creavit te?* Jesus-Christus nos alloquens ait: *Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi,* Matth. 6. & alibi: *Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est,* Luc. 6.

Q. *Si Deus Pater est, nonne erit prior & major Filio.*

R. Non ita est. Absit hæc a fidelium mentibus impietas dicere aut credere esse in Trinitate prius aut posterius, majus aut minus, cum *totæ tres Personæ coæternæ sibi sint & coæquales,* Symb. Athan.

Q. *Cur in Sacra Scriptura nomen Dei sæpius Patri tribuitur, quam aliis Personis?*

R. Quia *Pater* totius Trinitatis principium est, ut loquitur S. Augustinus lib. 4. de Trin. cap. 20. Filius enim, & Spiritus Sanctus, licet eamdem habeant cum Patre deitatem, Filius tamen illam habet a Patre, Spiritus Sanctus a Patre & Filio: Pater autem a nullo communicatam habet, cum sit expers principii; hoc sensu Christus ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum,* Joan. 17.

Per hoc ergo quod quandoque in sacris litteris solus *verus Deus* appellatur *Pater,* non excluduntur a deitate aliæ Personæ, sed solum ii qui *falso* ab Ethnicis putabantur Dii, & pro Diis colebantur.

Unde verba illa: *ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum,* non *divisive* accipienda sunt, quasi *veri Dei* appellatio ad solum *Patrem* referri deberet, ut volebant Ariani; sed *copulative,* ita ut sensus sit secundum Augustinum & alios Patres: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, & quem misisti Jesum-Christum solum esse verum Deum.*

Eodem sensu Ecclesia Sanctitatem, Dominationem, Magnitudinem infinitam *soli Filio* tribuit in Hymno Angelico, ad exclusionem scilicet rerum omnium creatarum, non ad exclusionem Patris & Spiritus-Sancti, dicens: *tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus,* Jesu Christe: unde subdit: *cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris.*

Q. *Cur Deus Christianorum præcipue Pater dicitur?*

R. Quia nos in filios adoptavit: *hanc enim charitatem dedit nobis* Pater, *ut filii Dei nominemur, & simus,* 1. Joan. 3. & Christus ipse *dedit eis,* Christianis scilicet *filios Dei fieri,* Joan. 1.

Quam felices nos existimaremus, si Regis amici essemus! Et tamen per gratiam Baptismatis non amici tantum, sed *filii* Regis Regum, *Dei* scilicet efficimur: & hanc sublimem adoptionis dignitatem non raro, Eheu! parvipendimus.

Q. *Quid ex tantis beneficiis debent homines Christiani Deo?*

R. Si Patri carnali sollicite & pie obedire & servire debemus, quanto magis obstricti sumus Patri nostro cælesti optimo munificentissimo, qui nos vestit, nutrit, pascit, protegit, gubernat, qui denique vitam æternam, & hæreditatem opulentissimam promittit.

Et tamen ingratissimi sumus, qui tantum benefactorem non solum toto corde non redamamus, sed quotidie pro transitoriis impie offendimus.

OMNIPOTENTEM.

Q. Estne Deus omnipotens?

R. Indubitatum est, testantibus sacris literis: *Ego Dominus omnipotens*, Gen. 17. *Scio, quia omnia potes*, Job. 42. & Salvator Jesus-Christus Patrem alloquens ait: *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt*, Marci 14. idem clare exprimitur in diversis locis tum Veteris, tum Novi Testamenti.

Q. *Cur dicitur omnipotens?*

R. His tribus potissimum rationibus.

1. Quia potest facere omne quod absolute est possibile, id est, quod non implicat contradictionem: ita ut nihil sit excogitabile, quod Deus efficere nequeat.

2. Quia de nihilo creavit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.

3. Quia potest facere omne quod vult. Et in hoc maxime sita est vis omnipotentiæ, quod voluntati ejus quisquam resistere non valeat, aut effectum ipsius impedire: *omnia quæcumque voluit fecit*, Psal. 134. *nec est qui possit ejus resistere voluntati*, Esther. 13.

Q. *Potestne Deus facere montem sine valle, triangulum sine tribus angulis? potestne mentiri, fallere, peccare, mori &c.?*

R. Cum duo prima manifestam involvant contradictionem, adeoque non sint factibilia, ea Deus facere non potest; reliqua vero dicunt summam imperfectionem, & sic minime conveniunt Deo, cujus perfectissima est semper actio. *Posse mentiri, fallere, peccare &c.* infirmitatis est, non omnipotentis virtutis & majestatis: unde Apostolus de Deo scribit: *se ipsum negare non potest*, 2. ad Tim. 2. Et alibi: *impossibile est mentiri Deum*: ideo omnipotens est Deus, ait Augustinus, quia ista non potest, *quæ si posset, non esset omnipotens*. Et prosequitur: *ne quis me temere dixisse arbitretur aliquid omnipotentem non posse, hoc & Beatus Apostolus dixit*: si non credimus, ille qui fidelis permanet, negare se ipsum non potest; *sed quia non vult non potest; quia & velle non potest. Non enim potest justitia velle facere quod injustum est; aut sapientia velle quod stultum est; aut veritas velle quod falsum est*, serm. 214.

Q. *Estne Pater æternus potentior Filio, & Spiritu Sancto?*

R. Nequaquam: omnipotentia enim æque Filio, & Spiritui Sancto convenit, ac Patri. Christus ipse dixit: *Ego, & Pater unum sumus*, & Apostolus ait; *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo*, 1. Cor. 1. Si igitur unum sit cum Patre, habens scilicet eamdem naturam & essentiam divinam, non potest non esse omnipotens. Deinde dicitur de ipso, quod *per ipsum facta sint omnia*, Joan. 1. Quod dicitur de Filio, idem dicendum de Spiritu Sancto, qui cum Patre & Filio unus est Deus. Non tamen dici possunt tres omnipotentes, sed unus omnipotens, sicut non tres Dii, sed unus Deus propter unitatem naturæ.

Q. Cum Deus *velit omnes homines salvare, & ad agnitionem veritatis venire*, juxta Apostolum 1. ad Tim. 2. *cur omnes non salvantur, si voluntatis ejus effectum nullus possit impedire?*

R. Quia voluntas, qua vult omnes homines salvos fieri, non est absoluta, sed conditionata; id est, vult eos salutem consequi, si velint mandatis suis obtemperare, & bene operari. Unde mirum non est, quod hæc ejus voluntas non adimpleatur, cum solum sit voluntas *conditionata*, non absoluta. *Absoluta* voluntas, quæ & *antecedens* dici potest, ea est qua Deus ex se vult aliquid sine ulla

nulla consideratione circumstantiarum rerum. *Conditionata* seu *consequens*, qua ex certis circumstantiis vult aliquid, quod alioquin nollet.

Sic ergo Deus antecedenter, quantum est *ex se*, vult omnes homines salvos fieri, & voluntate consequente vult impios & peccatores a regno suo excludere. Sicut Judex absolute vult hominem vivere, & conditionate ipsum hominem si homicida fiat, suspendi.

DE GRATIA.

Q. QUid *est gratia & quotuplex?*

R. Gratia est auxilium supernaturale a Deo ex meritis Christi nobis concessum in ordine ad finem supernaturalem, hoc est ad vitam æternam consequendam.

Multipliciter dividitur per respectum ad finem ob quem datur.

1. In gratiam gratis datam, & gratum facientem.

Prima est quæ ad aliorum utilitatem & salutem procurandam conceditur, ut sunt donum Prophetiæ, genera linguarum, gratia sanitatum, hoc est, virtus sanandi infirmos, discretio spirituum, operatio virtutum, interpretatio sermonum, & alia quæ ab Apostolo enumerantur, 1. Cor. 12.

Gratia gratum faciens est illa quæ ad ipsius recipientis salutem, & Dei amicitiam obtinendam primario conceditur, ut est gratia sanctificans, quæ nos Deo gratos & amicos reddit.

Hæc dividitur in actualem, & habitualem, quæ complectitur gratiam justificantem & sanctificantem, & virtutes, quæ cum ea infunduntur in justificatione.

Q. *Quid est gratia actualis?*

R. Est quoddam auxilium, seu motus in anima hominis divinitus excitatus, quo incitatur, & invitatur, & adjuvatur ad actiones virtutum exercendas, & malas vitandas. Tales sunt piæ intellectus cogitationes, illuminationes, piæ voluntatis inspirationes, seu motiones & affectiones ad bonum, ut ad concionem audiendam, meditandum de Inferno, actum contritionis, & charitatis eliciendum &c.

Q. *Quomodo dividitur gratia actualis?*

R. Alia est interna, ut sunt illuminationes & inspirationes relatæ, alia externa, ut sunt Incarnatio, Sacramenta, exhortationes, infirmitates, pericula, boni socii &c.

De utraque loquitur Augustinus, lib. 5. Homiliarum 23. Homil. *si adulter non fuisti, hoc dicit tibi Dominus Deus tuus: regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres: suasor defuit, & ut suasor deesset, ego feci: locus & tempus defuit, & ut hæc deessent, ego feci*. En gratia externa. Et prosequitur: *adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui* &c. En gratia interna.

Q. *Estne alia gratiæ actualis divisio?*

R. Ita; dividitur ulterius in prævenientem, concomitantem, & consequentem.

Item in sufficientem, & efficacem.

Gratia *præveniens* ea est, quam Deus operatur in nobis antecedenter ad liberum voluntatis consensum. Et de hac fit mentio in Psalmo 20. *prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis*. Hæc gratia etiam dicitur *excitans* in quantum impellit hominem ad bonum & retrahit a malo, imo & *operans*, quia operatur ut velimus & consentiamus, sive de facto consentiamus, sive non. Suasor enim agit & laborat, ut quod suadet, alter velit, sive hic persuadeatur, sive non. Et sic patet gratiam prævenientem, excitantem & operantem esse unum & idem.

Q. *Quid est gratia concomitans?*

R. Ea

R. Ea est, per quam Deus nobiscum coefficit actum bonum, ad quem prævie nos excitavit. Et de illa loquitur Apostolus: *laboravi*, inquit, *non ego autem, sed gratia Dei mecum*, 1. Cor. 15. *Concomitans* dicta est, quia concomitatur liberum voluntatis usum. Dicitur enim *cooperans & adjuvans*, quatenus hominem jam vocatum & excitatum adjuvat & promovet ad perfectum consensum, sive ad consummationem suæ conversionis, aut actus salutiferi.

Q. *Quid est gratia subsequens?*

R. Sicut gratia præveniens ea est, quæ liberum voluntatis consensum prævenit & antecedit; ita subsequens est illa, quæ eumdem *subsequitur*, fovet & confirmat, & de hac fit mentio in Psalmo 22. ubi Propheta Regius ait: *misericordia tua subsequetur me*.

Potest etiam dici gratia subsequens, quia subsequitur justificationem, daturque homini justificato, ut in sanctitate accepta confirmetur ac perseveret. Unde S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum, cap. 11. de subsequente sic sumpta, sicut & de præveniente præclare ait: *prævenit impium, ut justus fiat: subsequitur justum, ne fiat impius*.

Ex quibus sequitur gratiam prævenientem *ut talem*, abstrahere a positione actus ad quem impellit: concomitantem vero actum quidem importare, sed abstrahere ab actus continuatione: subsequentem denique continuationem importare.

Q. *Quæ differentia est inter gratiam sufficientem & efficacem?*

R. Gratia *sufficiens* dicitur illa quæ licet præbeat vires sufficientes ad ponendum effectum, ad quem ultimate datur, nihilominus effectu quandoque caret ob humanæ voluntatis resistentiam.

Gratia vero *efficax* illa est, quæ semper & infallibiliter infert effectum ultimate intentum, & cooperationem liberi arbitrii.

Q. *Potestne homo suam salutem operari sine gratia Jesu-Christi?*

R. Nullatenus potest, quidquid dixerit Pelagius, volens salutem & conversionem nostram non a gratia, sed a proprio voluntatis arbitrio pendere. Necessitatem vero gratiæ invictissime comprobat Sacra Scriptura. Primo siquidem Propheta Regius dicit: *converte nos Deus salutaris noster*, Psal. 84. At si Dei præcepta adimplere pie possemus, & sancte vivere, & a peccatis resurgere per solam liberi arbitrii potestatem, & secluso quocumque auxilio supernaturali, sine causa dixisset Deo: *converte nos Deus salutaris noster*: nec Deus respondisset Paulo roganti, ut auferretur carnis stimulus: *sufficit tibi gratia mea*; sed dixisset *tu ipse sufficis tibi*, aut tibi sufficit libertas tua. Nec deberet unusquisque cum Propheta eodem dicere: *gressus meos dirige secundum eloquium tuum*.

2. Dominus noster Jesus-Christus ipsemet gratiæ necessitatem asserit, dicens: *sine me nihil potestis facere*, Joan. 15. Et alibi, *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, Joan. 6. hoc est per gratiam suam.

Ex quibus textibus manifeste colligitur liberum hominis arbitrium gratia Dei destitutum non posse elicere opus bonum, vincere tentationes, & salutem consequi; *quoniam non sumus sufficientes*, ut ait Apostolus, *cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis*, hoc est ut nobis totaliter tribui possit, *sed sufficientia nostra ex Deo est*, ideo non nobis, sed Deo danda est gloria.

Vires liberi arbitrii sunt naturales, salus autem animæ est opus supernaturale, ac proinde aliquo auxilio ordinis supernaturalis indigent: *quoniam Domini est salus*, inquit Psalmista.

Deinde definitum est in Concilio Tridentino: *si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti operatione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet,*

ut

ut ei justificationis gratia conferatur, *anathema sit*, Seff. 6. de justif. can 3.

Concludendum igitur est, gratiam Dei ad omne opus bonum meritorium necessariam esse: cum nequidem: *nemo possit dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto*, 1. Corinth. cap. 12.

Q. *Sed numquid gratia tollit liberum arbitrium?*

R. Minime. Destrueret quidem, si illud cogeret, at non cogit, quin potius adjuvat. Homo præventus gratiæ auxilio, non necessario, non coacte, sed libere agit, atque in sua potestate situm est aut gratiæ assentire, aut dissentire.

Non tollitur liberum arbitrium ex gratiæ indigentia, quoniam ut potentia sit libera ad agendum vel non agendum, necesse est, quod habeat vel a se, vel ab alio omnia requisita ad agendum; nec per aliquid ipsorum destruitur, imo perficitur in ratione potentiæ activæ, & principii operativi, ideo cum gratiæ auxilium requiratur ad agendum supernaturaliter, sequitur quod homo stante illo gratiæ auxilio remanet liber: tunc enim potest agere, vel non agere, seu amare Deum, & non amare: alioquin sequeretur quod non posset divinæ inspirationi resistere, quod falsum est.

Q. *Daturne talis gratia, cui possit nostra voluntas resistere?*

R. Si de facto tali gratiæ resistatur, quæ sufficiens dicitur, certum est quod voluntas ab ea non necessitetur, cum ejus effectum sua renitentia sæpe impediat.

Dari autem talem gratiam expresse habetur in Sacra Scriptura. Quosdam textus producere sufficiet.

Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem, Isa. 65. *Vocavi, & renuistis*, Proverb. 1. v. 24. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*, Act. 7. v. 51. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* Matth. 23. v. 37.

Tandem S. Paulus Corinthios hortatur, *ne in vacuum gratiam Dei recipiant*, 2. Corinth. 6. Quæ verba Sanctus Thomas explicans ait: *quicumque ergo gratia percepta non utitur ad vitandum peccatum, & consequendam vitam æternam, hic gratiam Dei in vacuum recipit*, Lect. 1.

Ratio etiam hanc veritatem suadet. Si non daretur gratia sufficiens, vel nulla daretur, vel omnis gratia esset efficax; neutrum dici potest. Non primum, alias non posset Deus punire infideles aut peccatores, cum deesset ipsis auxilium sine quo converti non possunt. Neque secundum, quia si omnis gratia esset efficax, suum semper sortiretur effectum; & sic Sancti irrisorie confiterentur, se fuisse ignavos, & Dei gratiis ingratos &c. imo Deus ipse hominibus illuderet, cum per os Davidis dicit: *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*, Psal. 94. si vox ejus, seu gratia ita esset efficax, ut illi non posset resistere humana voluntas, nec obdurari.

Gravis igitur error est in fide, dicere cum Calvino, & Jansenio: *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ hominem non resistere.*

Q. *Daturne gratia sufficiens omnibus omnino & singulis hominibus?*

R. Deum neminem a gratia sua excludere multis constat rationibus. Primo ex generali vocatione & illuminatione per Christum, ut ex auctoritate Sacræ Scripturæ convincitur. Dicitur enim de Christo Domino: *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Quod omnes Sancti Patres explicant de *lumine gratiæ*: voluntque hoc lumen dari omnibus, etiam iis, qui in extremis mundi partibus sunt, ubi adhuc Evangelium non est annunciatum. Quod autem gratia necessaria & sufficiens, qua ad fidem, lucemque veritatis venire possunt, ipsis non desit, testatur Sanctus Prosper: *E-*

tiam-

tiamnum, inquit, *in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum Salvatoris gratia*, hoc est Evangelium, *illuxit*, *quibus mensura tamen generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præstita, non negatur*, Lib. 2. de Vocat. Gent. 17.

Secundo ex generali voluntate Dei salvandi omnes homines tenetur Deus subministrare media necessaria ad salutem consequendam: qui enim sincere vult finem, etiam vult media ad illum finem assequendum requisita.

Deum autem sincere velle omnium salutem, testatur Ezechias loquens Populo Hebræo ex parte Dei: *Quare moriemini Domus Israel? Dicit Dominus nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat*, Ezech. 33.

Apostolus etiam hanc veritatem apertis tradit: *Hoc enim bonum est*, inquit, *& acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri*, 1. Tim. 2. Quam utique veritatem triplici ratione confirmat: *Unus enim Deus; unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus*.

His verbis significat Deum triplici titulo velle omnium hominum salutem, 1. Quia eorum omnium *Creator* est. 2. Quia omnium est *Redemptor*. 3. Quia omnium debet esse *Judex*, & sanguis, quem pro omnibus effudit in Cruce, erit in testimonium, quod non fuerit ipse in causa cur aliqui reprobandi sint & damnandi.

Sanctus Petrus Apostolorum Princeps idem asseverat: *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, 2. Pet. 3. v. 9.

Voluntatem hanc ad omnes & singulos extendi docent Sanctus Chrysostomus, S. Augustinus & alii Sancti Patres: Atqui non potest Deus sincere salutem omnium velle, nisi, *ut jam diximus*, prospiciat omnibus de mediis, sine quibus impossibilis est salus: ergo &c.

Media autem illa omnibus conferri, etiam docent S. Chrysostomus Homilia 7. in Joannem: *Gratia Dei in omnibus diffusa est, ... omnibus se facilem exhibet, omnes pari honore advocat.*

Augustinus lib. 2. act. cum Felice Manichæo cap. 8. in fine. *Non est ergo indignum ut Deus dicat: Ite in ignem æternum iis qui per liberum arbitrium misericordiam ejus respuerunt*. Ergo supponit omnibus dari gratiam, etiam reprobis: alias Christus merito hanc sententiam contra ipsos ferre non posset, ni habuissent in vita auxilium saltem sufficiens ad faciendum bonum; & ad malum evitandum, cum sine gratia utrumque sit eis impossibile.

Tandem probatur ex Concilio Valentino anno 855. celebrato, cap. 2. ubi dicitur: *Malos non ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt*. Si noluerunt & potuerunt, ergo habebant gratiam, ut possent esse boni.

Q. *Parvulis decedentibus ante Baptismum daturne gratia sufficiens ad salutem?*

R. Cum non habeant parvuli usum liberi arbitrii, & rationis, nec sint expediti ad bene agendum, non dantur iis gratiæ sufficientes, quia gratia sufficiens ideo tantum datur, ut excitetur is qui eam recipit ad bene agendum, vel ut adjuvetur -- Quod maxime verum est de iis, qui in utero materno decedunt -- Nullis tamen desunt media sufficientia, quibus ad æternam fælicitatem pervenire valeant.

Et probatur ex iisdem Scripturæ locis in superiori quæstione relatis de voluntate Dei salvandi omnes, de universalissima Redemptione per Christum &c. *Numquid autem*, ait Augustinus, *homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est*, nempe *vult omnes homines salvos fieri*? 4. Corinth.

Si velit eos salvos fieri, debet ipsis providisse de gratia, si non immediate suf-

sufficienti, pro ut diximus, saltem mediate, seu de auxilio quo possent ab originali peccato liberari, & salutem consequi.

Ad hunc finem Baptismum instituit pro singulis hominibus, & vult omnibus illis applicari, inspirat parentes aut alios, ut vel vitent causas abortus quo impediatur collatio baptismi, vel ut natis Baptismum conferant, vel alios ut orent, & precibus obtineant felicem partum, & amotionem causarum abortus aut necis infantium, aut aliorum impedimentorum Baptismi, & salutis.

Numquid Medicus censeretur sufficienter providisse de remedio alicui ægrotanti, & de applicatione illius, *quantum in ipso est*, si non tantum ordinasset remedium efficax ad sanitatem reddendam, sed etiam illud ipse præparasset, & ministris tradidisset ad illud applicandum ægroto, licet interim ægrotus diversas ob causas supervenientes pharmacum sumere non posset.

Sic Deus, quantum est *ex se*, dicendus est sufficienter providisse parvulis de remedio, & de ejus applicatione, dum Baptismum instituit, & ministros destinavit, qui illum conferrent; licet contingat aliquando, quod ministri impediantur, aut quod parvulus extinguatur in utero Matris, aut extra per causas naturales, quæ Deo quodammodo servientes peccati originalis pœnam exigunt, illis parvulis mortem inferendo.

Q. Quomodo intelligendus celebris ille textus Sancti Augustini: *Plerumque festinantibus parentibus, & paratis Ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur*, Lib. de Dono Persev. c. 12.

R. Per hoc non intendit Augustinus, quod Deus nolit *positive* Baptismum conferri, cum ab ipso pro omnibus institutum sit: sed quod nolit perturbare ordinem causarum, quæ impediunt quo minus Baptismus conferatur.

Deus voluntate *antecedenti* vult sincere parvulos salvari, & ad Baptismum pervenire -- & de hac non loquitur Augustinus, sed de voluntate *consequenti*, qua non velle eorum salutem censetur in hoc sensu, quod nolit impedire cursum causarum secundarum, ne perturbet ordinem naturæ.

Q. *Cur Deus volens parvulorum salutem, non amovet causas mortis, donec ad Baptismum perveniant?*

R. Quia Deus non est provisor particularis, ad bonum speciale unius dumtaxat ordinatus; sed est provisor generalis, & ad bonum commune spectans, qui promisit relinquere omnes causas secundas in exercitio libero, & unamquamque in propria virtute naturali, unde non tenetur impedire lapsum lapidis puerum occisuri; nec accessum lupi ipsum devoraturi; nec astrorum influentias, quæ in causa sunt cur moriatur infans in utero matris - vim enim inferret lapidi, qui ob gravitatem ponderis ruere debet; sicut & lupo, qui famem comprimere desiderat, & cœlorum motibus, quorum natura est influere: & pro tunc Deus non esset omnium suavis provisor.

Hoc non obstante cum Deus præscribendo leges communes naturæ, non ligaverit sibi manus, potest quandoque viis extraordinariis servare puerum unum: donec baptizetur, & alium non.

Cur autem sic agat non est nostrum quærere; sed ad profunditatem misericordiæ cum *Augustino* recurrendum est, cur pro uno faciat miraculum, & non pro alio. Et cum *Apostolo* exclamandum; O *altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia, & incomprehensibilia sunt judicia ejus?*

Q. *Filii infidelium qui non habent usum Baptismi, nonne privantur omni medio ad salutem?*

R. Nequaquam. Non habent quidem auxilium sufficiens *proxime*; habent tamen *remote*; in quantum parentes illorum.

rum habent gratias sufficientes, quibus ad salutem pervenire potuissent, & consequenter ad fidem, sicque procurare potuissent suis filiis applicationem Baptismi: & hoc est quod dicit S. Prosper: *Omnia infantium initia sub arbitrio jacent voluntatis alienæ*.

Q. *Daturne gratia sufficiens hominibus etiam in malo obduratis?*

R. Certissime. Nullis peccatoribus quantumcumque induratis, & excæcatis denegat Deus gratias sufficientes, quibus redire possunt ad pœnitentiam. Omnes textus Sacræ Scripturæ quibus probatur Deum sincere velle salutem omnium hominum, possunt etiam istis applicari -- Non desunt tamen alii textus particulares, quibus Deus suam bonam voluntatem erga impios, & sceleratos ostendit: *Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat*, Ezech. 33.

Idem asserit Petrus Apostolus: *Patienter Deus agit, propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*, 2. Pet. 3.

Sed si Deus nolit mortem peccatoris, nec aliquos perire, necessario debet illis gratias sufficientes concedere, quibus converti possint, alias non vellet ut converterentur, sed potius ut in peccatis morerentur -- Et qua ratione posset illos arguere dicens: *Vocavi & renuistis; extendi manum meam, & non erat qui aspiceret?* Quomodo verificaretur dictum Christi Domini Salvatoris: *Non veni vocare justos, sed peccatores?* Neminem excludit ergo; nulli peccatori, quantumvis impio, atroci, scelerato gratiam sufficientem denegat, sine qua non posset ad eum venire.

Concilia quamplurima, Sancti Patres, tam Latini quam Græci nostræ sunt sententiæ.

Quod si in aliquibus Scripturæ locis dicatur, quod Deus excœcet oculos, induret corda peccatorum, recedat ab eis, eos dimittat, & ab eis gratias auferat, & similia -- Nihil aliud indicant quam substractionem gratiæ habitualis, amoris, & amicitiæ, qua unitur justis, & quam negat peccatoribus, & quo ad hoc ab eis recedit, eos deserit, & despicit.

Possunt etiam loca illa intelligi de gratiis potentioribus, & efficacioribus, quas justissime denegare potest, non autem de gratiis sufficientibus; quod si deessent, non imputaretur illis obduratio illa in peccatis, nec nova peccata, quæ sine gratia nemo vitare potest.

Q. *Daturne etiam ultra gratiam sufficientem gratia efficax?*

R. Certe. Id enim Sacræ litteræ pluribus in locis prædicant, ut Jeremiæ 31. *Converte me, & convertar*. Ezechielis 36. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri; & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis*. Ad Romanos 9. *Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei... O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?... Quid adhuc quæritur? voluntati enim ejus quis resistit?* Ad Philippenses, *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate*.

Ecclesia ipsa a Christo edocta & a Spiritu Sancto gubernata vim gratiæ efficacissimam agnoscit, cum Deum oret, *ut nostras etiam rebelles ad se propitius compellat voluntates*.

Ut largiatur nobis spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius & agendi.

Ut inserat cordibus nostris sui amoris effectum.

Ut faciat nos amare quod præcipit -- Et in pluribus aliis &c.

Et de illa gratia efficaci loquitur Augustinus, dum ait: *quod a nullo duro corde respuatur*.

Q. *Hæc gratia efficax nonne officit libertati?*

R. Nequaquam. Quia illam non necessitat, nec ullam homini ipsi infert violentiam, licet semper effectum consequa-

ſequatur, & humana voluntas nunquam ei reſiſtat; alias ſi reſiſteret, non eſſet amplius *efficax;* poteſt tamen ei reſiſtere, ut declarat Concilium Tridentinum his verbis.

Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum... non poſſe diſſentire ſi velit... Anathema ſit, Seſſ. 6. can. 4.

Clarius id etiam exprimit Concilium Senonenſe Decreto 15. ubi habet: *Nec tale eſt Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit.* Ex quibus oraculis colligitur gratiam efficacem, quæ ſcilicet indeclinabiliter & inſuperabiliter agit ſeu attrahit, ut loquitur Auguſtinus, humanam voluntatem, nullam tamen ei neceſſitatem imponere, cum ſuo fruſtrari poſſit effectu, ſi nempe voluntas ei reſiſteret, id quod poſſe jam demonſtratur.

Q. *In quo conſiſtit efficacia gratiæ, ſeu quomodo ſit efficax. Et qua ratione a gratia ſufficiente diſtinguitur?*

R. Has quæſtiones in Catechiſmo diſceptandas non putamus, ideo Scholaſticorum contentionibus relinquimus. Quamvis, inquit *P. Fraſſen*, Catholici omnes fateantur aliquod eſſe diſcrimen inter gratiam efficacem & ſufficientem, non conſentiunt tamen invicem in aſſignando utriuſque diſcrimine; tam varia enim eſt, totuplexque oppoſita circa hanc aſſerendam veritatem auctorum ſententia & pugna, ut vix quidpiam certi hac in re definire liceat: Cum utrinque graviſſimi ſuboriantur difficultatum fluctus, quos declinare vix poteſt, quantumvis exercita, & illuſtrata humana mens.

Nec mirum ſane, exiſtimo namque concordiam gratiæ efficacis cum humana libertate tam obſtruſæ ac reconditæ eſſe indagationis, ut myſterii nobis in miſeriarum valle degentibus prorſus imperuii nomen ac rationem ſibi juſte vindicet.

Q. *Poteſtne eadem numero gratia eſſe efficax reſpectu unius* V. G. *Petri, & non reſpectu alterius* V. G. *Pauli?*

R. Certiſſime, & hoc probatur ex ore proprio Jeſu-Chriſti exprobrantis habitatoribus Corozaim, & Bethſaidæ, ubi frequenter nunciaverat Evangelium, & ingentem prodigiorum numerum patraverat, quod fidem amplecti, pœnitentiamque agere renuiſſent, quando Tirii, & Sidonii, qui infidelitatis tenebris obvolvebantur, quique nec legem & Prophetas, nec bona piorum exempla, nec prædicationem prodigiis fultam habebant, converſi fuiſſent.

Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent, Matth. cap. XI. v. 21.

Ergo per eaſdem gratias, quas neglexerunt Corozaitæ, poterant Tyrii & Sidonii converti, & de facto converſi fuiſſent, & gratiæ illæ quæ tantum *ſufficientes* remanſerunt, & *inefficaces*, fuiſſent *efficaces*, & debuiſſent eſſe ipſis Corozaitis.

Ergo eædem gratiæ reſpectu unius poſſunt eſſe efficaces, & inefficaces reſpectu alterius.

Vel Tyrii, & Sidonii habuiſſent eaſdem omnino gratias, vel potentiores? Si eaſdem, habemus intentum: ſi diverſas & fortiores, non currit, nec æqua eſt objurgatio Chriſti, quia tunc *Corozaitæ* reſpondere potuiſſent: Si etiam nobis gratias illas validiores dediſſes, utique pœnitentiam egiſſemus.

Non defuerunt tamen *Tyriis & Sidoniis* alia ſufficientia auxilia, quibuſcum pœnitentiam agere poterant, licet non in tanta abundantia, ſicut habuerunt *Corozaitæ & Bethſaiditæ*, qui ultra ſpeciales interiores gratias, virtutes & Chriſti miracula viderant.

Q. *Quæ fidei in Deum omnipotentem utilitas?*

R. Catechiſmus Concilii Tridentini dicit, nihil tam ad fidem & ſpem noſtram

stram confirmandam valere, quam si fixum in animis nostris teneamus, nihil non fieri a Deo posse.

Quidquid enim deinceps credere oporteat, quamvis humanæ mentis conceptum superet, illi tamen facile humana ratio, postquam Dei omnipotentis notitiam perceperit, sine ulla hæsitatione assentitur.

Præterea si boni aliquid expectandum sit, nunquam animus magnitudine rei, quam exoptat, frangitur; sed erigit se se, atque confirmat, sæpe illud cogitans, nihil esse quod ab omnipotenti Deo effici non possit.

„ *Credamus ergo in eum*, inquit S.
„ Augustinus, & *omnia nobis de ipsius*
„ *misericordia promittamus*, *quia* omni-
„ potens est: *ideo in Deum Patrem om-*
„ *nipotentem credimus. Nemo dicat*,
„ *non mihi potest dimittere peccata. Quo-*
„ *modo non potest omnipotens? Sed di-*
„ *cis, ego multum peccavi. Et ego dico*,
„ *sed ille* omnipotens est. *Et tu, ego*
„ *talia peccata commisi, unde liberari*
„ *& mundari non possum. Respondeo*;
„ sed ille omnipotens est. *Videte quid*
„ *ei canitis in Psalmo*: Benedic anima
„ mea Domino, & noli oblivisci om-
„ nes retributiones ejus: Qui propitia-
„ tur omnibus iniquitatibus tuis, qui
„ sanat omnes infirmitates tuas, Psal.
„ 101. *Ad hoc nobis est ejus omnipo-*
„ *tentia necessaria*, S. Aug. Sermone
„ 119. de Tempore.

Utilis est etiam hæc fides ad immensa erga nos Dei beneficia cognoscenda & celebranda: Nam qui Deum *omnipotentem* cogitat, tam ingrato animo esse [illegible] potest, quin sæpius exclamet: *Ecc*[illegible] *qui potens est*.

CREATOREM COELI, ET TERRÆ.

Q. *Quid intelligitur per Creatorem cœli, & terræ?*

R. Quod Deus omnipotens cœlum, & terram ex nihilo condidit, idque non solum sine præcedente materia, sed etiam sine adjutore, sine instrumentis, sine labore, nulla vi aut necessitate coactus, sed solo voluntatis suæ imperio: *ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt*, Psal. 148.

Q. *Quid intelligitur per cœlum, & terram?*

R. Per cœlum intelliguntur omnia cœlestia, Sol, Luna, Sydera, & præcipue Angeli, quos Deus similiter creavit, ut Ipsi assisterent & ministrarent.

Terra vero quæ stat in medio mundi, comprehendit omnes res terrestres, montes, colles, maria, flumina, fontes, arbores, animalia, & præcipue homines.

Hæc omnia *cœli & terræ verbis* intelligenda sunt, quæ Propheta hac sententia expressit: *Tui sunt cœli, & tua est terra; orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundasti*, Psal. 88.

Q. *Solus ne Pater fuit creator cœli et terræ?*

R. Cum in divinis actiones ad extra sint communes tribus Personis adorandæ Trinitatis, dicendum, Filium & Spiritum Sanctum eadem actione mundum, & omnia quæ in eo sunt produxisse: nam per Verbum *omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, Joan. 1. Quod etiam de Spiritu Sancto dicitur: *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, Psal. 32.

Si quæratur cur creatio potius tribuatur Patri, quam Filio, & Spiritui Sancto: Respondendum est rationem esse, quia Pater est origo & principium dua-

duarum aliarum Personarum, & consequenter uti talis omnium creaturarum, quæ ex nihilo sunt productæ.

Q. *Quam ob causam Deus cœlum et terram condidit?*

R. Certe non propter se, quia nullius rei indigens est, ut inquit David: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, Psal. 148. Nulla alia fuit causa, quam ut Angelis & hominibus bonitatis suæ aliquod testimonium communicaret; ipsisque suæ sapientiæ, & potentiæ vestigium imprimeret; & sic ad eum redamandum eos provocaret.

Q. *Quare in Concilio Constantinopolitano additum fuit Simbolo Apostolico: Visibilium, et invisibilium?*

R. Ea addita sunt contra Manichæos, qui duos rerum conditores ponebant, nempe *Deum* optimum, *invisibilium* auctorem; & *Deum malum*, visibilium, carnis scilicet, corporumque factorem, & eorum quæ sub sensum cadunt.

Duas etiam animas in homine asserebant, unam bonam a Deo bono, & malam ab adverso principio.

Quia ergo dicebant omnia non fuisse facta ab uno solo Deo, sed quædam a malo, idcirco additum fui, *factorem cœli et terræ, visibilium, et invisibilium*: Quibus verbis significatur Deum produxisse tam ea quæ sub sensum cadunt, quam ea, quæ mente solum a nobis percipi possunt.

Q. *Fuitne totus mundus creatus in eodem instanti?*

R. Sanctus Augustinus, Philo judæus, & Origenes & alii censent mundum sex dierum spatio non fuisse conditum, sed eodem momento omnia simul fuisse procreata. Licet hæc sententia propter auctoritatem Sancti Augustini admitti possit; attamen multo probabilius est Deum in mundi creatione sex dies distinctos impendisse: & hæc sententia propugnatur fere ab omnibus Patribus, qui Augustinum præcesserunt, & quidem cum majori ratione ut pote Moysis narrationi magis consentanea -- Exodi enim habetur: *Sex diebus fecit Dominus cælum & terram*, & in septimo ab opere cessavit, Exod. 20.

Unde præcipit populo Israelitico, ut diem Sabbati custodirent, & ab omni opere cessarent, ad imitationem Dei, qui completis omnibus septimo die quievit.

Duo Sacræ Scripturæ textus qui objici solent, non evertunt nostram sententiam. Primus est: *ista sunt generationes cæli & terræ, quando creata sunt in die quo fecit Dominus cælum & terram*, Gen. cap. 2. Alter est: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul*, Eccl. 18. Nam in primis ly in *Die* significat idem ac successive seu in *Diebus*, hoc est tractu temporis, cum non raro S. Scriptura diem pro tempore usurpet.

In secundo, ly *simul* significat idem ac *pariter*, vel universim, ut cum dicitur: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, Psal. 13. item *simul insipiens, & stultus peribunt*, Psal. 48.

Q. *Mundus destrueturne aliquando? an erit in æternum duraturus?*

R. In æternum duraturum colligitur ex variis scripturæ locis: *Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi*, Psal. 148. *Terra autem in æternum stat*, Eccl. 8. *Omnia opera quæ fecit Deus, perseverant in æternum*, ibid. 3. Deinde certum est Beatos semper futuros in cœlo; & damnatos ignibus inferni perpetuo arsuros.

Nec obstat id quod habetur in Apocalipsi cap. primo: *Vidi cælum novum, & terram novam*; nec quod dixit Christus: *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, Matth. 24. item nec illud Isaiæ, cap. 65. *Ego creo cælos novos, & terram novam*. Non ideo, *inquam*, concludendum est, mundum in æternum non duraturum, quia textus illi, & alii qui ordinarie citari solent, solum indicant *innova-*

tionem accidentalem, non vero creationem *substantialem*. Mundus ergo post judicium fiet novus quo ad formam & figuram, non quo ad substantiam. Corpora Cœlestia cessabunt a motu locali, & elementaria a mutua actione, & alteratione, substantiis eorum remanentibus.

Q. *Quando fiet ista innovatio, seu quamdiu mundus pro statu præsenti duraturus est?*

R. Judæi olim ex veteri traditione autumabant, mundi ætatem intra 6000. annorum spatium claudendam: Quorum duo millia in statu naturæ ante legem; totidem sub lege, reliqui 2000. sub Messia transigendi essent. Sex diebus, *ajebant*, mundus est constitutus, ita sex annorum millibus consistet: anni enim mille velut dies una coram Deo reputantur, Psal. 19. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit*.

Cum vero sextum millenarium jam valde defluxisse videant, nec eorum statum in meliorem conversum, nec in melius vertendum spes ulla appareat, opinionem de mundo post sex annorum millia perituro nunc penitus rejiciunt.

Verumtamen eadem de mundi ætate post annos sex millenos absolvenda sententia apud Patres invaluit, & a quibusdam ultimi sæculi Doctoribus defenditur. Eamdem amplexi sunt Cyprianus, Lactantius, Ambrosius, Hieronymus, Irenæus, Hilarius & multi alii, quos Cornelius a Lapide allegat in Apocalipsim cap. 20.

Quare juxta hanc traditionem, & nostram Chronologiam vulgo probatam, quæ Domini nostri Jesu Christi nativitatem post annos quater mille a creatione mundi constituit, ab hoc anno 1748. usque ad mundi exitum, anni ducenti quinquaginta tres supersunt, quibus elapsis, sex annorum millia completa erunt.

Verum S. Augustinus, qui ut colligitur ex libro de Civitate Dei l. 20. cap. 7. in eamdem inclinasse videtur opinionem, Et alibi in Psalmum 89. acrius invehitur contra illos, qui sex annorum millia mundi ætati definiunt, cum postremæ diei tempus & horam unius Patris cognitioni reservatam esse, Jesus-Christus in Evangelio pronunciaverit. Et hæc sententia, relictis aliis opinionibus, est omnino populis prædicanda, juxta præceptum Ecclesiæ.

DE ANGELIS

De Creatione, & Lapsu Angelorum.

Q. QUando, *& ubi fuerunt creati Angeli?*

R. Creati sunt eodem die, quo creavit Deus cœlum & terram. Et hæc est communis Patrum sententia.

Quantum ad locum creationis, existimatur fuisse cœlum Empireum.

Quod si Lucifer dixerit, in *cœlum conscendam*: non loquitur de cœlo Empireo in quo erat, sed de cœlo divinitatis, ut sequentia verba denotant: *similis ero Altissimo*.

Q. *Si in cœlo Empireo creati sunt Angeli, fueruntne ergo beati, & quomodo peccare potuerunt?*

R. Fuerunt revera beati beatitudine *naturali*, consistente in cognitione & contemplatione Dei, in quantum naturaliter cognosci potest: Non autem beatitudine *supernaturali*, quæ consistit in clara Dei visione, a qua quis excidere non potest.

Q. *Quanto tempore mali Angeli in gratia perseveraverunt?*

R. Hoc incertum est. Aliqui dicunt eodem die quo creati sunt, lapsos esse. Alii die sexto, quando homo formatus est. Constat tamen peccasse antequam

Adam

Adam Dei mandatum transgrederetur, cum fructum vetitum gustaverint primi parentes ex suggestione ipsius Dæmonis.

Q. *Quid est Angelus?*

R. Est substantia seu creatura incorporea, intellectualis, arbitrio libera, semper mobilis, Deo ministrans; gratia, non natura immortalis, cujus substantiæ speciem & terminum solus qui creator est novit, *secundum Joannem Damascenum*, Lib. 2. cap. 3.

Q. *Unde constat dari Angelos?*

R. Ex multis Sacræ Scripturæ locis. *Apparuit Angelus Joseph*, Matth. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam*, Luc. 1. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.*

Habetur etiam in Simbolo sub hoc verbo *invisibilium*. Quasi diceretur; Deus fecit cuncta visibilia & in eis hominem, tanquam istius generis rerum caput: & cuncta etiam invisibilia, qui sunt spiritus seu Angeli.

In Veteri Testamento multæ leguntur Angelorum apparitiones, multique textus eorum existentiam declarantes: ut, *ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te*, Exod. 31. *Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus*, Judith. 13. *Angelis suis Deus mandavit de te*, Psal. 90.

Angelos a Deo creatos esse clare declarat Apostolus dicens: *Quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, & in terra: Visibilia & invisibilia, sive Troni, sive Dominationes, sive Principatus*, sive *Potestates* &c. Coloss. cap. 1.

Q. *Quid Angelus denotat?*

R. Angelus Grece *Nuntius* dicitur, cum a Deo velut judiciorum vel misericordiarum executor mittitur. Unde Angelus est nomen officii, non naturæ, qui etiam semper sunt spiritus, sed non semper Angeli vocari possunt, nisi dum eos mittit Deus annunciare, aut exequi quod jusserit.

Q. *Angeli suntne corporei?*

R. Aliqui ex Sanctis Patribus, inter quos numerantur Tertullianus, Justinus, Lactantius, Cyprianus, Augustinus &c. putarunt Angelos habere aliquod corpus tenuissimum: Nec idcirco in fide errarunt, quia Ecclesia nihil de hac controversia definierat, nec definivit: pro certo tamen teneri debet Angelos spirituales esse; & probari potest ex diversis Scripturæ locis, ut ex Psalmo 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus*. Item ex Epistola ad Hebræos, cap. 3. ubi habetur quod Angeli *sint administratorii Spiritus*. Tandem incorporeos esse declaratum est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *Deus utramque naturam de nihilo condidit, spiritualem & corporalem; nempe elementarem, & Angelicam; & tertiam humanam compositam ex corpore & anima.*

Cur autem sint spirituales, nulla de hoc dari potest ratio a priori, bene a posteriori. Si Angeli essent corporei, non posset existere in corpore obsesso *Legio* Dæmonum quæ componitur ex 6666. id est, ex sex millibus sexcentis sexaginta sex & tamen oppositum habetur Luc. 8. nec posset unus Angelus cubiculum ex omni parte occlusum ingredi, quod tamen multis exemplis falsum comprobatur.

Q. *Angeli mali patiuntur ab igne infernali, qui corporeus est: item depinguntur in forma Juvenum, cum alis &c. Nonne bene infertur debere esse corporeos?*

R. Angelos seu Dæmones torqueri quidem igne inferni, qui materialis creditur, non physice, sed moraliter ex viva apprehensione ignis, maxime ipsis nocivi & disconvenientis.

Quod autem ille ignis non eos cruciet per tactum physicum, ex eo colligitur, quod Dæmones sentiant illum ignem etiam in aere existentes, qui tamen longe est ab eis.

Quod si Angeli depingantur in forma juvenum cum alis &c. non est

quod reipsa tales sint, sed quia in humana forma pluries hominibus apparuerunt cum ad eos missi sunt a Deo.

Alæ vero cum quibus repræsentantur, eorum fervorem & velocitatem in exequendis Dei mandatis demonstrant.

Q. Estne magnus Angelorum numerus?

R. Quantus sit Angelorum numerus nullibi est revelatum. In maxima tamen esse multitudine colligitur ex eo quod habetur Danielis 8. *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.*

Q. Suntne plures Angeli, quam homines?

R. Si S. Cyrillum Jerosolimitanum consulamus, multo plures esse quam homines fatebimur: *Cogita*, inquit, *homines qui fuerunt ab Adamo usque ad hodiernam diem, & futuri sunt usque ad extremum judicii diem: magna quidem hæc multitudo; sed hæc tamen parva est. Plures enim Angeli. Nonaginta novem oves sunt illi; Tu vero centesima, quoniam unum tantum est genus humanum*, Catechesi cap. 16.

Sanctus Bernardus dicit; *solos Angelos in Paradiso existentes plures esse quam sint stellæ, quam sint arenæ maris, ac terræ, quam sint folia & herbæ, quam sint omnia quæcumque creata*, Tom. 4. serm. 48.

Q. Quot sunt Angelorum Ordines?

R. Quamvis fides non dicat, seque ignorare Augustinus fateatur, communis sententia est, quamplurimorum Patrum auctoritate suffulta, novem esse Angelorum Choros, sive ordines, in tribus Hierarchiis distinctos.

PRIMA ANGELORUM HIERARCHIA.

TRes Choros continet, nimirum Cherubim, Seraphim, & Thronos. Seraphim tales dicuntur ab igneo charitatis ardore, Isaiæ, c. 6.

Cherubim, a multitudine Scientiæ, Gen. 3. Psalm. 17. & 79.

Throni vero, ob celsitudinem, quod in eis Deus singulari modo requiescat, Collofs. 1.

Secunda Hierarchia continet Dominationes, Virtutes, & Potestates.

Dominationes dicuntur quia mira potentia præeminent, eisque cæteri Ordines inferiores ad obediendum subjecti sunt, Colofs. 1.

Virtutes dicuntur ob firmitatem & vigorem, & quod per eos signa & miracula fiant, Psalm. 148. Ephes. 1.

Potestates vero, quia eorum potestate Dæmones comprimuntur, ne hominibus noceant quantum volunt, Collofs. 10.

Tertia Hierarchia continet Principatus, Archangelos, & Angelos.

Principatus illi dicuntur qui inferioribus ad explenda Divina ministeria præsunt, Collofs. 1. Ephes. 1. Psal. 25.

Archangeli, qui maxima nunciant, Thessal. 1.

Angeli, qui minora nunciant, & de his fit mentio per totas Scripturas.

Q. Quæ sunt ministeria Angelorum circa Deum?

R. Primum & principale est Deum semper amare; & nunquam a laude ejus cessare. Isaias concentum sic describit capite sexto: *Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus.* Et S. Joannes in sua Apocalypsi capite quinto, ait: *Audivi vocem multorum Angelo-*

rum dicentium voce magna : dignus est Agnus , qui occisus est , accipere honorem & benedictionem &c.

Ad eorum exemplum Clerici & Religiosi alternis Choris Horas Canonicas decantant .

Si hæc Angeli faciant, quid nos vermiculi ? Ardent Seraphim dum laudant Deum ; & nos frigemus !

Tremunt illi , & nos nullo pudore afficimur : ipsi volantes propius accedunt , & nos segniter agimus , nullo mentis gressu de virtute in virtutem procedentes .

Q. Quod officium exercent Angeli erga nos ?

R. Preces nostras, & cætera pietatis opera ambitioso famulatu , ac ministerio, ut loquitur S. Hilarius, ad Deum provehunt. *Quid causæ putas* , inquit , *quod Angeli in scala ascendentes & descendentes vidit Jacob ? nisi quod continuo illi ascendunt , preces & vota Divinæ majestati oblaturi .*

Q. Potestne exemplo hoc confirmari ?

R. Omnino . Unus aliquis ex Angelis primariis Tobiæ dixit: *Ego obtuli Orationem tuam Domino*, Tob. 1. Alius Cornelio Centurioni affirmavit , Act. 10. *Orationes tuæ , & eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei .*

Q. Quare Moyses Angelorum , sicut & cæterarum rerum creationem clare non enarravit ?

R. Respondet Theodoretus quæstione secunda in Genesim ; Ad omnem Idololatriæ occasionem præscindendam : *qui lege* , inquit, *regebantur, solidæ & constantis fidei nihil habebant . Mox enim , post plurima & ineffabilia miracula , imaginem vituli Deum designaverunt . Quod si tam facile Deos sibi finxerunt e jumentorum simulachris , quid non perpetraturi fuissent invisibilis naturæ notitiam assecuti ?*

DE ANGELIS CUSTODIBUS.

Q. H*Abentne Regna , Provinciæ , Urbes , imò & Ecclesia ipsa particularem Angelum Custodem ?*

R. Certum est singulos Angelos destinari a Deo ad custodiam regnorum, provinciarum , urbium , & Ecclesiæ : Nam Sanctus Michael dicitur *Princeps populi Israel , & custos Synagogæ* . Sic testatus est Angelus Gabriel , dum Danielem allocutus ait : *Michael Princeps vester*, Dan. 10.

Meminit etiam idem Angelus *Principis Persarum* ; *quo nomine Angelum ejusdem nationis* designari interpretes autumant .

In Deuteronomio juxta textum 70. Interpretum legitur : *Constituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei* , Deut. 32. quæ verba de *Angelis* populorum & nationum *Custodibus* dicta, Rabbini & Patres interpretantur .

De Ecclesia vero scribit S. Joannes *ad Angelos septem Ecclesiarum*, in Asia minori , quod juxta Sanctos Patres non tantum de Episcopis illarum Ecclesiarum, sed etiam de Angelis eisdem destinatis intelligendum est , Apocal. 2. 18. 12.

Ibidem , ut putat S. Bonaventura , *Michael præliatur pro Ecclesia contra Luciferum* .

Et S. Dionysius sermone de Angelis dicit : quod idem Michael , qui olim *Synagogæ* , nunc *Ecclesiæ præsidet* .

Non tantum regnis & Ecclesiæ , sed etiam exercitibus præsunt , ut patet ex his verbis : *Tollens se Angelus Domini, qui præcedebat Castra*, Exodi .

Theologi etiam putant aliquos Angelos ex præcipuis deputari custodiæ Regum & Principum , Pontificum , Prælatorum , & aliarum Personarum publicarum ; imo & duos singulis , u-

num pro *persona*, & alium sublimiorem pro *regimine*.

Ex his constat Angelos deputari regnis, provinciis, urbibus, congregationibus, & Ecclesiæ.

Q. Danturne Angeli Custodes etiam singulis hominibus?

R. Suum unicuique homini a Deo præpositum esse Angelum Custodem, colligitur tum ex veteri, tum ex novo Testamento.

Jacob Angelum nominat omnium itinerum suorum ducem, & in periculis adjutorem: *Angelus qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*, Gen. 48. & Psalmo 90. David ipse Angelos protectores memorat dicens: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Et Judith, amputato Holophernis capite, ait: *Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus*, Judith. 3. Petro cum in carcere esset, *adstitit Angelus Domini*.

Tandem Christus Jesus monet in Evangelio Discipulos: *Ne contemnatis unum de pusillis istis, Angeli enim eorum semper vident faciem Patris*, Matth. 18.

Ob hoc exclamat Hieronymus: *Magna dignitas Animarum, ut unaquaque ob ortu nativitatis habeat Angelum ad custodiam deputatum?*

Q. Infideles, & reprobi habentne etiam ipsi Angelum Custodem?

R. Certissime; Nam cum Deus velit omnes illos salvari, præparaveritque omnibus media necessaria ad salutem, etiam illis providet Angelum Custodem.

Et sicut permittit peccatores & reprobos tentari a Dæmone, & aliis hostibus; ita congruit bonitati suæ, ut eisdem provideat de bono Angelo ad tutelam, si velint ea uti.

Dicit quidem Apostolus: *Omnes sunt administratorii Spiritus, missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*, Hebr. 1. Ex quibus verbis videtur excludere reprobos ab Angelorum custodia; *Cum illi hæreditatem salutis non sint unquam accepturi*.

At non ita est; ideo enim hæc Apostolus dixit, quia Angeli sunt *principaliter* & primario propter *Electos*; Et *minus principaliter* propter alios, quos a pluribus malis & peccatis revocant.

Q. Deseritne Angelus saltem obstinatos peccatores?

R. Nequaquam. Bonus enim Angelus pronior est ad bonum sui hominis, quam Dæmon ad malum: sed malus Angelus nunquam deserit hominem sive justum, sive impium usque ad mortem; ergo nec bonus peccatorem.

Non diffiteor tamen quandoque Angelos remittere officia custodiæ ob clientum nimiam obstinationem, ut videtur colligi ex illo textu: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam*, Jerem. 31.

Quod etiam indicant multi Sancti Patres. Et sic explicantur alii, qui videntur velle Angelos absolute tales deserere, saltem remissius agendo.

Q. Habuitne Christus Angelum Custodem?

R. Minime. Non indigebat ipse custodia, nec decebat eum, quia custodia dicit in custodiente quamdam præsidentiam, & in custodito indigentiam.

Deputari tamen potuerunt plurimi, vel omnes, non ut Custodes, sed ut *ministri*. Ideo legimus quod victo Sathana, *accesserunt Angeli, & ministrabant ei*, scilicet ut servi Domino.

Q. Habebitne Anti-Christus Angelum Custodem?

R. Certe. Erit enim homo sicut alii, & si Deus vult omnes homines salvare, ita & istum. Et ideo providebit ei Angelum, ut nihil ei desit ex parte Dei de necessariis ad salutem.

Putant aliqui, quod cum ad summum creverit ejus malitia, ut se fingat *Deum*, forte penitus ab eo recedet

An-

Angelus, & deseret eum in malitia sua. Sed nihil certum.

Q. Quæ benefi:ia præstant hominibus Angeli Custodes?

R. Plurima recenset S. Bonaventura; inter quæ: 1. Monent ne peccemus, & cum peccamus increpant, imò & aliquando præveniunt, non ex ira, sed ex charitate: *Venit Angelus ad populum aberrantem a salute, & increpavit*, Judic. 2.

Imò & Deus per illos sæpe nos castigat, sicut & per malos: nam qui missi sunt ad Sodomam subvertendam, erant ex bonis.

Tandem ordinarie *mittit* in peccatores, *iram indignationis suæ, immissiones per Angelos malos*; Psalm. 117.

2. A peccatis deterrent, & liberant ab eorum servitute; fæditatem eorum ostendunt, atrocitatem, pœnas temporales & æternas, ad horrorem excitant, & detestationem inspirant, ostendunt virtutis bona &c.

His & aliis revocant nos a peccato; & ad virtutem juvant.

3. Dæmones coercent, ne gravius tentent, aut alia mala inferant, ut Raphael *Dæmonem ab uxore Junioris Tobiæ expulit*, Tob. 12.

4. Orationes clientum deferunt ad Deum, non quod ipse per se non audiat; & videat; sed quia meritis & orationibus suis vires eis addunt & elevant, & intercedunt. Unde Raphael Tobiam alloquens dixit ei: *Ego obtuli Orationem tuam Domino*, Tob. 12. Imò & ipsimet orant pro nobis, ut asserunt Sancti Patres.

5. In afflictionibus consolantur nos, ut patet de Agar ancilla Abrahæ: *Angelus consolatus est Agar fugientem*, Gen. 32.

Multa alia tum corporalia tum spiritualia præstant beneficia: quorum exempla subministrat Scriptura Sacra.

Duo Angeli domum Loth a nefariorum hominum impetu servaverunt immunem, Gen. 19.

Angelus tres Pueros de camino ignis liberavit, Dan 3.

Alius Prophetam ipsum Danielem in lacu Leonum servavit illæsum, cap. 11. & 12.

In Evangelio legimus, Angelum Domini Sanctum Joseph de secessu in Ægiptum cum Maria Matre, & Puerulo Jesu admonuisse, Matth. 2.

Tres Magos, ut per aliam viam redirent in regionem suam, induxisse.

Tandem quotidiana experientia manifeste probat indefessam erga clientes Angelorum vigilantiam & beneficentiam.

Q. Quid debemus Angelo nostro Tutellari pro tantis beneficiis?

R. Audiatur Sanctus Bernardus super Psalmum *Qui habitat in adjutorio*, qui sic discurrit: *Debemus*, inquit, *Angelo Custodi reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia; in quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe. Ne audeas illo præsente quod vidente me non auderes.*

Ne simus spiritibus illis ingrati, redamemus eos, honoremus eos quantum possumus. *Fideles sunt, prudentes sunt, quid trepidamus? Tantum sequamur eos; adhæreamus eis, & in protectione Dei cæli commoremur. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Imitemur Sanctum Patrem nostrum Franciscum, qui, ut scribit S. Bonaventura, Angelis Spiritibus inseparabili erat amoris vinculo copulatus; Et ob devotionem ipsorum ab Assumptione Virginis Gloriosæ, quadraginta diebus jejunans, Orationi jugiter insistebat.

Q. Quam ob causam Ecclesia Catholica Angelorum ordines veneratur?

R. Triplicem ob causam. *Primo*, quia sunt purissimi Spiritus, in sanctita-

ctitate confirmati, noſtri amantes, qui ſemper aſſiſtunt ante faciem Dei, laudantes & benedicentes eum quem intuentur, & in quem ſemper deſiderant proſpicere, cœleſtes hymnos inceſſabili voce canentes, ſicut Prophetæ teſtantur.

Secundo, quia Angeli inſerviunt divinæ Æconomiæ, nam ex ſcripturis conſtat, non ſolum hominibus deputatos eſſe, eorumque curam gerere, ne illos lædant Poteſtates Infernales, eiſque perniciem adferant, verum etiam nonnullos eorum præeſſe cœlis, elementis, provinciis, regnis, rebuſque nobilioribus naturæ, & ad annunciandum hominibus Dei voluntatem, vel ad certa opera ſalutifera deſtinatos.

Tertio, quia Angeli ultra quod nobis aſſiſtant in hac noſtra peregrinatione, & quam plurimum nos adjuvent in mortis articulo contra Dæmonum aſtutias, & periculoſiſſimas eorum in ultimo iſto certamine tentationes, animas noſtras deferunt ad Tribunal Jeſu-Chriſti Salvatoris, a quo, favorabili ſententia obtenta, eas in ſinum Abrahæ conducunt, in æternum cum univerſitate Beatorum regnaturas: *Factum eſt ut moreretur Mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*, Luc. 6.

Quare Paulus V. ſpeciale Officium de Angelis Cuſtodibus ab univerſa Eccleſia recitari juſſit; ut Cuſtodes Angeli ſingulorum hominum ab illis venerarentur.

Quoties ergo graviſſima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, *invoca Cuſtodem tuum*, inquit Sanctus Bernardus, *Ductorem tuum, Adjutorem tuum: inclama eum, & dic:* Domine ſalva nos perimus, Serm. in Pſalm. qui habitat.

Q. Gaudentne Angeli dum felicem ſuæ cuſtodiæ ſucceſſum reportant?

R. Certiſſimum eſt, quod illorum accidentale gaudium augeatur: *Si enim gaudent Angeli Dei*, ut Evangeliſta teſtatur, *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, Luc. 15. a fortiori lætabuntur & exultabuntur de ſalute & Beatitudine noſtra, quæ eſt pœnitentiæ finis.

Q. Quid, ſi illorum Cuſtodia non bene ſuccedat?

R. Certe ſi mœrore affici poſſent, nullum eſt dubium quin lapſus hominis in peccatum foret ipſis immenſi cauſa doloris. Verum cum ſemper videant faciem Patris Cœleſtis, adeoque non poſſint non eſſe omni tempore Beatiſſimi, nullam exinde triſtitiam accipiunt; cum triſtitia ſit Beatitudinis gaudio prorſus repugnans: Unde ſi Iſaiæ 33. dicatur: *Angeli pacis amare flebant*, hoc debet intelligi per exaggerationem, ſicut & de Deo dicitur Geneſis 6. *Quod Deus fuerit tactus dolore cordis intrinſecus*.

Q. Poteſtne eſſe inter Angelos Cuſtodes aliqua diſſenſio?

R. Licet legatur in Daniele Propheta, cap. 10. v. 13. Altercationem fuiſſe inter Angelos Perſarum, & Medorum, ita ut primus viginti & uno diebus ſecundo reſtiterit; hæc tamen diſſenſio non fuit contra charitatem: inter Angelos enim non poteſt eſſe voluntatum oppoſitio, cum voluntates eorum ſint Divinæ voluntati conformes: ſed quia de futuris ignorant, niſi Deus eis revelet, ideo Deum conſulendo de futuro aliquo circa animas, quibus præſunt, contraria merita allegant, & ſic dicuntur ab invicem diſſentire. Dum poſtea ſciunt Divinam voluntatem, ſimpliciter uniuntur ad invicem.

Q. Poſſuntne Angeli corpora aſſumere?

R. Indubitatum eſt. Exemplum firmiſſimum habemus in Abrahamo. Tres viros vidit, & hoſpitio ſuſcepit, *qui erant Angeli*; ergo corpora aſſumere poſſunt; alioquin Abraham nec os videre, nec hoſpitio ſuſceptos cibis reficere potuiſſet.

Duo

Duo Angeli eduxerunt Loth de Sodomis: *Raphael* multis diebus & longo itinere conversatus est cum Tobia.

Gabriel visibiliter apparuit Virgini Mariæ &c.

Si quæratur ex qua materia corpora formare valeant? dicam ex denso aere, vel ex aliquo cœlesti elemento.

Q. Apparitiones illæ suntne reales, vel imaginariæ?

R. Unum, & alterum esse possunt: quando apparitiones sunt purè imaginariæ, significatur in Scripturis: Jacob dicitur vidisse scalam, & Angelos, *dormiens*; & Angelus apparuisse Joseph in *somnis*.

Non ita est de Abraham, de Tobia, nec de Christo & Matre ejus, & similibus; Apparitiones enim illæ fuerunt *reales*.

Quomodo enim *Jacob* ex lucta cum Angelo remansisset *claudus*, si Angelus verum corpus non habuisset? Et quomodo luctatus esset cum corpore imaginario?

Q. Angeli possuntne in assumptis corporibus manducare, bibere, actiones vitales elicere?

R. Non possunt proprie, sed tantum metaphorice, in quantum producunt actiones externas, quæ vitalibus sunt similes. Unde Raphael Tobiam alloquens dicebat: *Quando eram vobiscum, videbar manducare; sed ego cibo invisibili utor*, Tob. 12. Non fuit ergo vera, realis, & organica manducatio; sed tantum apparens. Ratio est, quia actio vitalis est a principio vitæ conjuncto; actiones autem formatæ ab Angelo non sunt a principio vivente conjuncto, quia corpus illud non vivit; nec Angelus est illi conjunctus intrinsece tanquam forma informans; ergo non possunt manducare, bibere, videre, loqui &c. Quod si dicatur fuisse locutos, hoc est tantum, quia sonos ediderunt humanis vocibus similes.

Q. Quibus de caussis Angelici illi Spiritus in assumptis corporibus apparent?

R. Non propter se ipsos; corporibus enim non indigent: Non feliciores sunt cum habent: non deterioris conditionis cum carent: æque commode sine corporibus Dei consilia hominibus nota facere possunt: corpora tamen quandoque assumunt, sic ordinante Deo, & quidem propter varias rationes.

Primo, ne impossibile judicaremus, quod cum Angelis communem quandoque in Cœlis vitam acturi essemus immortalem; quando & ipsi cum hominibus eamdem quasi vitæ conditionem, in hoc infelici rerum statu subire voluerunt.

Secundo, ut mens nostra corpori tanquam carceri inclusa, corporeis etiam argumentis promoveretur; eoque duceretur & assurgeret externo Angelorum ministerio, quod per se vix penetrare posset.

Tertio, corpora assumunt, & in corporibus visi sunt, ut afflictos erigerent & consolarentur, *Gen.* 21. Ut itineris se duces & comites præberent, *Tob.* 6. Ut vim creaturarum, ne piis obessent, frangerent, *Dan.* 3. Ut impiorum conatus retardarent, & peccata ulciscerentur, 4. *Reg.* 6. Ut Dei voluntatem hominibus revelarent, *Luc.* 1. Et multis aliis de causis.

Q. Quid censendum de spirituum humanorum apparitionibus?

R. Licet non desint, qui hujusmodi apparitiones fabulæ loco habeant, & velut muliercularum somnia explodant, nihilominus Scriptura Sacra, historiæ probatissimæ, & experientia ipsa Spiritus aliquando apparuisse fidem faciunt indubiam.

Primo, exempla nonnulla in Scriptura habentur. Defunctus *Propheta Samuel* apparuit Sauli Regi Israelitarum, 1. *Reg.* 28. eique vitæ finem prædixit.

Libri Machabeorum docent, *Oniam Sacerdotem*, & Jeremiam Prophetam

longe

longe post mortem Judæ Machabæo apparuisse, eique ad bellandum adversus hostes animum addidisse, *Lib.* 2. *cap.* 15.

Moyses & Helias apparuerunt cum Christo loquentes in monte Thabor, *Matth.* 17. *& Luc.* 9.

Cum Christus Dominus post Resurrectionem Discipulis apparuisset, illi existimarunt se Spiritum videre, quibus proinde dixit: Videte manus meas, & pedes meos, quia ipse sum: *Spiritus carnem, & ossa non habet*, sicut me videtis habere, *Luc. cap.* 24. Si Spiritus apparere non possent, errorem correxisset Christus, dixissetque eis, quid timidi, & conturbati estis? *Si Spiritus nunquam appareant, nec apparere possint;* sed in hac opinione ipsos reliquit, quod scilicet Spiritus sub forma quadam visibili apparere possent.

Historia Ecclesiastica plurium Spirituum apparitionibus referta est.

Narrat Gregorius Nyssenus, Gregorio Taumaturgo B. Virginem apparuisse ea specie, quam vix oculi illius ferre possent. *In ejus vita.*

S. Ambrosius, Sanctam Agnetem apparuisse *Constantiæ* Constantini Imperatoris filiæ. *Serm. de Passione S. Agnetis.*

Probus Rheatinæ Urbis Episcopus, vidit SS. Juvenalem & Eleutherium Martyres. S. Greg. Lib. 4. Dial. cap. 21.

Idem Gregorius cap. 30. refert visum Theodoricum Regem Arianum detrudi in ollam Vulcani, & cap. 51. asserit visam esse monialem in Ecclesia S. Laurentii Romæ ante Altare per medium secari.

Apparitiones animarum Purgatorii non minori certitudine a gravissimis Auctoribus referuntur, quas nimium longum esset recensere.

Non facile tamen fides adhibenda est iis, qui dicunt se spiritum vidisse, quia ut plurimum sunt læsæ phantasiæ effectus, aut Dæmonum illusiones. Multæ sunt regulæ discernendi apparitiones reales ab imaginariis, super quibus consulendi sunt homines docti, & graves, Deum timentes, qui veritatem a falsitate deprehendere valeant.

DE MALIS ANGELIS,

SEU DÆMONIBUS.

Q. A *Quo dæmones creati sunt.*

R. Ab ipso Deo omnipotente visibilium, & invisibilium conditore.

Angelos omnes decoros forma, præstantes sapientia, & in omni gratia perfectos effecerat: sed illi pravo libertatis abusu in cacodæmones transformati sunt.

Q. *Quale peccatum commiserunt?*

R. Superbiam proprium primumque Diaboli peccatum fuisse scriptura testatur: *initium omnis peccati superbia*, Eccles. 10. Et Isaiæ habetur: *detracta est ad inferos superbia tua*, cap. 14. Id etiam pespicue significat Apostolus, cum Neophitum ad Episcopatum provehi vetat: *ne in superbiam*, inquit, *elatus, in judicium incidat Diaboli*, 1. Timoth. 3.

S. Gregorius lib. 3. Moral. cap. 17. loquens de peccato Luciferi, ait: *Ei, a quo conditus fuerat, subesse despexit: & ut praeesset cæteris, & nulli subesset*, dixit; *ascendam super altitudinem nubium, & ero similis Altissimo*, Isa. 14. *cujus eo ipso similitudinem perdidit, quo esse ei superbe similis in celsitudine concupivit.*

Scotus vero noster peccatum Angelorum dicit fuisse ex parte superbiam, & ex parte luxuriam spiritualem, seu appetitum inordinatum beatitudinis.

Q. *Angelus ille, qui primo peccavit, cujus Angelorum ordinis erat?*

R. Ex

R. Ex supremo Angelorum ordine, qui Seraphinorum est. Et probatur ex illo Jobi cap. 41. ubi loquens de Lucifero ait: *ipse est principium viarum Dei*; id est præcipuum inter omnes creaturas. S. Augustinus dicit ipsum fuisse cæteris clariorem & principem multorum, quorum societate ad impium certamen contra Michaelem Archangelum descendit.

Q. *Supremus ille dæmon Lucifer præestne Angelis malis?*

R. Ita. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ*, Job. 41. & Matthæi cap. 12. habetur, Judæos exprobrasse Christo, quod in *Beelzebub Principe dæmoniorum ejiceret dæmonia*. Ex quo non leve argumentum deduci potest ipsos credidisse Beelzebub potiri aliqua auctoritate supra cæteros dæmones.

Q. *Angeli mali suntne in æternum damnati?*

R. Cum ratione status non possint de peccato commisso pœnitere, cumque Deus statuerit non concurrere ad eorum conversionem, sic damnati in æternum remanent: id clare exprimit Apostolus Judas in sua Epistola canonica: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni Dei vinculis æternis, sub caligine reservavit*.

Sanctus Petrus id ipsum etiam asserit: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari*, 2. Petr. 2.

Tandem ulterior ratio esse potest, quod ita sint obstinati in malo, & tanto odio habent ipsum Deum, ut nequidem actus doloris, seu pœnitentiæ naturalis elicere valeant.

Q. *Quare Deus non redemit Angelos, sicut redemit homines?*

R. Quis hoc investigare poterit? forte, quia Angeli ex pura malitia peccaverunt, cum nihil esset quod eos ab obedientia retraheret; homines vero ex infirmitate, & violentia tentationum lapsi sunt. Angeli cum essent natura sublimiores, minus quam nos peccare debuerunt, & ideo eorum culpa damnabilior quam nostra judicata fuit.

Quidquid sit, melius est exclamare cum Apostolo: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus?* Rom. 11.

Q. *Estne major numerus Angelorum beatorum, quam eorum qui damnati sunt?*

R. Multo major est numerus Angelorum, qui fideles permanserunt cum Michaele Archangelo, quam qui rebelles fuerunt cum superbo Lucifero. *Plures sunt Angeli*, inquit Hugo de Sancto Victore, *qui nobiscum sunt in auxilium, quam qui nobis adversantur*.

Q. *Suntne omnes dæmones ita in inferno inclusi, ut exinde exire non possint?*

R. Minime. Constat plurimos, permittente Deo, per aera discurrere, ibique sedem suam constituere, ad hominum exercitationem & infestationem: unde Paulus Diabolum vocat *Principem aeris hujus*, Eph. 1. cui subjecti sunt dæmones in aere degentes. Et apud Lucam iidem illi, cum se ex obsessis corporibus exturbandos viderent a Christo, rogaverunt illum ne imperaret illis ne in abyssum irent, Luc. 8. quo nomine tartara, infernosque designant.

Q. *Quomodo ergo cruciantur igne infernali, si ibi non sint alligati?*

R. Torquentur severissime ex vivissima apprehensione. Hoc ipso enim quod sciunt cruciatus illos, & alligationem sibi deberi, seque sempiternis ignibus destinatos, acerbissimos patiuntur dolores, nec ullo modo illorum pœna, sicut nec gloria beatorum Angelorum, qui e cœlo ad nos descendunt, minuitur.

Post diem vero judicii, qui in aere, vel in quovis alio loco relicti sunt,

cum

cum eorum sociis & damnatis in eodem perpetuo carcere claudentur, nunquam inde exituri.

Q. *Cum Deus sciret tot Angelos esse casuros, quare eos creavit?*

R. Respondet ad hoc quæsitum Sanctus Bonaventura, in 2. dist. 3. quæst. 3. quia quamvis præscierit infidelitatem & rebellionem eorum, tamen eos creare voluit, eo quia simul etiam prævidit quibus bonis usibus accommodaret, & quod majora bona inde eliceret, ut dicit Magnus Augustinus in Enchiridion, videlicet bonorum Angelorum & sanctorum hominum victorias, & amplitudinem coronæ &c.

Q. *Ultra Angelum ad hominis custodiam deputatum, assignavit ne Deus simul eidem dæmonem, qui ipsum tentet & a bono retrahat?*

R. Aliqui hoc olim falso crediderunt. Scriptura contrarium indicat pluribus in locis, Deum scilicet potius malignorum spirituum potestatem coercere. Numquid homo sufficienter tentatur, a carne & a concupiscentia sua, nec non a mundo, & a pravis hominibus, &c.?

Probabile tamen est, quod Lucifer ad imitationem Dei unum aut plures dæmones deputet unicuique homini, ut ipsum a virtute retrahant, & ad peccatum inducant: sic permittente Deo pro meliori bono.

Q. *Suntne a nobis valde timendi dæmones?*

R. Potentiores, nequioresque inimicos cum non habeamus, qui tanquam leones rugientes circumeuntes nos, continuo quærunt nos devorare, pertimescendos esse a nobis in hac carne fragili decertantibus, nullus inficiari potest. Plus tamen timendam Dei esse offensam, quam Diaboli potentiam, admonet Sanctus Ambrosius: *Venit Christus & alligavit Diabolum:* Et subdit Augustinus, *latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem*, Serm. 97. de temp. Unde nequidem porcorum gregem ingredi ausi sunt dæmones, nisi Domini nostri Jesu-Christi permissu, Matth. 5.

Licet ut diximus, *non sit potestas super terram quæ comparetur dæmoniorum potestati*, Job. 45. non tamen sunt invincibiles, teste Joanne Apostolo: *scribo vobis adolescentes, quoniam vicistis malignum*, 1. Joan. 1.

Dæmonum est mala suggerere, inquit S. Bernardus, *nostrum est non consentire. Quoties eis resistimus, toties eos superamus, Angelos glorificamus, Deum honoramus, qui visitat, ut pugnemus; adjuvat, ut vincamus; consolidat, ne deficiamus*, in Serm.

Q. *Estne Diabolus auctor omnium malorum?*

R. Maxime. Audiatur Sanctus Augustinus. „ Quid pravius, quid malignius, quidve nostro adversario nequius, qui posuit in cœlo bellum, „ in Paradiso fraudem, odium inter primos fratres, & in omni nostro opere zizania seminavit? Nam in comestione posuit *gulam*; in generatione *luxuriam*; in exercitatione *ignaviam*; in conversatione *invidiam*; in gubernatione *avaritiam*; in correctione *iram*; in præsulatu, sive dominatione *superbiam*. In corde posuit *cogitationes malas*; in ore posuit *locutiones falsas*; in membris *operationes iniquas*; in vigilando movet ad *prava opera*; in dormiendo ad *somnia turpia*; lætos movet ad *dissolutionem*; tristes autem ad *desperationem*. Sed ut brevius loquar; *omnia mala mundi sua sunt pravitate commissa*, S. Aug. in Serm. comm. serm. 4.

Q. *Quæ Diabolo adversum nos tanti odii causa est?*

R. Jacobus Billius sequentibus versibus nobis causam indicat.

Dic mihi, cur tantis odiis nos perfidus hostis
Exagitat, bellis tam gravibusque petit?
Causam odii, tantique *cupis cognoscere belli?*
Hoc odio Summi Numinis *ipse facit.*
Exitium in nostri generis ruit impetu caeco
Quod nequeat supero bella movere Patri:
Ut *si quis* Regem *nequeat cum laedere*, Regis
Arreptam statuam *dente, manuque petat.*

Q. *Quae media adhibenda sunt ad eorum tentationes vincendas?*

R. Fidem, orationem, jejunium, eleemosynam &c. Hæc sunt arma, quibus hos malignos hostes prostravere tot gloriosi Christi discipuli. Hisce etiam & nos victores erimus, si eis uti velimus. Consilium Apostoli sequamur: *induite vos*, inquit, *armaturam Dei*, idest fidem, orationem &c. ut *possitis stare adversus insidias Diaboli*, Eph 6. *Et Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris*, Rom. 16. Dicamus igitur cum Propheta: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* Psal. 26.

Tandem *resistamus Diabolo* armis supra dictis, & ut asserit Sanctus Jacobus, *fugiet a nobis*, Jac. 4.

Hinc optime dixisse judicandus est Sanctus Antonius Abbas: *mihi credite fratres, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, paupertatem, misericordiam, humilitatem, ac ardentem in Christum amorem.* Ita Athan. in vita.

Plurimum etiam valet ad repellendas dæmonum tentationes formatio signi Sanctæ Crucis. Hacce armatura muniti Sancti Patres, ut Antonius, Hilarion, Martinus, & alii prope innumeri, terribiles superarunt dæmonum tentationes.

Item invocatio Sanctorum: *In periculis* inquit S. Bernardus, *in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca* &c.

Item occasionum fuga. Joseph Patriarcha ad turpitudinem allectus, relicto pallio in uxoris Putiphare manibus tentationem vicit.

Q. *Possuntne dæmones hominibus visibiliter apparere?*

R. Quamvis sint incorporei, corporeis tamen oculis se visibiles præbere posse, experientia docet. Non ita raro corpus ex elementis sibi coaptant, vel cadaver subingrediuntur & circumferunt, sive humanum, sive ferinum, & ita illud attemperare possunt, ut tactum fallant, Deo sic permittente. Quamvis plerumque frigida ejusmodi corpora existant: imo cuidam de hoc frigore sciscitanti dæmon respondit *se non posse melius facere*, Deo scilicet obsistente, vel saltem non permittente.

Apparuisse autem, & visos esse dæmones S. Scriptura testatur: & olim quidem primis parentibus in serpente locutus est, Gen. 3.

Tempore vero gratiæ ita Christum tentatum a Diabolo nostris oculis objicit S. Matthæus capit. 4. ut vix aliam quam visibilem formam habuisse, conjicere possimus.

Q. *Quæ loca dæmonum apparitionibus, & infestationibus sunt magis obnoxia?*

R. Quamvis nulla propemodum loca sint quæ non infestantes admittant spiritus, quædam tamen sunt magis eorum infestationibus exposita, ut *desertæ & incultæ solitudines*. Hoc insinuare videtur Isaias Propheta capit. 34. quando desertas Idumæorum civitates docet

tutu-

futuras domicilia dæmoniorum &c.

Hoc ſuo exemplo obſervare potuerunt olim Eremi incolæ, inprimis Magnus Antonius Abbas, qui in ſuo deſerto a dæmonibus ſub forma leonum, luporum, taurorum, aſpidum, & ſerpentum ſæpiſſime timore quodam perculſus fuit.

Secundo, ſunt *loca humida & paludoſa*. Hoc inſinuare videtur Chriſtus apud Lucam cap. 11. dum docet ejectos ab hominibus ſpiritus in locis inaquoſis non invenire requiem, & idcirco ad priores ſedes reverti: Hinc eſt quod apud Aquilonares populos ſpectra plura inveniantur.

Tertio, ſunt *ſpecus ſubterraneæ*, præſertim ubi metalla & alia uſibus hominum neceſſaria effodiuntur. Vix aliquam invenias quæ non ſpectrorum nomine ſit infamis. Idem eſto de locis ubi *reconditi* dicuntur *theſauri*.

Quarto, ſunt *vaſtæ & amplæ arces* derelictæ, & ſemideſtructæ.

Quinto, ſunt *loca memorabili*, *& crudeli cæde aliqua clara*.

Sexto, loca ubi *innocentis ſanguinis effuſi verſantur rei*, & crudeles homicidæ.

Septimo, ubi homines *gravius Deum offenderunt*.

Horum omnium plurima in Auctoribus fide dignis adducuntur exempla, quæ referre ſphæram hujus Catechiſmi excederet.

Q. *Danturne dæmoniaci, ſeu homines a dæmone obſeſſi?*

R. Dari homines a Dæmone obſeſſos, ſeu in quibus Dæmones ſunt, eoſque vexant, & qui idcirco *Dæmoniaci*, ſeu *Energumeni* dicuntur, certum eſt apud nos Catholicos, idque probamus ex opinione ipſorum Judæorum, qui Chriſto objiciebant, *quod Dæmonium haberet*, Joan. 8.

Chriſtus ipſe plures Dæmones non ſolum ab hominibus profligavit, ſed etiam eoſdem ejiciendi Apoſtolis ſuis facultatem dedit, eoſque modum docuit ejiciendi Dæmones inſigniores, dicens: *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur niſi in oratione & jejunio*, Matth. 17. quam facultatem ad uſum redegiſſe conſtat ex his verbis: *Domine etiam in nomine tuo ſubjiciuntur nobis Dæmonia*, Luc. 29.

Notandum, quod prius dixerat Chriſtus: *Signa, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia ejicient*, Marc. 16.

Adde Sanctorum exempla, qui Dæmones orationibus, exorciſmis, aliiſque rebus ab Eccleſia inſtitutis ejecerunt: quod nulli hactenus hæretici, quantumvis Dæmonum amici, mox ſocii futuri, unquam valuerunt.

Nonne in Judam, *poſt buccellam, Diabolus ingreſſus eſt*? Joan. 13.

Nonne Dæmonia, quæ hominum corpora ſubintraverunt, eos reddiderunt cæcos, ſurdos, mutos, & eos nunc in aquam, nunc in ignem præcipitaverunt, nunc per agros & montes agitarunt? Hoc certe conſtat ex Matth. 12. 13. & 17.

Si ergo fuerunt Dæmoniaci tempore Chriſti & Apoſtolorum, cur & nunc eſſe non poſſunt? Ad quid data eſſet Eccleſiæ poteſtas ejiciendi Dæmones, ſi poſt promulgationem Evangelii hominum corpora amplius poſſidere non poſſent?

Q. *Sub qua forma inſunt Dæmones obſeſſis?*

R. Sub forma eorum naturali, non enim requiritur ut aliquod corpus aſſumant, cum poſſint homines affligere ſine corpore aſſumpto. Poſſunt tamen ea aſſumere, & ſub illis corporibus manere, puta ſub ſpecie muſcæ, pulicis, avis &c. ſic cum S. Germanus Epiſcopus Pariſienſis exorcizaret mulierem obſeſſam, Dæmon exivit in forma muſcæ. Et S. Fortunatus a Diacono quodam Dæmonem expulit ſub ſpecie parvæ avis.

Q. *Qua de cauſa Deus permittit Dæmoni, ut corpora hominum invadat, aut poſſideat?*

R. Va-

R. Variis de causis.

1. Ut innotescat Dei clementia, inquit Chrisostomus, dum ostendit a quali hoste per Filium suum nos liberaverit: adversus quem homini potestatem dedit, ut possit eum superare, & expellere, ejusque vires pessumdare.

2. Id Deus permittit ad demonstrandam suam justitiam, qua vult in hac vita peccata punire, ut homines timorem conciperent pœnarum infernalium, cum vident earum ministros tantam exercere truculentiam.

Quod autem ob peccata Dæmones intrent hominum corpora, patet, præter alia exempla, in *Maria Magdalena*, ex cujus corpore Jesus-Christus *septem Dæmonia* ejecit; cujus rei rationem reddens Evangelista, ait: *erat in civitate peccatrix*, Marc. ult.

At non solum ob propria, sed etiam ob aliena peccata hoc modo homines puniuntur, ut docet exemplum Eleutherii, ob cujus peccatum denuo Dæmon discipulum, quem reliquerat, invasit. Mulier libenter auscultans filium de Episcopo detrahentem, ipsum a Dæmone extinctum vidit: quod si reprehendisset, nequidem Dæmon eum attigisset. Hæc exempla referuntur a S. Gregorio Papa, lib. 3. Dialogorum cap. 20. & 31.

Q. *Quæ sunt peccata specialia, ob quæ homines ut plurimum a Dæmone obsidentur?*

R. Sequentia assignari solent.

1. *Infidelitas*. S. Cyprianus in quodam sermone de lapsis dicit, multos olim a Dæmonibus idcirco obsessos fuisse, quod a fide recessissent. Surius refert Nicomachum, postquam Christum in tormentis negasset, & idolis sacrificasset, ab immundo spiritu occupatum fuisse.

2. *Sacro Sanctæ Eucharistiæ abusus*. Idem S. Cyprianus asserit, viros, & mulieres a spiritibus malis obsessos fuisse, quod sine confessione atque pœnitentia peccatorum ad mensam Domini accessissent.

3. *Blasphemia*. Narrat Gregorius Turonensis, juvenem quemdam in Sanctum Lupum blasphemias evomentem, divinam ultionem sensisse, nam & lingua, qua blasphemias in Deum & S. Virum effudit, obriguit, & statim a Dæmone obsessus vitam in cruciatibus finivit.

Prætereo multa alia exempla ab auctoribus fide dignis recensita.

4. *Luxuria*. Ob hanc Corinthius ille nequam, qui uxorem Patris habere non verecundabatur, nec formidabat, ab Apostolo traditus est *Satanæ*. Et forte ob impudicitiam septem Dæmoniorum tirannidem passa est Magdalena: commodum Dæmoniorum domicilium esse luxuriosos, nullus non scit.

5. *Avaritia*, quæ est idolorum servitus, Dæmonibus facile aditum præbet; cum juxta Apostolum, qui divitiis student in laqueos Diaboli, & in varias tentationes incidant.

6. *Filiorum in parentes impietas*. In vita S. Parthenii legitur, quod rogatus a parentibus pro incolumitate filii possessi, responderit: *Sinite, torqueatur a Diabolo: parricida est: parentibus vobis sæpe molestus fuit; & quam eidem optastis, justam sustinet castigationem.*

7. *Imprecationes*. Novum non est a Dæmonibus possideri eos, quibus alii illis imprecati fuerunt. Refert Cæsarius lib. 5. cap. 6. Patrem quemdam filiæ lac suggenti imprecatum esse, ut una cum lacte Diabolum voraret, quod statim evenit.

Aliud exemplum habemus in vita Zenonis Martyris. Ibi mater cum febricitanti filio poculum aliquoties præbuisset, nec filius petere desisteret, impatientia victa, eidem poculum offert, & cum poculo Dæmonium imprecatur; & mox ille a Dæmone misere cæpit torqueri.

Q. *Sunt-*

Q. *Suntne peccata causa unica possessionis?*

R. Nequaquam. Ex historiis habemus aliquando homines absque ulla culpa a Dæmonibus possideri. *Sanctus Augustinus*, & *S. Hieronymus* narrant se vidisse pueros, ubera adhuc lactantes, a nefariis spiritibus possessos.

Sed *Marcus Evangelista* exemplum nobis præbet indubitatum in juvene illo, qui ab infantia gravissimam Dæmonis vexationem sustinuit, quemadmodum Pater pueri Domino Jesu-Christo interroganti est confessus, S. Marc. c. 9.

Legimus Eremitam quemdam a Deo postulasse, & impetrasse, ut per menses aliquot ejus corpus ab inhabitante Dæmonio affligeretur, propter periculum peccati, quod timebat, superbiæ: Cognovit profecto vir pius, non semper ob prætcrita, & commissa peccata tribui Dæmonum torturam, sed quandoque permitti, ne in peccata homines incidant, Deumque offendant.

Q. *Quibus modis expelli possunt Dæmones ex corporibus obsessis?*

R. Josephus Judæus lib. 8. Antiquitatum, cap. 2. dicit, Deum ostendisse Salomoni radicem quamdam adversus Dæmones; seque vidisse Eleazarum Judæum abstraxisse per nares Dæmonem a filio tribuni cujusdam exercitus Vespasiani, inferendo naribus ejus præfatam radicem.

An Salomon hac arte usus fuerit, dubitatur: unde dicunt aliqui, artem illam ejiciendi Dæmones per certam radicem, esse superstitiosam, illicitam & meram imposturam: quod si revera eadem usus fuerit, antequam depravatus per mulieres idola coleret; tunc volunt, ex Dei institutione radicibus illis vim expellendi Dæmones adscribendam esse; non vero virtuti illius naturali. Porro herba illa a quibusdam vocatur *Bardas*. Angelus Raphael docuit Tobiam *jecore piscis super carbones posito*, fumo suo *expellere omne genus Dæmoniorum*, Tob. cap. 6. 8. & 9. & hoc in dubium revocari non potest; sed Interpretes dicunt, fuisse in hoc casu particulari inditam divinitus quamdam virtutem isti jecori, non vero fuisse intimam, & naturalem.

Q. *Quis securior modus pro nunc ejiciendi Dæmones?*

R. In lege Evangelica plures assignantur.

1. *Oratio*, dicente Christo, aliquod genus esse Dæmoniorum, quod non ejicitur *nisi in oratione, & jejunio*. Idcirco orationem semper adhibuit Ecclesia, dum obsessos liberare suscepit.

2. *Nominis Jesu invocatio:* Hanc formam seu modum expellendi Dæmones per nominis sui invocationem ipse Dominus præscripsit, dicendo: *in nomine meo Dæmonia ejicient*, Marc. ult. Sic S. Paulus præcepit Dæmonio in *Nomine Jesu*, ut a puella exiret, Act. 6.

Sic Sanctus Bernardus Dæmoniacam liberavit his verbis: *in Nomine Jesu-Christi præcipio tibi* Dæmon, *exi; nec hanc mulierem rursus ingrediaris.*

3. *Usus Reliquiarum Sanctarum*, ut plurima testantur exempla. Habetur in Breviario Romano, quod quidam Comes Othonis Imperatoris familiaris, occupatus ab immundo spiritu, se ipsum dentibus dilaniaret; jussu vero Imperatoris ad Joannem Pontificem ductus sit: Hic ut Sacram Petri catenam attigit, erumpens nefarius Spiritus hominem liberum reliquit.

Agnovit hanc reliquiarum virtutem Pipinus *Caroli Magni* parens. Cum enim Clericum suum (*Branco* is vocabatur) a Dæmonis tirannide cuperet absolvi, Sancti Maximi *Reliquias* imponi super eum jussit; nec spes fefellit: statim curatus est *Branco*.

Cum nihil proficerent Religiosi Monasterii Bellevallencis in exorcizando Dæ-

Dæmoniacum; *Pontius* loci *Abbas* stola, qua utebatur S Bernardus, energumenum cooperuit; & subito malignus spiritus eum reliquit.

4. *Sanctæ Crucis usus*. Mirum certe videri non debet per signum Crucis ex humanis corporibus Dæmonem profligari, cum id innumera prope demonstrent exempla.

Gregorius Lingovicus Episcopus ex energumenis ad se adductis, tantum facto Crucis signo, jubebat Dæmonia recedere.

Scribit S. Epiphanius *lib. Hæres.* 30. Josephum quemdam nondum Christianum Christi Cruce Dæmonia ejecisse: Et deinde Christianum effectum eodem signo Judæorum incantationes destruxisse.

Eadem Cruce usa est *S. Catharina Senensis* ad expellendos Dæmones.

Patroclus Eremita plurimos Dæmoniacos curavit solo Crucis signo adhibito.

Nec mirum est signis Crucis Dæmones ex hominum corporibus pelli, cum extra homines constituti hujus vim ferre nequeant.

S. Gregorius Neocæsariensis sæpissime his armis spiritus infernales oppugnavit.

S. Margarita Dæmonem in forma Draconis sibi appropinquantem signo Crucis profligavit.

S. Antonius Abbas hoc armorum genere spiritibus immundis terribilem se præbuit: & contra omnes terrores solo Crucis signo jubebat securos esse Monachos.

Hæc exempla sufficiunt ad probandam Crucis Domini nostri Jesu-Christi virtutem.

Q. *Cum Angeli quandoque appareant hominibus, quis modus dignoscendi bonum a malo?*

R. Omnis Angelus sive bonus, sive malus, hominibus apparens, initio timorem incutit, quia inferior natura a superiore subjici naturaliter timet, at bonus ante recessum consolationem præbet: malus autem perterritum hominem relinquit.

Dignoscitur etiam Angelus malus, si ad præsentiam rerum Sacrarum effugiat, nimirum signi Crucis, aquæ benedictæ, nominis Jesu; Beatæ Mariæ Virginis, aut alicujus Sancti reliquiarum.

Item, si hæc improbet aut dissuadeat, manifesta sunt indicia Dæmonem esse.

Animadvertendum insuper, quod Angeli boni sub una eademque forma humana, & quidem virili appareant, Dæmones vero non semper sub humana forma; sed ut plurimum sub forma quadrupedum, volatilium, reptilium & aliarum bestiarum se se visibiles exhibeant.

A columbæ tamen, vel agni specie abstinent; tum quia mystice Spiritum Sanctum, & Christum designant; tum quia hæc animalia felle carentia truculentis Satanæ moribus non conveniunt. Et loquendo de forma humana, si eam Dæmones assumunt, atra ut plurimum est, deformis, mutila, & inusitata, & quæ malum sub ea spiritum latere demonstrat.

Q. *Possuntne Dæmones generare assumptis corporibus?*

R. Licet nonnulli hoc affirment, generationes tamen illæ non sunt proprie a Dæmone, nec veræ generationes; quia hoc non fit per semen a Dæmonibus demissum, aut a corporibus assumptis; sed per semen alicujus hominis acceptum; quando scilicet idem Dæmon, qui est succubus ad virum, fit incubus ad mulierem.

Unde generationes illæ sunt a viris, ex quibus deciditur semen, & a mulieribus, quæ illud excipiunt. Sic rem explicat S. Bonaventura, qui addit, quod illæ generationes tribuuntur non quidem Angelo bono, quia absit quod talibus vilibus se immisceat; sed Dæmo-

 ni,

ni, supposito quod modo enarrato generare queat, de quo non conveniunt omnes.

Q. *Possuntne Dæmones formam assumere Angeli boni?*

R. Certe. Non semel permittente Deo, se transfigurarunt in Angelos lucis: & Christi Domini, Beatissimæque Virginis, & Sanctarum personarum formam sæpius assumere ausi sunt, ut referunt gravissimi auctores citati a Lambertino modo Summo Pontifice, lib. 2. cap. 51. n. 3. Idque tanta calliditate, & versutia, ut viros etiam probatæ virtutis non semel in errorem induxerint; quodque notatu dignum est, aliquando in suis visionibus & apparitionibus bonum persuaserunt, ut majus bonum impedirent: & ad aliquem actum virtutis hortati sunt, ut facilius incautos deciperent, & successu temporis ad horribiles lapsus sensim inducerent.

A quibus ut caveatur, tum orationis præsidium, tum virorum prudentum, & in discretione spirituum versatorum, consilium est necessarium.

Q. *Quid concludendum de illis, qui dicunt se apparitiones Angelorum habuisse.*

R. Concludendum est, ne similes æstiment spirituum visiones, quæ & si fuco carerent, parum admodum ad perfectionem hominis faciunt.

Si Spiritus aliquid præcipiant, aut exigant, dicant se prius ad confessarium rem velle defferre, seque ab ejus judicio in omnibus velle pendere.

DE

PARADISO TERRESTRI.

Q. QUid est Paradisus terrestris, *quandonam, & ubi creatus fuit?*

R. Paradisus terrestris est locus amænissimus, seu hortus deliciosissimus, voluptates cujusvis generis in se complectens: Creatus die tertia mundi conditi, ad Orientalem plagam, in Haram Palæstinæ, non longe a Mesopotamia, seu Arabia Fælice. Colligitur ex capite secundo Genesis, ubi habetur: *plantaverat autem Dominus Paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat, produxitque lignum vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni, & mali* &c.

Q. *Extatne adhuc Paradisus iste?*

R. Quidquid dicant aliqui periisse aquis diluvii, probabile est etiam nunc extare, si non quo ad cultum & amænitatem, saltem quo ad substantiam. Voluit tamen Deus hominem latere in pœnam peccati. *Et collocavit ante Paradisum Cherubim*, id est Angelos ex ordine Cherubinorum, *custodes ligni vitæ, flammeo gladio*, Gen. 3. ut nempe ab illius accessu arceant, non solum homines, sed & Dæmones.

Q. *Quid erat illud lignum vitæ positum in medio Paradisi?*

R. Arbor erat excellenter vivificans, cujus fructus vim quamdam naturalem a Deo sibi insitam habebat, ut degustatus vitam hominis prolongaret, quoad usque Deo placuisset hominem sine morte in Cœlum transferre.

Neque solum hominem reddidisset longævum, sed sanum insuper, valentem ac robustum, a morbis, senectute, & melancholia immunem.

Q. *Qualis erat arbor scientiæ boni & mali?*

R. Erat altera e præcipuis Paradisi arboribus, & sola in sua specie, quæ poma, seu fructus non minus suaves quam pulchros proferret: Sic dicta, non quod comedenti tribuerit aliquam scientiam, sed quod mendax Dæmon fallaciter promisisset transgressoribus datum iri scientiam boni & mali: *aperientur*, inquit, *oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*, Gen. 3. v. 5.

Non diffitendum tamen est, quia Ada-

Adamo experimentalem notitiam dederit magni mali, cum reipsa docuerit quantum intersit inter bonum & malum, obedientiam & inobedientiam, inter meritum & pœnam, inter miseriam & fœlicitatem, &c.

Q. *Quales erant fructus istius arboris?*

R. Probabile est fuisse poma seu mala. Scriptura enim dicit, ex *arbore malo* sponsum fuisse suscitatum ad humanam carnem assumendam: *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua* &c. scilicet Heva per hujus pomi esum.

Aliqui tenent fuisse ficum, cum ex foliis istius arboris sibi fecerint perizomata, ut tegerent nuditatem suam. *Non est verisimile*, inquit Gennadius, *cum degustationem illico secutus sit pudor*, relicta proxima arbore, *alias errabundos quæsiisse, quarum foliis tegerentur*.

Sed contrarium probabilius est, quod scilicet sub illa arbore non manserint veniente Domino, nec se foliis illius tegere voluerint, cujus contactu se reos agnoscebant.

Præterea ficus non est fructus tam pulcher oculis, aspectuque delectabilis, ut quam plurima poma: lignum autem scientiæ dicitur: *pulchrum oculis, aspectuque delectabile*.

DE
CREATIONE ADAMI, ET HEVÆ.

Q. UBi *factus est Adam, & de qua materia?*

R. Ex scriptura constat factum fuisse primum hominem, non ex nihilo, sed ex pulvere, non parvulum, *ait Augustinus*, sed perfecta mole membrorum. En Textus: *formavit igitur Deus hominem de limo terræ . . . Tulit eum & posuit in Paradiso voluptatis . . .* Ex qua sententia constat fuisse factum extra locum illum amænissimum. *Præcepitque ei dicens: de ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quacumque die comederis, morte morieris*, Gen. 3. v. 7. 15. 16. & 17.

Q. *Quare Deus hoc præceptum dedit Adamo, ne scilicet comederet de ligno scientiæ* &c.

R. Audiatur Augustinus: *Homo*, inquit, *positus in Paradiso audivit a Domino Deo: noli tangere. Quid? Hanc arborem. Quid est enim illa arbor? Si bona est, quare non tango? Si mala est; quid facit in Paradiso? prorsus ideo est in Paradiso, quia bona est; sed nolo tangas. Quare? quia obedientem te volo, non contradicentem servum*, S. Aug. in Psal. 70.

Hoc igitur præceptum dedit Deus Adamo, ut demonstraret se esse supremum omnium creaturarum Dominum, & obedientiam hominis comprobaret, quem libero donaverat arbitrio, multisque donis, gratiis, favoribus cumulaverat, & ut obediendo gloriosiorem palmam referret.

Q. *Sed si Deus sciebat ipsum eam legem non esse observaturum, cum tanto sui & posteritatis detrimento; cur ei illam imposuit?*

R. Quia multum conveniens erat, ut aliqua lege teneretur Adamus, ut sic dependentiam suam per aliquod obsequium Domino Deo, a quo creatus est, & cui debebat omne quod erat, exhibendum, agnosceret.

Nec ex eo quod præceptum transgressurus erat, *sine lege vivere debebat*; alioquin nullæ leges conderentur.

Sicut ergo superiores a lege condenda abstinere non debent, ex eo quod a *paucis ordinarie* observanda sit; ita nec Deus a præcepto homini imponendo, ex eo quod illud non erat adimpleturus. Nec Deus illud Adamo imposuit,

ut non adimpleret; sed ut obediendo suum auctorem & Dominum agnosceret.

Q. *Ubi creata est Heva?*

R. In Paradiso Terrestri: in aliqua tamen parte distante ab ea parte loci, in qua vir ejus dormiebat; & hunc sensum important hæc verba: *adduxit eam ad Adam*, Gen. 2. v. 22. Quod revera formata fuerit Heva in Paradiso clare colligitur ex eodem capite secundo Genesis: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis*, v. 15. & postea subditur: *Immisit Dominus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea. Et ædificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem* &c. Gen. 2. v. 21. 22. quæ omnia peracta sunt, postquam Adam translatus fuit in Paradisum.

Q. *Fuitne corpus Hevæ revera formatum ex costa Adæ?*

R. Negavit Cajetanus, verba citata de formatione Hevæ ex costa Adami ad sensum metaphoricum detorquens. Communis tamen Patrum sententia docet præfata Genesis verba intelligenda esse & sumenda litteraliter; quia clariora esse non possunt. Unde Apostolus dicit: *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.*

Nec valet argumentum Cajetani dum ait: aut costa illa erat de necessariis Adæ, aut superflua? si primum, mutilus remansit Adam; si secundum monstruosus creatus est. Etenim licet costa illa non pertineret ad integritatem corporis, & sic dici posset aliquo modo superflua, necessaria tamen erat ad formationem Hevæ, juxta decretum Dei. Nec ulla contigit Adamo deformitas ex ablatione talis costæ, cum statim Deus repleverit carnem pro ea.

Q. *Quare Deus formavit mulierem de costa Adami?*

R. Sic congruebat fieri, quia mulier futura erat viri socia; ideo de ejus costa producta est, non enim voluit Deus eam formare de pede, quia non erat viri serva, nec de capite, quia viri Domina esse non debebat. Ita ad quæsitum respondet Lyranus noster in cap. 2. Genesis. Theodoretus vero dicit; Deum ex latere Adami fœminam finxisse, ut duas species inter se conjungeret, & amore conciliaret; & naturali quadam amicitia inter se copularet: quod ut arctius atque tenacius fieret, nuptiarum vinculo etiam conjugavit.

Q. *Cur Heva non fuit simul formata cum viro?*

R. S. Bonaventura multas adfert rationes, inter quas: Ut per hoc, *inquit*, imago Dei magis in homine appareret: quia sicut Deus omnibus rebus principium extitit creationis; ita homo omnibus hominibus principium generationis.

Tandem, juxta Augustinum, ut dum cognoscerent homines se ex uno individuo propagatos esse, se quasi unum invicem amarent?

Q. *Quomodo fuit Heva seducta?*

R. Certe seducta fuit a Diabolo utente serpentis organo; quidquid dicant aliqui, volentes non fuisse verum serpentem, qui ipsam alloqueretur, sed Dæmonem sub specie serpentis. Quod autem verus esset serpens, patet ex textu: lingua tamen ejus usus est Diabolus alloquendo mulierem, sicut Angelus ore asinæ usus est ut loqueretur Balaam.

Q. *Cur Heva serpentem non abhorruit, sicut Moyses territus ad ejus aspectum aufugit?*

R. Quia serpens pro tunc terrorem non incutiebat; cum omnia animalia ante peccatum forent homini ut Domino subdita, & ipsi non noxia.

Deinde serpens pulcher erat & gratiosus, nitore, & pulchritudine insignis, habens quasi faciem juvenculæ feminæ,

ut

ut quidam interpretes afferunt. Unde non mirum si Heva aurem ipsi præbuerit, ignorans forte defectu experientiæ loquelam non esse animalibus concessam.

In pœnam vero peccati serpens præ cæteris animalibus factus est noxius, invisus, probrosus, execrabilis, super pectus gradiens, herbam comedens, stuporem & horrorem cuilibet incutiens.

Si quæratur cur hæc pœna ipsi inflicta fuerit? dicam fuisse ad nostram utilitatem, ut viso serpente, maledictionis antiquæ recordaremur.

Q. *Quale fuit peccatum Adami?*

R. In suo peccato multas species peccati enumerat Augustinus, quæ sunt sequentes.

1. *Superbia*, qua in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit.

2. *Inobedientia*, quia mandatum Dei transgressus est.

3. *Sacrilegium*, quia Deo non credidit: quod esset moriturus si comederet.

4. *Homicidium*, quia se & posteros præcipitavit in mortem.

5. *Furtum*, quia cibum prohibitum, contradicente Deo, sibi usurpavit.

6. *Avaritia*, quia plusquam illi sufficere debuit, appetivit, S. Aug. in Enchirid. cap. 45.

Q. *Qui sunt effectus peccati Adæ?*

R. Varii, tum ex parte corporis, tum ex parte animæ. *Ex parte corporis*, pœna mortis, & post vitam ejusdem corporis incineratio juxta illud: *Terra es, & in terram reverteris. Ex parte animæ*, privatio justitiæ originalis, quæ ultra gratiam sanctificantem importabat varia dona tum interna tum externa. Interna erant, Fides, Spes, Charitas, gratiæ actuales &c.

Externa, singularis Dei protectio, præservatio a noxiis tum animæ, tum corpori &c. Ex eo ipso quo peccavit Adam, prodiit in genus humanum moriendi necessitas, morbus, dolor, sitis, fames, & aliæ corporis & animæ ærumnæ, a quibus in illo fœlici statu innocentiæ fuissemus liberi.

Q. *Si Heva peccante Adam non peccasset, posteri ejus contraxissentne peccatum originale?*

R. Non: quia præceptum de non comedendo fructum fuit datum Hevæ tanquam *personæ privatæ*: Adamo vero tanquam *capiti morali generis humani*. Unde scriptura dicit, *nos omnes in Adam peccasse*, in Adam mori, non autem in *Heva*. Quod si Scriptura dicat: *a muliere initium factum est peccati*, Eccles. intelligendum hoc venit, per modum occasionis & suasionis; non autem per modum principii transfusionis.

Q. *Estne ergo mors pœna peccati Adæ?*

R. Respondet Scotus in secundum sententiarum Dist. 11. quæst. unica, lit. H. quantum ad potentiam, mors non est pœna peccati: quia si Adam non peccasset, adhuc habebat potentiam moriendi; sed illa potentia non fuisset redacta ad actum, nisi peccante ipso. Et ideo propter primi parentis peccatum illa potentia fuit redacta ad actum.

Q. *Si Adam humiliter se accusasset, & culpam non retorsisset in Hevam, fuissetne a Paradiso expulsus?*

R. Huic quæstioni satisfacit S. Augustinus sermone 19. de Sanctis. *Cum Adam*, ait, *de inobedientia argueretur a Domino*, non se, ut culpa exigebat, accusavit, sed *Hevam*, dicens: *mulier quam dedisti mihi*, & hæc dicendo se putavit excusatum. Qui si humiliter se accusasset, a Paradiso non exulasset.

Q. *Quis gravius peccavit, Adam, an Heva?*

R. Gravius peccasse Adam indubium est, cum longe fuerit fortior Heva. *Sane negare non possumus*, inquit, S. Ambrosius, Lib. de instit. Virg. cap. 4. *quod erraverit mulier: quid miraris tamen, si in-*

si infirmior lapsus est sexus, cum sit lapsus etiam fortior. Mulier excusationem habet in peccato, vir non habet &c. Si Adam quod a Domino Deo audierat servare non potuit, quomodo potuit servare mulier, quod audivit a viro?

Q. *Cum primi illi nostri parentes fructum ligni vitæ gustarint, cur non evaserunt immortales?*

R. Ad hoc quæsitum sic respondet Magister sententiarum. Quare ergo, *inquit*, perpetua soliditate & beata immortalitate vestiti non sunt, ut nulla infirmitate vel ætate in deterius mutarentur? Hanc enim virtutem naturaliter illud lignum habuisse dicitur. Sed forte hoc non conferebat nisi sæpe de illo sumeretur.

Potuit ergo fieri, ut de illo sumeret semel, & non sæpius, qui per aliquam moram in Paradiso fuisse intelligitur, cum scriptura dicat eum ibi soporatum fuisse, quando costa de latere ejus sumpta est, & inde formata mulier, & animalia ante eum ducta, quibus nomina imposuit.

Q. *Si Adam in statu innocentiæ perseverasset, fuissentne nati solum ii, qui modo sunt electi?*

R. Respondet Scotus affirmative, quia prædestinatio æterna non variatur propter statum naturæ lapsæ, & sic non fuissent nati nisi illi qui sunt ad beatitudinem destinati: unde poterant variari parentes, non variato numero prædestinatorum, cum non repugnet ab intrinseco filium esse Abrahæ, qui nunc est filius Adæ, *in 2. Sent. dist. 20. quæst. 2. Lit. A.*

Ex qua doctrina sequitur, quod si Adam non peccasset, Judas, & cæteri damnati non fuissent nati.

Idem asserit S. Gregorius. *Si parentem primum nulla peccati putredo corrupisset, nequaquam ex se filios Gehennæ generaret; sed illi qui nunc per redemptionem salvandi sunt, soli ab illo nascerentur electi*, Lib. 4. Moral. 36. vel 28.

Probari etiam potest hac ratione: Quia si Adam non peccasset, remansisset in statu innocentiæ; ergo in eo non erat futurum peccatum, & consequenter nec damnatio.

Id enim videtur Deum statuisse cum Adamo ut si innocens perseveraret, ipse cum filiis salvaretur, ergo ipso non peccante soli electi tunc nati fuissent.

Nec juvat dicere, quod si nullus reprobus tunc fuisset natus, non manifestaretur gratuita Dei liberalitas ipsiusque justitia. Imo magis commendaretur Dei gratia, quod omnes elegisset ad gloriam, & nullos reprobasset positive aut negative; ad justitiam autem commendandam sufficiebat comminatio mortis contra prævaricantes.

Verum quidem est, quod ex Angelis aliquos elegit, qui steterunt, alios reprobavit, qui ceciderunt: quia Angeli non habebant originem ab invicem, & stantes nihil participabant a cadentibus, vel isti ab illis. Homines vero omnes ab uno erant descensuri, cujus merito & intuitu potuisset Deus velle omnibus gloriam. Qui plura vult legat Theologos.

Q. *Cur Deus permisit protoparentes tentari, quos prævidebat vincendos?*

R. Quia per tentationem probatur, & exercetur virtus, inquit Augustinus, & est *palma gloriosior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari.*

Præterea non debebat homo præmiari & coronari sine victoria, nec vincere sine pugna & tentatione.

Tandem sufficiebat Dei misericordia, quod illum armasset ad pugnam, sic ut potuisset vincere, si voluisset, & post victoriam coronari per confirmationem in gratia, & aliquando per immortalitatem, & translationem in cœlum.

Q. *Adam & Heva suntne salvati?*

R. Cum pœnitentiam de delicto egerint, credit Sancta Mater Ecclesia ipsos esse salvatos. Colligitur ex capite decimo Libri Sapientiæ, v. 1. & 2. qui tex-

tus

tus nedum de Adamo, sed etiam de Heva ejus conjuge & complice intelligendus est, juxta communem interpretum mentem, quamvis de homine uno sit litteralis sensus: ibi enim legitur: *Hæc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia* &c. Ex hoc textu recte infertur Adamum Dei misericordia salutem consecutum fuisse, cum ipse solus sit ille, quem Deus formavit patrem cunctorum viventium.

Eadem veritas probatur etiam ex Sanctis Patribus. Augustinus in Epistola 99. ad Evodium ait: *De illo quidem primo homine, quod Christus cum descendit ad inferos*, id est Limbos, *inde eum liberavit, Ecclesia fere tota consentit, eam non inaniter credidisse, credendum est*.

S. Irenæus. lib. 3. cap. 37. *Adamus*, inquit, *transgressionis fecit pœnitentiam, pœnitentibus autem largitur benignitatem suam Deus*.

Tandem Can. *Hi duo solummodo*. Dist. 2. de Consecratione habetur: *In Christo resurgente resurrexit lapsus ille Protoplastus*.

Quantum ad Hevam Hugo Victorinus exponens hæc verba ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ipsa conteret caput*, Gen. 30. colligit Hevam in Dei amicitiam rediisse, & Dæmonem vicisse.

Hoc merito dixit, quia caput serpentis conterere, & peccatum *Serpente ipso suadente* commissum delere per pœnitentiam, idem sonant. Et sic ruit sententia opposita Tatiani, & Encratitarum.

Q. *Ubinam Adam sepultus dicitur?*

R. S. Augustinus scribit sepultum esse protoparentem in loco ubi crucifixus fuit *Jesus Christus salvator noster*. Ratio hujus sepulturæ esse potest, ut qui primus peccati fuerat auctor; primus etiam salutaris medicinæ fieret particeps. Verba Augustini sunt hæc: *Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipso loco, ubi Crux fixa est, fuerit aliquando sepultus: & ideo* Calvariæ *locum dictum esse, quia Caput humani generis ibi dicitur esse sepultum*, Serm. 71. de Tempore.

Hæc opinio, licet sit tanti Doctoris, & multorum aliorum, non est ab omnibus modernis eruditis recepta.

Verum quidem est Noenum ossa protoparentis Adæ, ut legitur in Sacra Scriptura, in Arca reduxisse; ubi vero, post diluvium ea deposuerit, non declaratur; sed de hoc iterum postea, loquendo de Christi Crucifixione.

DE

PECCATO ORIGINALI.

Q. *Quid est peccatum Originale?*

R. Thomistæ dicunt esse privationem justitiæ originalis, cum hæc privatio potius effectus peccati videatur, quam ipsum peccatum. Sicut Deus illam liberaliter Adamo dederit, ita illam citra omne peccatum auferre poterat; ergo privatio justitiæ originalis non est proprie & formaliter peccatum originale, cum esse possit sine ulla culpa: unde melius dicendum: *peccatum originale esse ipsum Adæ peccatum, prout moraliter nostrum, in nobis perseverans*.

Q. *Contrahuntne omnes ab Adamo descendentes peccatum originale?*

R. Ita, si Beatam Virginem Mariam excipiamus: omnes ab Adamo descendentes via communi, id est per generationem humanam contrahere peccatum originale fides docet: ita ut in primo instanti, quo anima corpori unitur, peccato illo inficiantur.

Probari potest hoc dogma catholicum

cum innumeris S. Scripturæ locis, & præcipue ex sequentibus.

Etenim David Deum ipsum alloquens ait: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum: Et in peccatis concepit me Mater mea*, Psalm. 50. Ubi certe non loquitur de peccatis actualibus parentum, cum natus non sit ex adulterio, sed ex casto conjugio piorum parentum, idcirco non affirmat se a peccatoribus seu peccantibus conceptum fuisse, sed solum conceptum fuisse peccatorem, non peccato proprio, sed peccato a primo homine in eum per generationem transfuso. Quod si loquatur pluraliter in *iniquitatibus & in peccatis*, hoc ideo dicit, quia peccatum originale est principium & fons multorum peccatorum. Ita Augustinus in *Psalm.* 50.

Idem infertur ex illo Eccles. 40. *jugum grave super Filios Adam a die exitus de ventre Matris eorum*, certò jugum illud nihil aliud est, quam peccatum originale.

Confirmatur hæc veritas ex illo Job cap. 74. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Clarius & apertius testimonium adducit Paulus: *Sicut per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, ad Rom. cap. 5. Ex quo loco invincibile argumentum deducunt Sancti Patres. Si omnes in eo, per quem peccatum intravit in mundum, peccaverunt, & per peccatum mors; ergo datur peccatum originale; Nam omnes non peccaverunt *personaliter*, cum tunc non essent, quando scilicet peccatum intravit in mundum; ergo peccaverunt *originaliter* in Adamo tanquam capite totius generis humani.

Nec refert id, quod habetur Ezechielis cap. 18. *Non portabit filius iniquitatem patris*. Quia peccatum originale non est peccatum solius Adami, sed & filiorum ejus, quorum voluntates in ipso tanquam in capite constitutæ erant.

Textus vero intelligendus est de peccatis personalibus parentum, quæ in proles non refunduntur, non de peccato communi totius familiæ, hoc est de peccato, quod committitur a patre pro ut talis est, & caput totius familiæ; Tunc enim filii portant iniquitatem patris apud legis transgressæ conditorem; quia talia peccata nocent filiis, ut habetur in Lamentationibus Jeremiæ: *Patres nostri peccaverunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portavimus*.

Q. *Quomodo peccatum illud originale in Adæ posteros troducitur?*

R. Traducitur per naturalem propagationem, qua quis filius Adæ constituitur: eo enim ipso quo anima corpori unitur, infans peccatum illud contrahit. Ita declarat Concilium Tridentinum: *Sicut revera homines, nisi ex semine Adæ prognati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant*, Sess. 6. cap. 3.

Per naturalem propagationem intelligitur seminalis commixtio maris & fœminæ. Unde Jesus Christus peccatum originale non contraxit, inter alias rationes, quia de *virili semine* genitus non fuit.

Omnes ergo descendentes ab Adamo via generationis ordinaria, contrahunt peccatum originale, non quidem præcise quia Adamus est principium & caput phisicum naturæ humanæ, aliàs non unum tantum, sed omnia ejus peccata contraherent, sed quia caput est morale, quatenus scilicet Deus pactum cum illo injerat, ut si de fructu vetito comederet, omnem posteritatem sua inobedientia inficeret.

Q. *Si lex de non comedendo de fructu vetito data fuerit Adamo, & non poste-*

posteris ejus, quomodo isti rei esse possunt?

R. Quia omnium posterorum voluntates moraliter in Adamo, etiam ipso *non consentiente, & inconsulto*, constituit; seu voluntati ejus alligavit Deus voluntatem omnium hominum supremus Dominus; ita ut se, & suos posteros morti tum corporali, tum spirituali obnoxios redderet, si *ex illo fructu comederet*: Cum ergo Adamus in se personam omnium suorum descendentium gereret, lex ipsi data censetur; & moraliter data fuisse illius posteris: & sicuti illius posteri justitiam originalem accepissent, si in obedientia perseverasset; ita & ejus transgressionis participes facti sunt.

Q. *Quid est justitia originalis?*

R. Justitia originalis secundum Doctores est donum gratuito a Deo naturalibus hominis superadditum, propagandum cum natura, quamdiu homo divino pareret præcepto, quo ratio Deo, & potentiæ inferiores rationi subdebantur, corpusque ab omni incommodo præservabatur infirmitatis, doloris, famis, tristitiæ & mortis.

Q. *Quodnam fuit remedium peccati originalis ante diluvium?*

R. Utrum aliquod fuerit, vel si fuit, quale fuerit, corporale, atque visibile regenerationis signum ante diluvium, sicut Abrahæ circumcisio postea est imperata, Sacra Historia tacet.

Sacrificasse tamen Deo etiam illos antiquissimos homines non tacet, quod & in duobus primis fratribus claruit; Et Noe post diluvium, cum de arca fuisset egressus, hostias Deo legitur immolasse. Probabile igitur est remedium peccati originalis ante diluvium fuisse vel orationem, vel quoddam Sacrificium.

Q. *Parvuli decedentes sine Baptismo patiunturne pœnam sensus ob peccatum originale?*

R. Nequaquam. Solummodo habebunt pœnam damni, consistentem in privatione visionis beatificæ. Nullatenus vero cruciabuntur igne infernali, & aliis tormentis, quibus afficientur damnati ob peccata propria.

Rationem adfert Scotus; *quia in hac vita nullam habuerunt inordinationem sensitivam, cui correspondeat acerbitas pœnæ ignis infligentis ut propria pœna*, in 2. Sent. Dist. 33. quæst. unica. Lit. L.

Cum ergo pœna ignis correspondeat inordinatæ delectationi sensuali, & pueri in proprio corpore nullam experti sint delectationem per peccatum originale, pœna ignis non punientur. Quod confirmatur ex illo Apocalypsis cap. 18. *Quantum glorificavit se & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum*. Quod de pueris ante susceptum Baptismum decedentibus verificari non potest: qui cum nec glorificaverint se, nec, in delitiis vixerint, nec tormenta peccatis illis correspondentia pati debent.

Q. *Quam ergo pœnam habebunt hujusmodi pueri?*

R. Pœnam *damni*, quæ consistit in privatione visionis beatificæ; in cœlum nunquam intrabunt, nec Deum videbunt. Hæc est sententia communis Patrum, & probatur.

1. Ex illo Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*.

2. Ex Innocentio III. *Cap. Majores de Baptismo*, ubi docet in terminis pœnam peccati originalis esse carentiam divinæ visionis.

Q. *Parvuli illi habebuntne aliquam tristitiam interiorem?*

R. Minime, nam tristitia secundum Augustinum est de his, quæ nobis invitis accidunt: Si illi tristarentur de statu suo, involuntarie sustinerent statum suum, & tunc vellent oppositum, & ideo murmurarent contra dispositionem divinam. Tales enim parvuli nullam.

sam habuerunt voluntatem inordinatam, quamobrem nullam tristitiam habebunt. *Ita Scotus* supra relatus.

Q. *Saltem tristabuntur de carentia Beatitudinis, & visionis divinæ.*

R. Nec idcirco ulla afficientur tristitia, quia, *inquit subtilis Doctor*, si tristarentur de tali carentia, haberent pœnam gravissimam inter pœnas damnatorum, scilicet tristitiam ex desperatione habendi Beatitudinem: Nam est major pœna damnatorum, ratione voluntatis, quam dolor qui est in parte sensitiva, ibid.

S. Thomas, aliam adducit rationem: Nullus homo prudens, *inquit*, dolet de absentia ejus, ad quod possidendum est improportionatus: sic non dolet homo sapiens, quod non possit volare, nec plebejus prudens, quod non possit Regis aut Imperatoris dignitatem obtinere: sed pueri illi fuerunt improportionati ad vitam æternam possidendam, cum nec eis deberetur ex principiis naturæ, nec potuerint illam per actus proprios mereri; ergo &c. S. Thom. 2. Dist. 33. Art. 2.

Q. *Si parvuli nullam pœnam seu tristitiam habent, non erunt infæliciores Patribus in Limbo existentibus ante Christi mortem. Quid ad hoc?*

R. Non sequitur. Licet enim Sancti Patres essent amici Dei, parvuli vero morientes in peccato ejus inimici, essent tamen hi prioribus infæliciores; quia Sancti Patres privabantur Dei visione solum ad tempus, & ejus spe gaudebant, & aliis consolationibus internis & externis; puerorum vero privatio est æterna, & sine spei lenimento. Unde semper essent aliis infæliciores.

Q. *Verum ne est Augustinum docuisse parvulos puniendos pœna ignis?*

R. Aliqui hoc dicunt, sed sine rationabili fundamento, cum Sanctus illo Doctor infantium *pœnam* vocet *mitissimam*; & si aliter dicere videatur, debet exponi in sensu diviso, id est punientur pœna privationis divinæ visionis, quæ pœna stat etiam in æterno igne; sed non punientur carentia visionis simul, & ignis supplicio. Vel dicendum quod tunc Augustinus loquebatur per excessum. Scotus in 2. *Sent. Dist.* 33. *quæst. unica. L. C.*

Q. *Quo in loco collocantur pueri sine Baptismo decedentes?*

R. In ipsomet inferno, ubi torquentur Dœmones & damnati; licet, ut diximus, nihil ab igne ipsi infantes patiantur: Et hoc variis modis probari potest.

Primo ex S. Scriptura: *Qui non est inventus scriptus in libro vitæ, missus est in stagnum ignis*, Apocal. 10. atqui pueri tales sunt; ergo locus eorum est stagnum ignis.

2. Ex Concilio Florentino sub Eugenio IV. Ubi dicitur: *Decedentes in mortali, vel originali, mox in infernum descendere*: sed pœnis inæqualibus puniendos.

3. Ex Sancto Augustino: *Nullus*, ait, *relictus est tertius locus, ubi ponere queas infantes*, Serm. 14. de Verb. Apost.

Nec inde inferendum est, ipsos esse comburendos, cum citra miraculum, ad quod sine necessitate recurrendum non est, esse non possint in medio ignis, & non ardorem ejus sentire, seu non comburi, quia Deus activitatem ignis impediet, ne illis noceat, utpote combustionem non merentibus.

Et licet sæpe Scriptura per *Infernum* intelligat Limbum, ut cum dicebat Jacob, qui tamen erat justus: *descendam ad filium meum lugens in Infernum*, Gen. 37. ubi per *infernum* designat *Limbum*, in quo loco filius detinebatur, cum nullus, nisi post Christum in cœlum ascendere possit: Nihilominus eadem Scriptura nullum nobis dedit motivum credendi exstiturum Limbum post judi-

judicium universale, mentionem solum faciens cœlorum & infernorum.

Audiatur quid dicat Seraphicus Doctor: *Cum valde durum illud dicere videatur, quod Deus tam dure & tam aspere agat cum parvulis sic decedentibus, qui omnino non potuerunt vitare nec mortem culpæ, nec mortem naturæ... Est magis conforme pietati fidei dicere*, quod pœna illa non puniantur; *sed visione Dei priventur*. Et quia in *carne* fuit fœditas, *locentur in loco vili*, nempe infernali, *sed quia non habuerunt in se delectationem peccati nec in spiritu, nec in carne, ideo non sentiunt* pœnæ ignis *acerbitatem*.

Q. Comparebuntne pueri illi in judicio universali?

R. Affirmative. Non quidem in judicio discussionis, quia non habebunt opera, quæ sint examinanda; sed approbationis, ut videant, quod jure sint damnati ad privationem æternam visionis divinæ, sed de hoc iterum postea ubi de judicio universali.

DE BEATISSIMA VIRGINE.

Q. *Dixisti cum Apostolo omnes in Adam peccavisse, comprehenditurne etiam Beata Virgo Maria?*

R. Non est regula tam generalis quæ aliqualem non patiatur exceptionem; certum cum sit nec Christum, nec Hevam in Adam peccavisse. Idem dicimus de Beata Virgine, quam *cum de peccatis agitur*, comprehendere noluerunt Patres Concilii Tridentini, ita nec nos: maxime cum Ordo Seraphicus illam sub titulo *Immaculatæ Conceptionis* sibi Patronam elegerit, sicut & plurimæ Universitates; inter quas eminet *Sacra Parisiensis Sorbonica Facultas*. Et hæc sententia adeo facta est communis a tempore Scoti, ut jam nemo possit oppositum populo in concionibus exponere, præsertim post prohibitionem Pauli V. & Gregorii XV. Summorum Pontificum.

Q. *Qualiter probari potest Beatam Virginem fuisse immunem a peccato originali?*

R. Ex auctoritate Ecclesiæ, quæ Virginis conceptionem celebrat; quod certe non faceret, nisi illam ab omni labe expertem crederet, cum non nisi *quod Sanctum est* celebrare soleat.

Sixtus IV. approbavit Officium solemne quod per totum orbem solemniter recitant Franciscani, cujus officii invitatorium sic incipit: *Immaculatam conceptionem Virginis Mariæ celebremus &c.*

Sexta Synodus Generalis vocat Virginem Deiparam *Sanctam & ab omni contagione liberam*.

Concilium Lateranense sub Martino primo Can. 3. habet, *Sancta & immaculata Maria*.

Omnes Sancti Patres omnium fere sæculorum, quos refert Cavellus in 3. Lib. Sentent. Scoti, eam pronunciant *Immaculatam, nunquam immundam, ab omni labe integram, ab omni contagione primæ originis alienam &c.* quam sententiam confirmavit ipsamet Beata Virgo Sanctæ Birgittæ: *Veritas est*, inquit, *quod ego concepta fui, sine peccato originali*. Ex Lib. 6. Revelationum.

Tandem probatur ratione Scoti: potuit Christus Matrem suam ab originali præservare, decuit ut faceret; ergo fecit.

Potuisse conveniunt omnes, cum nulla sit contradictio. Sicut enim Angelos, Adamum & Hevam in puritate creavit, ita & Virginem Matrem. Decuisse, declarat in terminis Anselmus, Lib. de Concep. Virg. *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret*.

Et certe si Sanctus Thomas dicit Virginem

ginem nunquam peccasse venialiter, *quia non fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando*. 3. part. q. 27. art. 4. fuissetne idonea si contraxisset originale, cum pro tunc fuisset *hostis* Dei, *serva* Diaboli, *mancipium* peccati?

Concludendum igitur est, quod si potuit Deus eam a contagio peccati originalis præservare, decuitque ut eam præservaret, revera eam præservasse. *Potuit*, *decuit*, ergo *fecit*.

Q. *Estne Scotus hujus sententiæ primarius auctor?*

R. Nequaquam: quidquid dicant aliqui, in Patribus nullatenus fundati, qui certe non obscure Beatam Virginem Mariam *Immaculatam* prædicaverunt longe ante Scotum: Unde potius dicendum est, Doctorem nostrum hujus piæ & paululum antiquatæ „ Sententiæ fuisse restauratorem: jussu enim Pontificis, *verba sunt Cavelli in Rosario Seculi XIV.* habita solemni disputatione coram Facultate Parisiensi, præsentibus Apostolicæ sedis legatis, de *Immaculata Conceptione Mariana*, ipsius matris fretus auxilio, tanto argumentorum pondere, tot tamque urgentibus rationibus comprobavit & munivit, quod celeberrimam illam Facultatem, *matrem Universitatum*, in suam traxerit sententiam: quæ in gratificationem nomine *Doctoris subtilis* ipsum condecoravit, & acerrimis ejus disputationibus inducta, *Sacrum illud & celebre Marianum decretum condidit*, ne scilicet imposterum quisquam ad *magisterii gradum admitteretur*, qui tota vita se propugnaturum *Immaculatam Conceptionem* jure jurando non adstringeret. “

Inde tantus ardor pro sustinenda, amplectenda, propaganda Virginis Conceptione Immaculata ubique terrarum dimanavit, ut fere orbem universum inflammaverit. *Hennonius. Tract. de Incarnat.*

Qui plura vult de Beatæ Mariæ Virginis Immaculata Conceptione, legat *Dissertationem Scoto-Thomisticam, Dogmaticam & Historicam*, circa hanc materiam *Patris Stephani Chiesa*, nostri Ordinis, & olim mei Professoris.

Q. *Cum Beatissima Virgo peccatum originale non contraxerit, si fuisset mortua ante Passionem, vel Ascensionem Filii, fuissetne statim ingressa Paradisum?*

R. Hoc dubium movet Scotus, & respondet negative. Nam, *inquit*, licet Sancti Patriarchæ in Limbo fuissent purgati a peccato originali, tamen illis clausa fuit janua cœli usque ad solutionem pœnæ debitæ, & usque dum Christus illam aperuit Passionis merito, & ingressu suo triumphali.

Ita esset de Maria, quia ita determinaverat Deus, non aliter admittere filios Adam in Paradisum, antequam Christus Satisfecisset de facto pro peccato Adæ.

Q. *Fuitne Beatissima Virgo etiam immunis ab omni peccato actuali?*

R. Id negant Hæretici, præsertim Lutherus & Calvinus, impie asserentes, Virginem Mariam multoties peccasse in vita, *incredulitate* scilicet, *ambitione*, *negligentia &c.*

Nos vero Catholici sustinemus ipsam nullo unquam peccato etiam levissimo fuisse infectam.

Spiritus Sanctus de ea loquens, ait: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, Cant. 4. & alibi, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. His certo constat, quod Beata Virgo nullum peccatum contraxit nec mortale, nec veniale: *Decuit* enim, ut ait Anselmus *Beatam Virginem ea puritate nitere, qua sub Deo nulla major potest intelligi*: Sed si Maria non esset immunis ab omni peccato actuali, posset intelligi major puritas sub Deo, quam puritas Matris ejus, scilicet puritas Angelorum, qui nullatenus peccarunt: ergo &c.

Eandem veritatem tuetur Sanctus Augustinus. *Excepta*, inquit, *Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, nullam prorsus habere volo quæstionem: inde enim scimus, quod ei plus collatum gratiæ fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Lib. de Natura, & gratia.

Sophronius in Epistola ad Sextam Synodum scribit: *Virginem dici Immaculatam, quia in nullo corrupta est.*

Et Sanctus Bernardus ad Canonicos Lugdunenses scribens, ait: *Magna fuit Jeremiæ Sanctificatio, qua potuit vitare facilius culpam mortalium: Major Sanctificatio Joannis Baptistæ, qua potuit vitare frequentiam venialium: Maxima Virginis Mariæ, qua potuit vitare, imo vitavit omne peccatum.*

Alii Patres toti sunt communiter in repellenda omni suspicione peccati vel levissimi ab illa purissima Virgine, quæ nequidem peccasse potuit, ex privilegio speciali a Deo ipsi concesso.

Tandem Concilium Tridentinum decernit Beatam Virginem in tota vita sua immunem fuisse ab omni peccato, etiam veniali: *Si quis dixerit hominem justificatum.... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio*, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, *Anathema sit*: Sess. 6. Can. 23.

Q. Quæ peccata ab hæreticis Mariæ Virgini imputantur?

R. Multipliciter peccasse contendunt. 1. Peccato *incredulitatis*, ut cum dixit Angelo Incarnationem nuntianti: *Quomodo fiet istud?* 2. *Superbiæ*, his verbis, quibus propriam laudem prædicabat: *Fecit mihi magna, qui potens est... Beatam me dicent omnes generationes &c.* 3. *Negligentiæ* erga Filium, quando illum amisit & nonnulla alia ipsi falso impingunt ex textibus male intellectis, quibus facilis est responsio.

Ad *primum* dicendum, Beatam Virginem, non ex incredulitate, sed ex affectu obediendi quæsiisse, quomodo fieri posset Mater, & esse Virgo. *Sic respondens*, ait Bernardus Hom. 4. super missus est, *non dubitat de facto, sed modum requirit & ordinem: neque enim quærit an fiet istud, sed quomodo?*

Ad *secundum*, sic locuta est, non ut gloriam suam ostenderet, cum qualitatem Ancillæ sibi assumat; sed ut gloriam Dei manifestaret, & misericordiam ejus extolleret, quod non est peccare peccato superbiæ, sed Deum laudare.

Ad *tertium*, illa pueri Jesu per triduum perditio, negligentiæ parentum tribui non potest. Sciebant enim Jesum esse verum Deum, ideoque poterant illum arbitrio suo relinquere absque ulla negligentia. Deinde ipsum quæsierunt *dolentes*, ut testatur Evangelista, ergo non fuerunt negligentes quia dolor denotat quod fecerunt omne id quod potuerunt, ut Jesum invenirent.

Perditio igitur Filii imputari non debet negligentiæ parentum, sed mysterio & Sapientiæ Filii, qui sponte remansit in Jerusalem, & se parentum vigilantiæ subduxit, ut Patri cœlesti obtemperaret.

Sunt & aliæ objectiones ejusdem aut minoris momenti, quæ videri possunt apud controversistas & interpretes.

Q. Si nullatenus peccavit, qua ratione igitur orationem Dominicam recitare potuit & dicere dimitte nobis debita nostra?

R. Nullum ut puto est dubium, quin Beata Virgo præfatam orationem a Christo suis sequacibus præscriptam recitarit; non tamen inde sequitur quod haberet peccata dimittenda: quia sic loqui potuit in Spiritu Ecclesiæ, quæ sic orat, scilicet pro peccatis fidelium quibus unitur per charitatem.

Non igitur audiendi sunt illi, qui absu-

absolute negant Mariam recitasse unquam orationem illam, ex eo quod non potuisset illam recitare nisi ironice & delusorie.

Ipsis satisfacit Cardinalis Toletus in cap. 11. Luc. ubi demonstrata & stabilita Virginis immunitate ab omni peccato, ait: *Nec propter hoc existimes Beatam Virginem non fuisse in hoc saeculo usam oratione Dominica; usa enim est, non quidem in hac parte*: dimitte nobis debita nostra, *pro se*, sed *pro corpore Fidelium*.

Petitiones enim hæ sunt communes, uti verba declarant, in quibus generaliter pro omnibus fidelibus petimus, & etiam pro se, *si quis indiget, cum sit de Corpore*.

ET IN JESUM CHRISTUM

Filium ejus Unicum Dominum Nostrum.

Q. *Estne necessaria & utilis hujus articuli fides?*

R. Maxime. Hoc declarat aperte Sanctus Joannes: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum-Christum*, Joann. 17. Satis indicans primum ad æternam vitam gradum homini esse Deum agnoscere, & Christum ejus Filium, Deo Patri coæqualem. Additur *solum verum Deum*, hoc est, cum Jesu-Christo, qui cum Patre & Spiritu Sancto unus est Deus.

Hoc iterum declarat in Epistola sua: *Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo*, 1. Joann. 4.

Hoc fundamentum firmissimum est nostræ salutis ac Redemptionis, Fides scilicet in Deum & Dominum nostrum Jesum-Christum; Fides autem non sterilis consistens in pura & simplici contemplatione seu cognitione, sed ea quam charitas & bona opera comitantur: quæ si absint, mortua est, & inutilis.

Q. *Quale est proprium Nomen Filii Dei Incarnati?*

R. *Jesus* est Nomen ejus, quod *Salvatorem* significat. Hoc Nomen non ab hominibus, sed Dei præcepto illi impositum est. Angelus enim Mariæ nuncianti dixit: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis Nomen ejus Jesum*, Luc. 1. v. 31. Deinde Angelus Josepho apparens non solum præcepit ut eo nomine Puerum appellaret, sed etiam rationem nominis declaravit his verbis: *Noli temere accipere Mariam Conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem Filium, & vocabis Nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, Matth. 1. v. 20. & 21. igitur congruenter hoc Nomen ipsi impositum fuit, cum venisset salvaturus genus humanum quod perierat.

Q. *Si Nomen illud sit proprium Filio Dei, cur ergo multis aliis tribuitur?*

R. Verum est quod Scriptura hoc Venerabile Nomen plerisque tribuat, ut Filio Nave, Josedecho, Syracho &c. qui *Jesus* appellari, non omnimode, sed aliqualiter, meruerunt; idest, non quod reipsa fuerint *Salvatores totius mundi*, sed ob quædam beneficia ab eis, populo Hebræo præstita, hoc Nomen *Jesus* sortiti sunt.

Filius Nave *Jesus* dictus est, eo quod populum a Moyse ex Ægypto liberatum in Terram promissionis, quod ipsi Moysi negatum fuerat, deduxit; Et sic de aliis, qui eumdem populum a Babilonico dominatu oppressum liberarunt.

Longe vero potiori jure Salvatori nostro hoc Nomen impositum est; quia non uni alicui populo, sed universis hominibus libertatem & salutem dedit: *Nec enim est aliud Nomen sub Cœlo,*

datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, act. cap. 3.

Q. Quæ sunt Sancti hujus Nominis Jesu virtutes?

R. Hoc Nomen Sanctum est & terribile, potens & cunctis Spiritibus tremendum; *in Nomine enim Jesu omne genu flectitur Cælestium, Terrestrium, & Infernorum*. Sacramentis virtutem remittendi peccata tribuit, sicut & conferendi gratiam, & salutem operandi &c.

Nomen *Jesu* miracula operatur, Demones expellit, serpentium morsus, & haustus venenosos inanes reddit.

Nomine *Jesu*, infirmos, claudos, & cœcos sanatos fuisse Judæi ipsi referunt.

In Nomine Jesu a Deo impetramus quidquid petimus, si ut oportet petamus: sic enim orationes suas concludit Ecclesia; *Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.*

Uno Verbo, Nomen *Jesu* virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos; castas fovet affectiones; extinguit libidinis flammam; in periculis depellit metum; in adversis dat fortitudinem; morbos corporis, & animæ langores sanat.

Jesus Mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.

Nil canitur Suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus *Dei Filius.*

Q. Apostoli, & Sancti Patres habueruntne hoc Sanctum & amabile Nomen in magna reverentia?

R. Indubitatum est, cum prope innumera in Nomine *Jesu* patraverint miracula. Petrus claudo ad portam Templi dicens: *in Nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula, protinus bases ejus & plantas ita consolidavit*; ut intraverit cum eo in Templum, *ambulans & laudans Deum*, Act. 3.

Magnus ille Apostolus vas electionis ad portandum Nomen Jesu Christi coram gentibus, Regibus & filiis Israel, quanto zelo *Jesum* toto orbe prædicaverit, notum est tum ex Scriptura Sacra, tum ex Historia Ecclesiastica.

2. Ex iisdem liquet quanta pro Nomine Jesu passus sit.

3. Tantus erat erga hoc Sacratissimum Nomen ejus affectus, ut in suis Epistolis reperiatur illud *ducentis & viginti vicibus* scriptum, nomen vero *Christi quadringenties & semel* legatur expressum.

Imo cum jam capite plecteretur, etiamnum tertio Nomen *Jesu* pronunciavit; & id quidem non absque prodigio, & approbatione hujusce devotionis; nam ad tres saltus exsecti capitis, tres limpidissimi fontes scaturierunt, qui etiamnum Romæ ostenduntur.

Sanctus Pater noster Franciscus tanta cordis & oris suavitate illud repetebat Nomen, ut cum illud pronunciasset, labia sua propter suavitatem lamberet, & præcipiebat Fratribus, ut ubicumque illud reperirent in chartis forte dispersis, colligerent, & in loco honorifico reponerent.

Prætereo alios Sanctos, ut Bernardum, Bernardinum, Hermannum & qui hoc Sanctum Nomen summo habuerunt in honore,

Summa igitur & nos animi devotione veneremur, & invocemus *Sanctum & admirabile Nomen Jesu*, quod Angeli reverentur; quo audito contremiscunt Dæmones, & eo majori amore prosequamur, quo propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & noster, non Angelorum *Jesus*, idest Salvator, appellatus est.

Demus operam ne judicem experiamur, quem nolumus habere Salvatorem.

CHRI-

CHRISTUM.

Q. Cur Nomini Jesu Nomen Christi additum est?

R. Sciendum Nomen Christi, quod *Unctum* significat, officii nomen esse ac honoris &c.

Ungebantur olim Prophetæ, Sacerdotes, & Reges. Porro cum Jesus servator noster Prophetæ, Sacerdotis, & Regis officia susceperit, ideo *Christus* dictus est, *unctus* scilicet ad illorum munerum functiones, quæ simul nullus unquam possedit.

Præter hanc significationem *Christus* etiam interpretatur *Messias*, id est *Missus* ad humani generis redemptionem. Sic Judæi vocem illam accipiebant quando vocabant eum *Christum*, ut patet ex illo Joannis 1. *invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus*. Similiter & nunc universa Ecclesia per Christum *Messiam* intelligit.

Q. Qua unctione unctus fuit Jesus?

R. Certe, non alicujus mortalis opera, sed Cœlestis Patris virtute, non terreno unguento, sed spirituali oleo, scilicet Spiritus Sancti plenitudine, gratiæque & omnium donorum uberrima in Sanctissimam ejus animam effusione, ut innuit Propheta Regius: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, Psalm. 44.

Idem etiam multo apertius Isaias demonstravit, cum dixit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annunciandum mansuetis misit me*, Isa. 62.

Q. Estne Christus verus hominum Redemptor?

R. Sic Scriptura testatur: *Eripuit nos de potestate tenebrarum*, 1. Tim. 2. *Fecit Redemptionem plebis suæ ... ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati*, Luc. 1. *justificati gratis per gratiam ipsius, per Redemptionem, quæ est in Christo Jesu*, Rom. 3. Unde Sanctus Leo, Serm. de Nativ. ait: *Sicut a reatu neminem liberum reperit, sic liberandis omnibus venit*.

Deinde Redemptor ille verus est, qui vindicat aliquem a potestate alterius; sed Christus per mortem suam omnes homines liberavit a captivitate & servitute peccati & Diaboli; est igitur verus Redemptor: Unde ascendens in Cœlum, *captivam duxit Captivitatem*, Eph. 4.

Q. Qua ratione Christum Prophetam fuisse dicis?

R. Variis de causis, præcipue vero sequentibus.

1. Quia nos docuit Fidem & cultum unius verique Dei, ejus præmium, quod est Regnum Cœlorum, & viam, qua ad illud pervenitur.

2. Propheta fuit, quia multa futura prædixit, suam mortem, passionem, resurectionem, ruinam Jerusalem, judicium universale, persecutiones Ecclesiæ, lapsum seu negationem Petri, & multa alia: Hoc ipsum testabantur Judæi dicentes: *Hic est vere Propheta, qui venturus est in Mundum*, Joan. 6.

Q. Quomodo probas fuisse Sacerdotem?

R. Ex Scriptura Sacra, 1. quidem ex Psalmo 109. ubi de Jesu dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum*. Ex Epistola ad Hebræos: *Habentes Pontificem magnum... Jesum Filium Dei*, cap. 4. 2. Ex eo quod fuerit mediator inter Deum & homines, pro eis orando, ac sacrificia offerendo, &c.

Q. Quæ sacrificia Christus Jesus obtulisse fertur, & cujus ordinis fuit Sacerdos?

R. Duo Sacrificia Æterno Patri obtulisse manifestum habemus: unum *Cruentum*, id est cum sanguinis effusione in Cruce veluti in Ara: ubi simul fuit Sacerdos & victima, ut scribit Paulus: *Tradidit semetipsum oblatio-*

tionem & hostiam Deo, Hebr. 9. Alterum *incruentum* in ultima cœna, in qua sub speciebus panis & vini modo ineffabili æterno Patri se obtulit: quod sacrificium quotidie in Missa sub iisdem speciebus renovatur: unde dici potest fuisse Sacerdotem secundum ordinem *Aaron*, ratione sacrificii Crucis: & secundum ordinem *Melchisedech*, ratione sacrificii Altaris, quod ut dictum est, sub speciebus panis & vini Corpus suum & Sanguinem obtulit.

Q. Unde habetur quod Dominus Jesus fuerit Rex?

R. Ex proprio ipsius testimonio, ut modo dicturi sumus. David in persona ipsius loquens ait: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*, Psalm. 2. & alibi: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinam*, Zachar 9.

Gabriel Angelus Mariæ dixit, dum ei Filii Dei incarnationem nunciaret: *Regnabit in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis*, Luc. 1.

Magos ipsum Regem palam agnovisse clarum est: ubi est, inquiunt, *qui natus est Rex Judæorum?* Matth. 2.

Tandem ipse Pilato interroganti *an esset Rex Judæorum?* libera mente fassus est: sed adjunxit, *Regnum ipsius non est de hoc mundo*, Matth. 2. id est, quod nullum terrenum Regnum temporaliter administravit, *licet esset Rex Regum & Dominus Dominantium*, Apocal. 19. Cum enim paupertas & humilitas, quas venerat exemplo suo hominibus inculcare, non congruant cum exercitio regnandi, ideo illud non assumpsit.

Q. Fuitne revera & speciali titulo Rex Judæorum?

R. Non aliter fuit Rex Judæorum, quam totius Universi. Duplici titulo Rex aliquis esse potest, jure hæreditario, vel electione; neutro modo fuit Christus Rex Judæorum: non *jure electionis*, cum post multiplicationem panum in deserto fugerit in montem solus, ne Rex fieret: imo cum diceret Pilatus: *Regem vestrum Crucifigam?* Responderunt; *non habemus Regem nisi Cæsarem*.

Non etiam *titulo successionis*: vel enim petitur Christi Genealogia per Mariam, vel per Joseph. Si per Mariam, non descendit a Davide per Salomonem, sed per Nathan alium filium David, ad quem non pertinebat regni successio.

Et ideo docent Expositores communiter Genealogiam per Salomonem descriptam a S. Matthæo cap. 1. non esse propriam Beatæ Virginis, sed Joseph: sed esto descenderet Virgo per Salomonem: unde constat inter innumeros ex Davide descendentes ipsam esse proximiorem?

Si per Joseph, ille quidem descendit per Salomonem; sed ubi legitur esse caput familiæ directe descendentis? Accedit quod Christus non esset filius Joseph naturalis, sed putativus, seu adoptivus, ad quem proinde non pertinebat regni successio. Non enim transmittitur per adoptionem in præjudicium naturalium filiorum.

Et licet de Christo dicatur: *Super solium David sedebit*, Isaiæ 9. *suscitabo David semen justum, & regnabit Rex*, Jerem. 23. *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*, Luc. 1. illa & alia intelligi debent de regno ejus *spirituali, seu Ecclesia*. Non posse autem ista applicari regno temporali Davidis, inde patet, quod jam a septemdecim sæculis cessavit. Ita Hennonius de Incarn. Disp. 17.

Et probatur etiam ex responso Christi ad Pilatum: *Regnum meum non est de hoc mundo*, Luc. 12. *Non negat se esse Regem*, inquit Cyrillus, *mentiri enim non potest, sed regno Cæsaris non esse hostem ostendit, quia principatus suus mundanus non erat*.

Q. Quis Salvatori nostro hoc Nomen Christus donavit?

R. Deus ipse, qui per os Prophetarum *Messiam* venturum prænunciavit. *Messias*, ut superius dictum est, nomen est Græcum, quod interpretatur *Christus*, Latine *unctus*. Et nos ab hoc nomine *Christiani* denominamur, id est *uncti*, per doctrinam illius illuminati, per Sacerdotium & Sacrificium a peccatis expiati, per regiam potestatem contra inimicorum incursus, & Dæmonum tentationes invicti.

Q. Potestne Christus dici Rex Ecclesiæ?

R. Ita; ipse enim eam regit, ab hostium impetu atque insidiis tuetur, adeo ut Potentiæ infernales contra eam minime *huc usque* prævaluerint, nec prævalebunt *in æternum*: ipse leges ei præscribit observandas facillimas, & suavissimas: *jugum enim ejus suave est, & onus ejus leve*. Tandem commilitone cohæredes in Regno cœlorum instituit, ibi cum ipso in æternum regnaturos.

FILIUM EJUS UNICUM.

Q. Estne revera Christus Filius Dei?

R. Negarunt olim Ariani, Macedoniani, & nonnulli alii hæretici. Sæculo autem 16. extinctam hæresim renovavit *Faustus Socinus* Italus *Senensis*, eamque per Poloniam, Bohemiam, Transilvaniam disseminavit, a quo Discipuli *Sociniani* dicti sunt: plurium aliorum errorum auctor fuit impius ille Socinus, qui miserime vita finivit. *Luclaviciis* in Polonia anno Domini 1604. ætatis vero suæ 65. vide quæ jam diximus de SS. Trinitate.

Verum tota Scriptura clamat Christum vere esse Filium Dei, Psalm. 2. v. 7. Pater Æternus ipsum alloquens ait: *Filius meus est tu*: & iterum Matthæi 3. v. 17. *Hic est filius meus dilectus*: Angelus Gabriel Mariæ dixit: *Ecce concipies in utero & paries Filium... Hic erit magnus & Filius altissimi vocabitur*, Luc. 1. v. 31.

Hæc veritas de Cœlo non modo allata est, sed etiam de terra prolata est.

Petrus Apostolorum Princeps cecinit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, cui confessioni annuit Christus dicens: *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*, Matth. 16. v. 16. 17.

Joannes Evangelista Divinitatem ejus luculentissime asserit: *in principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*, Joann. 1. v. 1. Item S. Thomas: *Dominus meus & Deus meus*, Joann. 20. v. 28.

Martha Christi hospita clare confitetur, dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti*, Joa. 11. v. 17.

Clamant denique Dæmones ipsi: *exibant autem Dæmonia a multis clamantia & dicentia: quia Tu es Filius Dei*, Luc. 4. v. 41.

Tandem, ipse Deus Homo Christus veritatem confirmat, dicens: *Ego & Pater unum sumus*, Joann. 20. v. 30.

Hic accedit omnium Conciliorum & Patrum consensus.

Cum ergo clamet cœlum, annunciet terra, prædicet infernus, & confirmet veritas ipsa, seu Christus ipse, se esse *verum Dei Filium*, confundantur quicumque de Divina Trinitate male sentiunt, Fidem Catholicam amplectantur, & Deum unum in essentia, & Trinum in Personis adorent: *Fides enim Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.*

Q. Cur dixisti unicum ejus Filium?

R. Quia est unicus Dei Patris Filius naturalis, ut habetur Joannis 3. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Uni-*

Unigenitum daret. Multi enim sunt Filii Dei adoptivi, de quibus idem Apostolus ait: *dedit eis potestatem Filios Dei fieri*, Evang. 1. Et alibi: *ut Filii Dei nominemur & simus*, 1. Joann. 2. At Christus Dei Filius est *natura & æterna generatione*, non autem *voluntate & electione*, sicut filii adoptivi.

Sic Pater Cœlestis, ut dictum est, Christum hominem Filium esse suum testatus est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, Matth. 3.

Q. *Quare additum fuit in Symbolo Nicæno, Deum de Deo, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero?*

R. Ad confundendos Arianos, qui dicebant Christum esse primam Patris creaturam, & Filium ejus adoptivum tantum, non vero naturalem de ejus substantia genitum.

Specialiter additum fuit: *Lumen de lumine*, ut ostenderetur quod sicut lumen producit aliud sine sui diminutione, ita & Pater Æternus non est imminutus in generatione Filii, omnino sibi æqualis.

Q. *Si Filius sit æqualis Patri, quomodo ergo Filius dicere potuit: Pater major me est?*

R. Cum Jesus Christus non solum verus Deus sit, sed & verus Homo, quædam in Scripturis de ipso dicuntur, quæ ad divinam, & alia quæ ad humanam naturam sunt referenda: nam de se secundum formam Dei dixit: *Ego & Pater unum sumus*, Joann. 10. idemque de se ipso dixit secundum formam servi: *Pater major me est*, Joann. 14.

Sic explicandæ sunt omnes aliæ Scripturæ locutiones de Filio Dei, & Filio Hominis, quod scilicet Dominus Jesus-Christus, juxta Symbolum Athanasii: *Æqualis sit Patri secundum Divinitatem; minor Patre secundum Humanitatem*.

Q. *Quare Filius Dei Verbum Patris dicitur; & Verbum Caro factum est... Et Deus erat Verbum?*

R. Sanctus Augustinus respondet Lib. 15. de Trin. cap. 14. *Verbum* illud, non est sonus transiens, aut exterior locutio; sed ideo Filius *Verbum Patris*, appellatur, quia per ipsum innotescit Pater.

Sicut verbis nostris animus noster innotescit audienti, sic sapientia illa, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit dignis animis secretissimus Pater, Verbum ejus convenientissime nominatur.

DOMINUM NOSTRUM.

Q. *Cur Jesus Christus Dominus noster dicitur, cum sit Dominus omnium.*

R. Multiplicibus rationibus.

1. Quia licet sit omnium creaturarum Dominus, tamen nos Christiani eum Dominum & Deum singulari cultu agnoscimus, & publica professione profitemur, quod non faciunt Judæi, & Pagani.

2. Quia Redemptor noster est, morteque sua nos a peccatis, & a servitute Diaboli liberavit, sibique vindicavit.

3. Quia curam particularem habet Christianorum, eos paterno amore gubernans, proprio Corpore & Sanguine enutriens, plurimaque auxilia, quibus ad Paradisum pervenire possint liberaliter præbens.

4. Quia non solum ab eo creati, & redempti sumus, sed quia in Baptismo nos totaliter ei tradidimus.

Q. *Quid Christo Jesu ut Domino nostro debemus?*

R. Ipsum debemus venerari, adorare, gratias ipsi agere, quod nos a Diaboli servitute ereptos, in libertatem Filiorum Dei vocatos, suo imperio ad-

dixerit. *Si Christi servi sumus*, ait Origenes, *non carni, non sanguini, non vanæ gloriæ, non cupiditati, non avaritiæ, non iracundiæ, non invidiæ; sed soli Christo Domino nostro, id est, omnibus simul virtutibus serviamus*, Orig. in cap. 1. ad Rom.

Frustra certe gloriamur nos habere Dominum Jesum Christum, si ipsum imitari detrectemus. Quid enim prodest vocari Christi servus, & mandatis ejus non obtemperare? Nonne hoc est alienum nomen sibi temerarie usurpare: *Si te Christianum esse delectat*, inquit Augustinus, *quæ Christianitatis sunt gere, & merito tibi nomen Christiani, seu Christi discipuli assume*, Aug. de vita Christi.

QUI CONCEPTUS EST

De Spiritu Sancto, Natus ex Maria Virgine.

Q. QUis *est hujus articuli sensus?*

R. Quod Dominus Jesus Christus Dei Filius humanam carnem suscepit in utero Virginis, non ex virili semine, ut alii homines, sed Spiritus Sancti virtute conceptus sit: ita ut eadem Persona Deus permanens, quod ex æternitate erat, Homo fieret quod ante non erat, citra ullam sui mutationem.

Q. Quare Verbum Æternum caro factum est?

R. Propter nos homines & propter nostram salutem: ut scilicet nos a captivitate Dæmonis liberaret, & hæredes Regni cœlorum constitueret.

Et hoc probatur ex Evangelio: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus*, Joann. 3. *Et ipse* Christus: *venit Filius hominis salvum facere quod perierat*, Luc. 19. Et Apostolus: *Christus venit in mundum peccatores salvos facere*, 1. Tim. 1.

Q. Cur voluit potius hominem lapsum, quam ipsosmet Angelos apostatas redimere?

R. Quia per peccatum Angelorum non fuit coninquinata tota natura Angelica, cum multi fideles & obedientes remanserint, sicut infecta fuit per Adæ peccatum tota natura humana.

2. Quia Angeli propria voluntate, & ex pura malitia peccarunt. Homines vero voluntate aliena, & ex infirmitate, instigante Demone, peccaverunt: non mirum igitur si horum misertus est Deus, & si alii misericordiam non invenerunt.

Q. Quandonam operatum est mysterium Incarnationis?

R. Aliqui dicunt cum Angelus Mariæ dixit: *Ave gratia plena Dominus tecum*. Sed communis & vera opinio est, perfectum fuisse ad ista verba consensus Virginis expressiva: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*.

Audiatur desuper Sanctus Bernardus: *Ex ore tuo, o Virgo, pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio & salus denique universorum filiorum Adam*, Homil. 4. super missus.

Q. Incarnatio Filii fuitne opus solius Spiritus Sancti?

R. Minime. Tota Trinitas adorandum Incarnationis sive conceptionis mysterium communiter & indivise operata est; cum opera ad extra, id est quæ Deus extra se operatur, sint toti Trinitati communia.

Q. Quare ergo Filii conceptio Spiritui Sancto tribuitur?

R. Pluribus motivis.

1. Quia Spiritus Sanctus est amor Patris & Filii: hoc autem Incarnationis opus, cum sit summi erga hominem amoris & benevolentiæ argumentum, merito & convenienter Spiritui

San-

Sancto tribuitur, sicut sapientia Filio, & potentia Patri.

2. Quia miracula & opera supernaturalia Spiritui Sancto adscribuntur: conceptio autem Christi miraculorum omnium maximum est. Statim atque corpus ex purissimo Virginis Sanguine formatum est, ei anima rationalis conjuncta est, & in eodem instanti Filius perfectus Deus, & perfectus Homo fuit.

Fuisse autem opus Spiritus Sancti, nemo dubitare potest, cum servato ordine naturæ nullum corpus nisi intra præscriptum temporis spatium hominis anima informari possit.

Concepit Maria de Spiritu Sancto, inquit Hugo de Sancto Victore, *non quia de substantia Spiritus Sancti semen partus acceperit, sed quia per amorem & operationem Spiritus Sancti ex carne Virginis Divino partui substantia ministraretur.*

Q. *Cum Christus conceptus sit ex Spiritu Sancto, potestne Spiritus Sanctus dici Pater Christi?*

R. Hoc certe dici nequit. Ut aliquis vere & proprie Pater dici possit, non sufficit aliquam rem quoquo modo facere, sed debet illam ex propria substantia, secundum viventis naturæ similitudinem in eadem specie producere, ideoque non dicimus fabrum murarium esse *patrem domus alicujus a se factæ*, sed opificem, siquidem ex calce & lapidibus, non vero ex propria substantia illam construxit.

Jam vero Spiritus Sanctus corpus Filii Dei formavit de carne Virginis, non vero de *sua propria substantia*: idcirco *Filius Dei* non est *Filius Spiritus Sancti*, sed est Filius *Dei Patris* in quantum *Deus*, quoniam ab illo *Divinitatem* accepit: & est Filius *Virginis* in quantum *Homo*, quia ab illa *carnem humanam* accepit.

Q. *Si Incarnatio opus sit totius Trinitatis, quomodo sola Filii Persona carnem induit?*

R. Quia soli Personæ Filii accessit natura humana. Proprietates enim personales ita uni Personæ conveniunt ut alteri non competant. Non enim ipse Pater est, qui Filius est, nec Spiritus Sanctus est aut ipse Pater, aut Filius; quo fit ut aliquid a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto factum dici & esse possit, quod tamen a solo Filio sit acceptum.

Q. *Potestne hoc aliquo exemplo clarius declarari?*

R. Maxime, saltem pro nostro modo concipiendi. Si unus homo vestem induat, & duo alii in induendo juvent, tres in illo opere occupantur, & tamen unus solus induitur: Sic in opere incarnationis Filii Dei, tres Personæ quidem sibi invicem præsto fuerunt, sed solus Dei Filius humanam carnem induit: *Et Verbum caro factum est*. Si cui hæc similitudo non placet, dicat cum Crysostomo: *Scio quod caro Verbum factum est, & quomodo factum sit nescio: miraris, quia ego nescio, omnis creatura ignorat*, Hom. 5.

Q. *Quare potius Filius, quam Pater & Spiritu Sanctus incarnatus est?*

R. Quia decebat ita fieri.

1. ut per illum restaurarentur omnia per quem omnia facta sunt: Cum autem per Filium Pater hominem condidisset; congruum fuit etiam ut collapsum hominem per eumdem Filium repararet.

2. Ut Imago Dei per peccatum in homine fœdata, per Imaginem Dei naturalem, nempe Verbum Divinum reformaretur.

3. Ut Filius naturalis filios adoptandos Patri suo reconciliaret.

4. Ut idem esset in tempore Filius Matris sine Patre, qui ab æterno fuerat Filius sine Matre.

5. Ut vitaretur idiomatum confusio, nam si Pater fuisset incarnatus, fuisset Pater & Filius: Pater respectu secundæ Trinitatis Personæ; & Filius respectu

Virginis: Si vero Spiritus Sanctus incarnatus fuisset, duo fuissent in Trinitate Filii.

6. Ut eadem Persona, quæ est media in Trinitate, mediatrix foret inter Deum, & hominem.

Fatendum tamen est, potuisse etiam incarnari Patrem & Spiritum Sanctum licet revera non sint incarnati. Henno nius, Tract. de Inc. Disp. 1.

Q. *Quæ differentia est inter Mysterium Sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis?*

R. Differentia est quod Sanctissima Trinitas in eadem natura contineat tres Personas: Incarnatio vero econtra in eadem Persona continet duas Naturas divinam scilicet & humanam.

Q. *Quæ est differentia inter Naturam & Personam?*

R. In substantia rationali, qualis est homo, Angelus, & Deus, semper duo considerantur. Unum est Persona, seu ut Philosophi dicunt *suppositum*, & est illud quod in dictis substantiis operatur: unde est illud dictum Philosophicum: *actiones sunt suppositorum*. Aliud est *Essentia*, & potest dici illud, quo Personæ suas exerceant operationes. Quod potest exemplo declarari. Etenim in homine duo considerantur, Primo *Persona*, id est ipse homo, veluti Petrus, Paulus &c. Secundo *Essentia* hominis, id est anima & corpus: & homo, seu Petrus est ille, qui operatur, veluti scribit, currit, intelligit: anima vero & corpus sunt illud, quo talia facit.

Q. *Quot sunt Personæ in Christo?*

R. Unica, in quam natura divina & humana conveniunt: qui enim verus est Deus, idem verus est homo, verus Dei Filius, & verus hominis Filius.

Unicam Jesu Christi esse Personam in duabus naturis subsistentem Ephesina Synodus Generalis, *Cœlestino primo Pontifice*, definivit; declaravitque hæreticum *Nestorium* Episcopum Constantinopolitanum, duas in Christo personas asserentem.

Si forent duæ Personæ in Christo, Christus non esset unus; unum vero esse Christum testatur Ecclesia in Symbolo Athanasii: nam *sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*. Et hæc veritas passim in Scriptura habetur: *unus Dominus Jesus Christus*, 1. Cor. 8. v. 6.

Sicut ergo ex animæ rationalis & corporis mutua inexistentia una hominis persona concrescit, ita ex intima immeatione & pervasione utriusque naturæ in Christo, sive ex eo quod natura humana Divinæ conserta sit, ab illaque ut a nobiliori, & potentiori sustentetur, una est Persona Christi &c. id est, illud quod facit Persona humana in natura hominis apud omnes homines; illud facit Persona Filii in natura hominis, quæ ab illo assumpta est.

Q. *Natura divina, & natura humana retinueruntne in Christo suas proprietates & operationes?*

R. Retinuerunt. Proprietates naturæ divinæ sunt, quod sit *æterna*, *increata*, *infinita*, *immortalis*, *creatrix*, *gubernatrix*, & alia multa.

Proprietates naturæ humanæ sunt quod sit *finita*, *creata*, *passibilis*, & *moralis* &c.

Proprietates illæ utriusque scilicet naturæ, licet utraque natura unita sit in Christo, non possunt de se invicem prædicari; non enim potest dici, quod natura Divina sit creata, finita &c. neque quod natura humana in Christo sit infinita, increata &c. quia unio naturarum in Christo proprietates illarum non confundit.

Omnia divinitatis & humanitatis jura vicissim servata sunt, nulla ex parte diminuta: ita ut de eodem ipso Jesu Christo Scriptura nunc secundum humanitatem, unde secundum divinitatem promiscue loquatur.

Q. *Om-*

Q. *Omnes proprietates & actiones tum naturæ divinæ, tum humanæ conveniuntne Personæ Christi?*

R. Conveniunt, ita ut Christus possit dici Deus, Homo, Creator, Mortuus &c. quidquid enim convenit naturæ, convenit etiam Personæ illi cujus illa natura est. Cum ergo Persona Filii sit Persona tum naturæ divinæ, tum humanæ, quidquid convenit utrique naturæ; vere Personæ Christi tribui potest.

Pono exemplum: corpus & anima sunt unita in persona hominis: quidquid verificatur de corpore, vel de anima hominis, quatenus de illius natura sunt, potest de homine verificari. Ideo si corpus Petri dicitur mortuum, infirmum, claudum Petrus dicetur mortuus, infirmus, claudus, & sic de aliis.

Q. *Quotuplex est in Christo intellectus & voluntas?*

R. Duplex: Et est de fide, contra Cyrum Patriarcham Alexandrinum, & Sergium Constantinopolitanum: Ut definitum est in Conciliis Florentino, & Lateranensi: Ratio etiam est, quod in Christo sint duæ naturæ completæ, perfectæ, & diversissimæ; ergo quælibet diversas facultates habet, singulis naturis proprias & inseparabiles, quales sunt intellectus & voluntas.

Hoc ipsum declaravit Christus, nempe se voluntatem & volitionem habere a voluntate & volitionibus Patris diversas, ut cum dixit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matth. 26. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me &c.* ergo erat in ipso voluntas alia a voluntate Patris, ergo duæ.

Idem dicendum de intellectu, ut cum mirabatur fidem Centurionis, cum dicitur quod *proficiebat ætate & sapientia*, id enim dici non potest de intellectu divino, qui non recipit majus & minus.

Q. *Fuitne unquam voluntas humana Christi contraria voluntati divinæ?*

R. Nequaquam. Semper inter eas fuit perfectissima conformitas, etiam in his quæ Christus ipse libertime faciebat; ut constat ex sequentibus textibus. *Ego pono animam a me ipso*, scilicet volens: *hoc mandatum accepi a Patre meo. Ego a me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater; ipse mandatum dedit, & sicut mandatum dedit Pater, sic facio: meus cibus est ut faciam voluntatem Patris*, Joann. 10. 12. 14.

Et alibi: *Non quæro voluntatem meam, sed ejus qui misit me*: & cap. 8. subjungit, *quæ placita sunt ei facio semper*.

Probatur etiam hac ratione. Si voluntas humana contraria fuisset divinæ, peccasset Christus volendo aliquid contra voluntatem divinam; hoc dici nequit &c. Deinde voluntas humana Christi directa fuit per specialem Dei assistentiam, & sic non poterat velle contrarium eorum, quæ volebat Deus.

Nec refert, quod oraverit pro morte vitanda; quia hæc oratio solum denotat actum inefficacem voluntatis humanæ contrarium fuisse actui efficaci tum voluntatis Divinæ, tum humanæ; cum subjunxerit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu: fiat voluntas tua*; ex quo patet Christum habuisse voluntatem efficacem conformem voluntati efficaci divinæ de morte subeunda; non enim dubitat de æterno illo decreto, quo sibi moriendum erat: sed sic locutus est humano modo, infirmitatem carnis humanæ demonstrans.

Q. *Quomodo stare potest voluntas efficax moriendi cum tristitia quam habuit; ipse enim dixit: Tristis est anima mea.*

R. Voluntas efficax faciendi aliquam rem optime stare potest cum tristitia, quam quis in illa re facienda experitur. Sic mercator urgente tempestate vult efficaciter projicere merces in mare, & tamen tristatur, & dolet, dum

illas proiicit. Tristitia igitur non arguit nolitionem efficacem. Modo Christus volebat quidem efficaciter mortem pro redemptione Generis humani, sed quia videbat se perpessurum gravissimos dolores in executione suæ voluntatis efficacis, ideo in eam tristitiam incidit.

DE SANCTO JOSEPHO,

Et de ejus Matrimonio.

Q. *SI Christus conceptus sit de Spiritu Sancto, qua ergo ratione dicitur Filius Joseph.*

R. Pluribus de causis. 1. Quia Judæi Christum pro Filio Josephi habebant: *nonne*, inquiunt, *hic est filius Fabri*? quinimo ipsamet Beata Virgo Filium suum alloquens, ait: *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te.*

Ratio autem præcipua quare Christus Filius Josephi dici potest, est, quia Christus fuit fructus conjugii Joseph & Mariæ: Natus enim est in utriusque conjugio, ac proinde utrique jure adscribendus est, tanquam Patri & Matri: quia Joseph per conjugium corporis Beatæ Virginis quasi dominus effectus est; ergo & fructus corporis Beatæ Virginis, puta Christus, ad Josephum pertinuit, uti metalla nata in agro ad dominum agri pertinent; quod enim in agro meo nascitur, meum est, ait Jurisconsultus. Ita Cornelius a Lapide.

Tandem Joseph Pater Christi dicitur; quia uti Pater Christum nutriebat, & patris auctoritatem in ipsum exercebat; & quia Christus Josephum ut Patrem coluit, amavit, honoravit, eique obedivit: ut patet Lucæ 2. v. 51. *Et erat subditus illis.*

Q. *Fuitne magna Josephi sanctitas?*

R. Eminentissimæ fuit sanctitatis: S. Joseph quod colligitur,

1. Ex ejus officio: fuit enim ipse, ut diximus, Pater Christi, ipsum aluit, fovit, custodivit, ac eum in arte fabrili secum exercenda dixerit &c.

2. Fuit legitimus Virginis sponsus, ut constat ex Evangelio: inter sponsos autem solet esse æqualitas, id est proportio, ut sit matrimonium congruum & commodum: ergo præ omnibus Joseph accessit ad sanctitatem Beatæ Virginis.

3. Si Beata Virgo unica salutatione sanctificavit Joannem Baptistam, quantum sanctitatis afflavit Josepho crebra salutatione, imò continua conversatione & alloquio tot annorum?

4. Josephus quotidie Jesum videns & audiens miro incendebatur amore erga eum & reverentia, ut Angelus potius, quam homo censendus sit.

Hinc nonnulli Patres opinantur Josephum in gratia & gloria antecellere Apostolis, & Joanni Baptistæ, quia ejus officium illorum officio præcellebat. Plus enim est esse patrem & rectorem Christi, quam præconem & præcursorem ejusdem.

Verum est quod Christus dixerit: *inter natos mulierum non surrexisse majorem Joanne Baptista.* Sed hæc verba intelligi possunt de hominibus natis sub veteri Testamento: Joseph vero ut Pater Christi specialius ad novum Testamentum pertinet.

Q. *Magna polletne apud Deum S. Joseph auctoritate?*

R. Cum Christus fuerit ei subditus in terris, nullum esse potest dubium quin ei concedat in cœlis quidquid ab eo petierit in favorem suorum clientum devotorum.

Sancta Theresia, quæ mira devotione Beatum Josephum colebat, eumdemque omnibus commendabat, asserit se per intercessionem ejus multa & magna, imo omnia quæ habebat, impetrasse.

Q. *Cur ergo tam neglectus & quasi*

Incognitus in Ecclesia remansit usque ad decimum quintum sæculum?

R. Hoc ad inscrutabilem Dei providentiam referendum est. Per aliquod tempus ut simplex & abjectus Faber lignarius parvi æstimatus fuit. Modo tamen Carmelitæ excalceati ad exemplum Sanctæ Theresiæ eorum matris, amore & devotione inflammati a Gregorio XV. obtinuerunt Festum ejus a tota Ecclesia quotannis celebrandum die 19. Martii. Et quidem merito ob magnam ejus sanctitatem, dignitatem, officium, & prærogativas supra enarratas &c.

Q. *Servavitne Josephus Virginitatem?*

R. Nihil certi habemus de hoc ex Sacris litteris.

Sanctus Epiphanius cum nonnullis aliis Patribus putat S. Josephum prius duxisse uxorem de Tribu Juda, ex qua nati sint ii, qui in Evangelio *Fratres Domini Jesu* vocantur.

Sanctus Hieronimus econtra cum multis antiquis, quibus adhærent recentiores, vult S. Josephum toto tempore vitæ Virginem fuisse, suaque virginitate quasi meruisse, ut fieret conjux Virginis Deiparæ. Sic enim scribit contra Helvidium: *Tu dicis Mariam Virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam Joseph Virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali conjugio Virgo Filius nasceretur.*

Ejusdem opinionis est S. Augustinus. *Gaude itaque Joseph, qui solus meruisti virginalem affectum possidere conjugii; quia per meritum Virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater diceris Salvatoris*, Serm. 14. in Nativitate Domini.

S. Petrus Damiani asserit pariter Virginitatis laudem Josepho dicens: *Ecclesiæ fides est, ut Virgo fuerit*, Opusc. 17. 2. 3.

Hæc hodie sententia invaluit apud Fideles.

Q. *Matrimonium inter Mariam & Joseph fuitne verum Matrimonium?*

R. Nullum de hac re potest esse dubium, cum Scriptura *sexies* vocet Mariam *Conjugem*, & Joseph *Virum* ejus: matrimonium enim facit non copula, sed consensus. Unde Sancti Patres communiter docent fuisse inter ipsos verum conjugium: *non concubitu*, ait Sanctus Augustinus, *sed affectu*; *non commixtione corporum*, *sed copulatione*, quod est charitas, *animorum*, Lib. 23. contra Faustum, cap. 8.

Q. *Sed numquid Beata Virgo suam Virginitatem Deo voverat?*

R. Verum est, & quidem absolute, quod conjicitur ex illo verbo suæ interrogationis ad Gabrielem: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hoc est. *Quomodo concipere possum in utero, & filium parere, si votum Virginitatis emisi?* Quod quæsitum fuit de modo supermirabili, ait Scotus, quia firmissime disposuerat nunquam se cognoscendam a viro: & ad hunc intellectum exposuit Angelus respondendo: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*, Luc. 1. Id est, *proteget & roborabit te*, inquit Hilarius, *ut activitatem Spiritus Sancti in tanto opere, & Filio Dei concipiendo sustinere valeas*, Lib. 2. de Trinitate.

Q. *Stante tali voto absoluto, potuitne Beata Virgo verum contrahere matrimonium?*

R. Certe. Jus enim matrimonii non repugnat Religioni & voto castitatis. In contractu matrimoniali, ait Scotus, est quidem mutua datio corporis ad copulam; sed cum conditione implicita, *si petatur*. Unde contrahentes cum proposito statim vovendi castitatem, vere contrahunt matrimonium.

Sic pariter Beata Virgo Maria, *emisso voto castitatis*, potuit cum Joseph contrahere matrimonium, edocta cum esset divinitus, *quod Joseph usum corporis nunquam exigeret*, Scot. in 4. dist. 30. quæst. 2.

Joseph ergo per matrimonium habebat

bat jus in B. Virginem; sed per castitatis propositum, & ut videtur votum, hoc jure suo non est usus, nec uti voluit: Hæc enim duo valde distincta sunt, habere jus ad copulam, & copula uti: prius requiritur ad matrimonium, non posterius.

Q. *Certumne est Mariam vovisse Virginitatem ante desponsationem?*

R. Non est adeo certum, quandoquidem S. Thomas docet Dei Matrem, antequam Joseph desponsaretur, absolute Virginitatem non vovisse, sed eam in desiderio habuisse, voluntatemque suam divino arbitrio commisisse: at absolute tantum vovisse postquam sibi innotuit hoc esse Deo acceptum, quod ei manifestatum est, antequam ab Angelo annuntiaretur, acceptoque sponso, simul etiam cum eo votum Virginitatis emisisse, 3. part. quæst. 28. art. 4.

Si ergo, juxta S. Thomæ mentem, Maria votum emiserit solum post desponsationem, potuit legitime contrahere cum Joseph, & una simul cum ipso ante consummationem Virginitatem Deo in perpetuum consecrare.

Q. *Qui sunt effectus matrimonii virginalis?*

R. Suarez sequentes enumerat. *Primus est*, ut conjux virgo non possit alteri nubere. *Secundus* est, ut licet per copulam votum violet, non tamen sit fornicaria. *Tertius*, ut proles divinitus data, uti Christus hic conceptus ex Spiritu Sancto, sit & habeatur legitima, utpote ex legitimo conjugio prognata.

Q. *Quare voluit Christus ut Mater ejus Virgo foret desponsata?*

R. Inter plures rationes congruas, hæ a patribus abducuntur?

1. Ut Joseph esset testis Virginitatis Mariæ.

2. Ut esset obsequium Virgini ac puero Jesu, quem custodivit, aluit, & educavit.

3. Ut per generationem Joseph origo Mariæ demonstraretur.

Sed præcipua ratio est, ait Scotus, quia Christus noluit incipere ab injuria legis, ne daret occasionem judæis & Herodi persequendi ipsum ut illegitimum, cum partus innuptæ lege damnaretur, & ob alia motiva &c.

Q. *Fuitne revelatum Incarnationis mysterium Josepho antequam fieret?*

R. Nequaquam: alias si fuisset mysterii conscius, dum ex tumore uteri deprehendit Beatam Virginem conjugem suam concepisse, non cogitasset eam dimittere; unde ut non dimitteret apparuit ei Angelus in somnis, dicens: *Joseph noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est*, Matth. 1.

Q. *Cur Joseph non interrogavit B. Virginem, unde esset gravida?*

R. Respondetur; fuit hic primus quasi motus mentis Josephi, quem ex verecundia tacuit. Sciebat hanc Virginem esse sanctissimam; gravidam tamen cernebat, & sciebat quod non ex se. Incertus ex quo, & quomodo, an forte a sponso aliquo priore; An vi oppressa; poterat revera auctoritate maritali rem ab ipsa inquirere; non fecit tamen, ne pudorem uxoris, de cujus integritate, & fide certus erat, offenderet, vel sic disponente divina Providentia, ut ab Angelo mysterium addisceret.

Q. *Cur Beata Virgo videns angustias mariti, suæ graviditatis causam non exposuit?*

R. Respondet Cornelius a Lapide, Mariam ex modestia noluisse secretum hoc divinum Josepho pandere, ne sua dona tanta, & tam divina jactare videretur. Unde Deo, Deique providentiæ & curæ, cujus totum hoc opus erat, id ipsum commisit, certissime confidens Deum suam innocentiam & famam tutaturum, ac rem totam opportune, vel patefacturum, vel directurum omnia ad majorem suam gloriam, & consequenter ad majorem Conceptionis hujus honorem & venerationem.

Q. Quam artem exercuit Sanctus Joseph?

R. Certissimum est fuisse fabrum. An autem fuerit faber ferrarius, an lignarius, non omnes conveniunt. Evangelium Apocriphum S. Jacobi docet ipsum fuisse domorum ædificatorem, hoc est cœmentarium. S. Ambrosius credit cædendis arboribus, ædibus ædificandis, & similibus exercendis incubuisse. S. Hilarius putavit illum artem ferrariam exercuisse. Relictis his opinionibus, vetustissima & maxime recepta opinio tenet lignariam illum exercuisse; Qui si in domibus ædificandis fuerit conductus, non aliter quam ut faber lignarius.

Q. Quando obiit S. Joseph, & ubi sepultus fuit?

R. Cum ab illo tempore, quo Jesus duodennis in Templo delituit, & ab utroque parente inventus est, nihil quidquam de Josepho loquantur Evangelistæ, communiter creditur illum vitam clausisse antequam Jesus aut prædicandum Evangelium susciperet, aut a Judæis in mortem traderetur. Vocato Jesu ad nuptias in Cana Gallilææ, venerunt cum eo Mater ejus & discipuli, non Josephus. Tandem Jesus in Cruce pendens Matrem suam Joanni Evangelistæ commendavit, Josepho potius commissurus si in vivis egisset: non enim Jesus dissidiis gaudet, sed concordia & charitate.

Ubi vero obierit & sepultus fuerit, incertum est. Creditur tamen obiisse Nazareth in patria sua, ubi sedem fixerat post reditum ex Ægypto, & ubi pariter morabatur Jesus cum munus prædicationis iniit: ibidemque sepulturæ mandatum fuisse. Nihil tamen certi habemus nec de tempore mortis, nec de loco sepulturæ. Monstratur quidem sepulchrum ejus hocce nostro sæculo in Valle Josaphat, non procul a Jerosolima: sed nihil de illo apud Veteres. Nec credibile est moriturum eo venisse Josephum, ubi nunquam superstes moratus est.

Incertum esse hunc sepulturæ locum satis probat ignoratio, qua de reliquiis ejus tenemur: nullibi enim locorum sacra ejus ossa coluntur.

Dies obitus ad decimam nonam Martii notatur in vetustissimis Martyrologiis, ante octingentos annos scriptis, quem diem festum agit in ejus memoriam Ecclesia Latina.

Q. Quo Mense, & quo Die, & qua hora fuit Christus in utero Beatæ Mariæ Virginis conceptus?

R. Recepta opinio est, ipsum fuisse conceptum in æquinoctio veris, in mense scilicet *Martio*, *die vigesima quinta*, ut sicut primus Adam die veneris creatus fuerat, secundus Adam eodem die ejusdem mensis conciperetur, seu homo fieret.

Quantum vero ad horam, nihil certi habemus. Aliqui dicunt ad auroram; alii ad meridiem; alii ad occasum solis.

Diversitas harum opinionum fundatur in eo quod Ecclesiæ mos invaluerit pulsare campanas in relatis diei partibus.

Q. In qua domo peractum est Incarnationis Mysterium? An parentum? An mariti?

R. Probabilius est in ædibus paternis; quia teste scriptura, necdum Joseph duxerat eam in domum suam, quando deprehendit esse gravidam. In Nazareth ergo cum habitaret Beata Virgo cum Josepho sponso suo, Christum concepit. Unde Christus ab ea, quasi a patria, cognominatus est *Nazarenus*.

Porro domus vel cubiculum Virginis, in quo Angelo nunciante Christum concepit, a Sancto Jacobo, aliisque Apostolis consecrata fuit in Ecclesiam anno Christi 42.

Post trecentos vero annos Sancta Helena elegans Templum exædificavit.

Fan-

Eamdem domum visitarunt Sancta Paula, Sanctus Ludovicus Rex Francorum, & multi alii Sancti peregrinantes.

Eadem tandem post mille annos e Nazareth ab Angelis translata est in Dalmatiam, inde in Italiam, puta *Loretum*, ubi etiamnum consistit, & totius orbis concursu pie visitur.

NATUS EX MARIA VIRGINE.

Q. *Quinam fuerunt Beatæ Virginis parentes?*

R. Clare non colligitur ex Evangelistis. Communis sententia est Beatam Virginem *Joachimum* habuisse Patrem, & *Annam* Matrem, cum essent sexagenarii, adeoque steriles.

Accedit, quod cum in templo Sacrificium offerre vellent, Sacerdos prohibuerit, eo quod viro posteritate in Israele orbato, nullum esset in sacrificiis offerendis jus.

Joachim pudore suffusus in deserta se se recepit; jejuniis, precibusque vacans. Anna pariter amaris lacrymis sterilitatem deflebat. Paulo post adfuit ei Angelus, nuncians ei futurum ut *Mater* tandem efficeretur. Eadem & Joachimo per alium Angelum nunciata sunt.

Joachim Domum repetens cum uxore, post evolutam novem mensium periodum Mariæ pater effectus est. Euseb. Hist. Eccles. lib. 3. cap. 20.

Unde Conceptio Virginis miraculosa fuit, ut ad maximum miraculum via per miraculum sterneretur, inquit Damascenus.

Quantæ autem essent sanctitatis conjuges illi fœlicissimi, inde apparet, quod meruerint generare illam quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

Q. *Ubi nata est Beata Virgo Maria?*

R. Cum parentes ejus habitarent in Nazareth, quæ civitas erat Gallilææ super montem ædificata, trium dierum itinere ab Jerusalem distans; dicendum ibidem fuisse conceptam & natam, juxta Hieronymum & Eusebium, non vero Jerosolimis, ut quidam recentiores autumant.

Exactis tribus infantiæ annis, præsentata fuit in templo, ac ibidem undecim annis morata, donec quartodecimo ætatis anno completo desponsata fuit Joseph, & decimo quinto Christum peperit.

Q. *Quo mense, & qua hora in lucem edita est Virgo Maria?*

R. Cum Ecclesia Virginis ortum celebret die octava Septembris, eadem die nata censetur, se concepta die octava Decembris, quo ejus Conceptionis Festum recolitur.

Quantum ad horam præcise, ignoratur. Durandus tamen asserit, Lib. 7. capit. 28. fuisse revelatum cuidam Religioso, Dei Matrem in mundum editam fuisse in aurora.

Q. *Qua diei hora fuit ab Angelo salutata?*

R. Variæ sunt circa hoc sententiæ. Aliqui volunt Angelum Virgini apparuisse in fine diei: alii media nocte; nonnulli mane in aurora.

Pro prima opinione stat Sanctus Bonaventura; legitur enim in ejus vita ipsum a Summo Pontifice obtinuisse ut in honorem Sacro-Sancti Annunciationis mysterii sub vesperam pulsus campanæ daretur, qui fidelibus signum esset recitandi *Ave Maria*. Ita habetur in antiquo nostro Breviario in lectionibus feriæ sextæ infra octavam ejus Festi, his verbis. *Idem etiam piissimus cultor Gloriosæ Virginis Matris Jesu instituit, ut fratres populum hortarentur ad salutandum eandem signo campanæ quod post completorium datur, quod creditum sit*

eam

eamdem ea hora ab Angelo salutatam.

Q. *Cur ter in die, mane scilicet, vespere, & meridie campanæ pulsentur?*

R. Ad salutandam, & venerandam Beatissimam Virginem. *Primo* pulsantur Vespere juxta institutionem *Sancti Bonaventuræ*, credentis tali hora fuisse Mariam ab Angelo salutatam, & a Spiritu Sancto fœcundatam.

Secundo, in aurora, quia existimant nonnulli Sancti Patres, Angelum tunc Mariæ apparuisse, eique futuram Dei genitricem nunciasse.

Tertio pulsantur campanæ in meridie, ad obtinendam pacem generalem. Et institutum fuit ad instantiam *Ludovici undecimi Francorum Regis*, initiumque habuit die prima Maii anno Domini 1472. ita referente Gisberto Genebrardi Theologo Parisiensi, Regioque professore linguæ Hebraicæ.

Ludovicus XI. Francorum Rex *instituit hora meridiana, sicut mos* erat ad vesperam, *ut ad pulsum campanæ quilibet e populo Virginem salutaret Angelica oratione, obtinendæ causa pacis. Id fieri cœptum est anno Domini M.CD.LXXII. prima die Maii*.

Unde Pater Silvester Pietra Sancta Societatis Jesu scribit, nos ter in die Beatam Virginem deprecari & salutare debere. *Nos interim*, inquit, *ter quotidie admonemur ut implorare, & venerari eamdem Virginem debeamus*. Vespere *quidem ex pia institutione Sancti Bonaventuræ, quod multis persuasio fuit, ipsam eo temporis vestigio fuisse a sydereo internuncio salutatam*. Meridie *insuper studio pacis obtinendæ, quam consuetudinem induxit Ludovicus XI. Galliarum Rex*. Mane *item, ut ejus ope lucem auspicari sanctius, & religiosius mereamur*.

Q. *Num rectius diceretur Virginem salutatam fuisse media nocte, cum Christum media nocte pepererit*.

R. Certe. Hæc opinio verisimilior est. Cum media nocte 25. Decembris in lucem Christus editus sit, media nocte humanam carnem in utero Virginis induisse censendus est, die 25. Martii, quo die Annunciationis Festum ab Ecclesia celebratur, tantum temporis exigente partus perfectione. Huic opinioni concordant Sacri Scriptores, imo Ecclesia ipsa, Christum nempe media nocte natum esse, *dum medium silentium tenerent omnia*. Et consequenter media ipsa nocte incarnatum fuisse. *Dum nox in suo cursu medium iter haberet; omnipotens sermo tuus de cœlo a regalibus sedibus venit*.

Q. *Fuitne tempus illud nocturnum tum Mariæ, tum Angelicæ salutationi opportunum?*

R. Quare non? probabile enim est Mariam partem noctis meliorem bonis operibus impendisse, orationique & cœlestibus contemplationibus ut plurimum vacasse; solent enim Sancti plus noctu, quam diu & sero se se spiritualibus exercitiis addicere, seu operam dare.

Q. *Fuitne Maria revera Mater Christi?*

R. Manichæi, & Marcionitæ qui in Christo veram humanitatem non agnoscebant, ipsique solum corpus imaginarium & phantasticum tribuebant, consequenter Mariam fuisse veram Matrem negabant, quia nihil vere genuit.

Fides Catholica ex adverso profitetur Beatam Virginem vere Christi Matrem esse. Sic habetur Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*. Sic Angelus Mariæ dixit: *ecce concipies, & paries Filium*: Et ad Joseph: *Accipe Puerum, & Matrem ejus*. Et ipsamet Virgo vocat Christum Filium suum: *Fili quid fecisti nobis sic?* & in nuptiis, *erat Mater Jesu ibi*, ergo est vere Mater.

Hoc etiam ratione demonstratur; Etenim Virgo in conceptione & generatione Christi præbuit omne id quod aliæ matres præstare solent, materiam nempe, ex qua formatum est corpus Chri-

Christi, imo totam materiam, adeoque magis mater est, quam aliæ matres.

Deinde corpus illud fovit, aluit, gestavitque in utero novem mensibus, donec ad debitam magnitudinem perveniret, qua in lucem ederetur, est igitur vere mater.

Q. *Quomodo Maria potest dici Christi Mater*, si totum quod ex ea natum est, de Spiritu Sancto est, *ut Angelus Josepho asseruit?*

R. Explicandus est ille textus. Si litteraliter intelligendus foret, sequeretur Christum nihil a Maria accepisse, & consequenter non posset dici, nec esse ejus Filius.

Quando Angelus Josepho dixit, *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, solum indicare ipsi voluit integritatem & fidem suæ uxoris, quod non ex crimine & adulterio concepisset, nec alium sponsum præter Spiritum Sanctum agnosceret. Totum tribuitur Spiritui Sancto, quo ad operationem supernaturalem & efficientiam principalem; ita ut nullus vir ibi quidquam egerit: non vero exclusive respectu Mariæ, quasi nihil præbuerit ad formationem corporis Christi; cum ut diximus, totam materiam subministraret. Suspicionem igitur a Joseph amovere volens Angelus, operationem cujuscumque viri excludit, cum Spiritui Sancto totum tribuit.

Q. *Potestne dici Beata Virgo etiam Mater Dei?*

R. Non solum dici potest, sed reipsa est vere *Mater Dei*. Hoc quidem negavit Nestorius, sed nihil mirum, cum duas in Christo personas, divinam, & humanam agnosceret, sicut & duas naturas. Mariam Matrem Dei negabat, solum esse Matrem hominis contendens, cum non nisi purum hominem generare potuerit.

Oppositum autem est de fide, nimirum Mariam esse Dei Matrem. Sicut enim verus Deus ex ipsa genitus est, ipsa & ipsa vere genitrix Dei dicitur: non enim hominem nudum genuit Beata Virgo, sed Deum verum, non nudum, sed incarnatum.

Probatur ex Scriptura, Luc. 1. habetur: *Quod ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei.*

Hinc est, quod Elisabeth ad Mariæ visitationem exclamavit. Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? cognoverat ergo Elisabeth Mariam esse Matrem Domini sui, qui certo non est purus homo; sed est Deus Dominus omnium, alioquin non tanta fuisset admiratio Elisabeth, nec exultasset infans in utero ejus, nec ipsa repleta esset Spiritu Sancto.

Sic etiam determinatur in Concilio Ephesino: Si quis non confitetur Sanctam Virginem esse Genitricem Dei, *anathema sit*. Et in Lateranensi sub Martino primo can. 3. *Si quis non confitetur proprie, & secundum veritatem, Mariam esse Genitricem Dei, anathema sit.*

Idem semper & constanter docuerunt Sancti Patres, quos videre licet apud nostrum Cardinalem Laurea.

Ratio hujus est, quia Beata Virgo est Mater Jesu Christi, Jesus Christus est vere Deus ab eodem istanti, quo est conceptus in utero Matris; ergo est vera Mater Christi Dei.

Unde merito Angelicæ salutationi additum fuit: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostra. Amen.*

Q. *Qualiter Dei Mater esse potest, cum Deitatem non genuerit?*

R. Eodem modo quo fœmina dicitur mater hominis, licet ejus animam, quæ nobilior pars ejus est, non genuerit, cum Deus illam infundat: sic licet Maria non genuerit divinitatem, quia tamen genuit humanitatem, seu hominem, cui ab instanti conceptionis Deus se univit, tam vere Mater Dei dici potest, quam aliæ fœminæ dicuntur matres hominum: *nam*, inquit Athanasius; *sicut anima rationalis, & caro*

unus.

unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.

Q. *Fuitne Maria semper Virgo?*

R. Perpetuam Dei Genitricis Virginitatem oppugnarunt nonnulli Hæretici.

Quidem dixerunt Jesum Christum naturaliter, more aliorum hominum ex Josepho, & Maria genitum fuisse, ut Ebionitæ, & Cerinthiani.

Alii docuerunt, Mariam, post Christum natum fuisse corruptam, & plures Filios genuisse ex Josepho, ut Jovinianus, & multi Calvinistæ.

Alii tandem volunt quod in partu amiserit Virginitatem.

At Ecclesia Catholica omnes illos anathematizavit, declarans Beatam Mariam fuisse semper Virginem, ante partum, in partu, & post partum.

Primo. Quod fuerit Virgo *ante partum*, eruitur ex Sacra Scriptura: *Missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem*, Luc. 1. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*, Isa. 7. Ipsamet Maria Angelo Incarnationem verbi nuncianti se Virginem protestata est his verbis: *Quomodo fiet istud; quoniam virum non cognosco?* Quibus verbis respondit Angelus; *Spiritus Sanctus superveniet in te*; aperte significans, nullum inde Virginitatis passuram detrimentum.

In Symbolo Apostolorum dicitur: *Christus natus ex Maria Virgine*. Idem habetur, in Concilio Constantinopolitano, can. 7. *Et Incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine*.

Accedit consensus communis omnium Patrum. Sufficiat hic audire Augustinum: *Virgo genuit, quia Virgo concepit, inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit*, Serm. de Nat.

Ratio etiam non deest. *Cum Christus*, inquit, Sanctus Thomas, *sit verus & naturalis Dei filius, non fuit conveniens, quod alium Patrem haberet quam Deum, ne dignitas Patris transferretur ad alium*, 3. quæst. 28. art. 1.

Deinde Christus venit, ut omnes Filii Dei renascerentur, *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo*, seu ex Dei virtute; ergo si ipse, qui erat causa exemplaris, æque ac meritoria nostræ regenerationis non debuit concipi & generari ex voluntate carnis, aut viri, *ergo*, inquit Sanctus Augustinus, *oportebat Caput nostrum insigni miraculo* nasci de Virgine secundum carnem, *ut significaret membra sua* de Virgine *Ecclesia* secundum spiritum *nascitura*, de Serm. Virg. cap. 6.

Q. *Si Maria sola genuit Christum, qua ratione in Evangelio Joseph Pater Christi dicitur, & ipsa mulier?*

R. Joseph Pater Christi dicitur, non verus, non naturalis, quasi concurrerit ad divinæ prolis generationem, sed putativus, eo quod Maria ipsi desponsata erat. Unde subditur in Evangelio: *ut putabatur Filius Joseph*.

Quod si Maria *mulier* vocetur, non officit ipsius Virginitati. Quia ipsum nomen in lingua Hebraica nihil aliud significat quam sexum fœmineum, non vero conditionem, vel statum Virginitati oppositum; sive ergo fœmina cognita sit a viro, sive non, *mulier* dici potest.

Hujus exemplum habemus in Heva, de qua dicitur: formavit eam in mulierem, antequam vel ostenderet viro. Non incongrue tamen Maria *mulier* dici potest propter partum, *Virgo* vero, quod virile nescierit consortium, neque pariendo Virginitas ejus corrupta sit.

DE

DE VIRGINITATE MARIÆ IN PARTU.

Q. U*Nde colligitur Mariam permansisse Virginem in partu?*

R. Ex locis jam antea citatis, maxime ex illo Isaiæ 7. Propheta enim dicit non solum, *ecce virgo concipiet*, sed etiam addit, *pariet*; designans non concepturam tantummodo Virginem, sed & Virginem parituram.

Ezechielis 45. habetur: *porta hac clausa erit*. Super quod S. Ambrosius ait: *bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur; transivit per eam Christus, sed non aperuit*, Lib. de Instit. Virg. cap. 8.

Rationes convenientiæ sunt.

1. Quod Jesus ad hoc venerat, ut nostram corruptionem tolleret, unde non debuit Matris Virginitatem corrumpere: *Fas enim non erat*, inquit Augustinus, *ut per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat sanare corrupta*, Serm. de Nativ. Dom.

2. Conveniens fuit ut ille Matris honorem non minueret, qui præceperat parentes esse honorandos.

Ergo Maria fuit perfecte Virgo in partu.

Q. *Si Christus nascendo Matris vulvam aperuit, quomodo ipsa Virgo permansit?*

R. Tertullianus, & cum ipso nonnulli Sancti Patres, ut Ambrosius, Origenes, Chrysostomus &c. dixisse referuntur Christum egredientem ex utero aperuisse ejus vulvam antea clausam: unde inferri poterat, Mariam imposterum potius mulierem, quam Virginem dicendam esse.

At dici potest præfatos Patres nihil aliud intendisse, quando dixerunt Christum aperuisse Matris vulvam, quam ex clauso utero prodiisse, ac si illum aperuisset.

Solus Christus, inquit Hieronymus, *clausas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter permanserunt*, Lib. 2. contr. Pelag.

Quod autem aperire vulvam non sumi debeat rigorose, sed latiori modo pro exitu ex utero, sat expresse habetur apud citatum Ambrosium, cum in libro de institutione Virginum capit. 7. dicat, *Christum non solvisse Matris claustra: durasse* inviolata *signacula integritatis*, Christum *transivisse per eam, & non aperuisse* &c.

Si quæratur, qualiter exire potuerit Christus ex utero, sine apertura claustri virginalis? Respondetur, id factum esse stupendo miraculo per divinam potentiam, qua Christi corpus egredi potuit, sicut ingredi potuit ostium clausum; sicut enim ad discipulos januis clausis intravit, & ex sepulchro clauso & obsignato egressus est; ita ex alvo materno sine ullo maternæ Virginitatis detrimento editus est.

DE VIRGINITATE MARIÆ POST PARTUM.

Q. E*Dito in lucem Jesu-Christo, nullumne postea habuit Maria commercium cum viro?*

R. Minime. Virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit. *Porta hac erit clausa*, inquit Ezechiel, *& vir non transibit per eam*. Quid est illa porta Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quod Joseph non cognoscet eam. Ita discurrit Sanctus Augustinus serm. de Nat. Dom.

Con-

Contrarium autem afferere impium & abfurdum eft.

Primo, quia derogat perfectioni Chrifti, nam ficut fecundum naturam divinam, unicus eft Patris Filius, ita fecundum humanitatem decuit ut effet Unigenitus Matris.

Secundo, quia facit injuriam Spiritui Sancto; non enim decebat, quod uterus ille Virginalis, qui fuerat Spiritus Sancti facrarium, in quo carnem Chrifti formavit, de cætero violaretur per commixtionem virilem.

Tertio, quia derogat dignitati & fanctitati Matris Dei, quæ ingratiffima videretur, fi tanto Filio non effet contenta, & fi Virginitatem, quæ miraculofe confervata fuerat, fponte perdere voluiffet per carnis concubitum.

Quarto, quia ipfe Jofeph temeritatis notam incurriffet, fi eam, quam revelante Angelo de Spiritu Sancto Deum concepiffe cognoverat, attentaffet polluere.

Imo quidam Patres putant eum ideo cogitaffe ab ea difcedere ex reverentia, non autem ex dubio de illius virtute; ergo multo magis debuit difcedere poft divinum partum.

Simpliciter igitur afferendum eft, quod ficut Mater Dei Virgo permanfit ante partum, Virgo in partu, & fic poft partum, conformiter Sacræ Scripturæ: *Porta hæc claufa erit, & aperietur, & vir non tranfibit per eam; quoniam Dominus Deus Ifrael ingreffus eft per eam*, Ezech. 4.

Q. *Qui funt Evangelii textus, ex quibus hæretici deducunt Mariam poft partum non remanfiffe Virginem, & quomodo intelligendi?*

R. Sequentes ab Helvidio, & aliis adducuntur.

Antequam convenirent, inventa eft &c.

Non cognofcebat eam donec peperit Filium fuum primogenitum.

Ecce Mater tua & fratres tui foris quærentes Te, Matth. 12. Ex quibus inferebant, Jofephum carnaliter cognoviffe Mariam poft Chriftum natum. Eo vel magis quod Chriftus fratres habuerit; nullus enim poteft effe alterius frater, nifi cum illo habeat eumdem patrem, vel eamdem matrem.

Refpondemus ad *primum* cum Hieronymo, non inde fequi, quod poftea convenerint, hoc eft opus conjugii exercuerint, fed folum Scripturam quod factum non fuit oftendere.

Ad *fecundum*, male infertur poftea cognoviffe. Particula enim *donec* non neceffario exprimit rem aliquam, de qua agitur poft hæc accidiffe, aut poftea factam defiiffe: fed tantummodo nihil tale ad id ufque ufuveniffe. An cum fcriptum legitur Chriftum fefurum ad dexteram Patris, *donec* Pater fub pedibus illius hoftes ejus ftraverit, reputemus federe defiturum, poftquam hoftes ipfe fubmiferit.

Ifaiæ 46, habetur: *Ego fum*, & donec *fenefcatis, ego fum*. Numquid propterea poft quam fenuerunt, quibus *donec*, dictum erat, Deus effe defivit?

Evangelifta hanc reftrictionem pofuit, *donec peperit*, ut oftenderet quod prius factum non erat.

Ad id quod additur: *Filium fuum primogenitum*, idcirco dictum eft, quid ante illum non fuerit alius, *primogenitus* enim dicitur ille eo ipfo momento quo nafcitur ante illum alium, quamvis nec poftea ullus nafcatur. Et hoc patet ex ipfo textu: *Peperit Filium fuum primogenitum*. Nam tunc Maria nullum alium Filium habebat præter Chriftum, igitur non erat primo Unigenitus *refpectu fecundi & tertii*, actu exiftentium, neque refpectu futurorum, quia nulla ab ipfis poteft defumi actualis denominatio.

Remanet igitur Evangeliftam non locutum fuiffe pofitive, ita ut voluerit poft Chriftum fore alios Filios, refpectu quorum dictus fuit *primogenitus*; fed

sed negative, id est, quia ante illum non fuit alius Filius.

Tandem si aliqui *fratres Christi* vocantur, non ideo vocantur fratres Christi, quia ex eadem Matre, aut Patre nati sint cum illo, sed quia cognatione, affinitate, aut aliquo specialis amoris vinculo ipsi conjuncti erant.

Multipliciter enim in Scriptura aliqui dicuntur *fratres*. 1. *Natura*, ut Jacob & Esau, ex iisdem parentibus geniti, 2. *Genere*, ut omnes Israelitæ, 3. *cognatione*, ut affines, consobrini &c. 4. *Affectu*, sic amici dicuntur fratres, & hujusce rei exemplum habemus in Davide & Jonatha: *doleo super te, frater mi Jonatha*. 5. *Professione*, sic Religiosi vocantur *fratres* &c.

Illi igitur homines qui Christi fratres, & sorores vocabantur, non erant ex Maria & Josepho geniti, sed erant propinqui, consanguinei, affines, consobrini, vel aliqua alia ratione conjuncti.

Q. *Suscepitne Beata Virgo Sacramenta novæ legis?*

R. Cum Barrada, Tom. 1. Lib. X. c. 6. Suscepit in primis *Baptismum*, tum ad gratiam augendam, tum ad characterem consequendum; præceptumque observandum. Suscepit etiam *Eucharistiam*, & *Confirmationem*, Christus enim in die Pentecostes Spiritum Sanctum misit, & aspectabili illo signo Confirmationis Sacramentum, ejusque effectum Virgini tribuit, & Apostolis.

Ordinis Sacramentum Virginis sexui aptum non fuisse liquet.

Matrimonium Sacramenti ratione caruit, quoniam initum est cum Josepho antequam in *Sacramentum* novæ legis institueretur.

At Pœnitentiæ Sacramentum, ac purificatio a tanta puritate longe abfuit: pœnitentiæ materiam qui non suppeditat, recipere Sacramentum nequit.

Q. *Quis Baptismi Sacramentum Virgini Mariæ administravit?*

R. Probabile est fuisse Dominum nostrum Jesum-Christum. Certum siquidem est quod ipse quosdam baptizarit, cum Joannis cap. 3. habeatur: *Post hæc venit Jesus, & Discipuli ejus in Judæam terram, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat*. Ex quibus verbis colligitur Christum propriis manibus Baptismum ministrasse: quantumvis dici potest baptizasse Discipulorum manibus.

Nec refert quod capite quarto ejusdem Evangelii dicatur: *Audierunt Pharisæi, quod Jesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Joannes, quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*, quia potuit Jesus in uno tempore baptizare per se, & in alio per Apostolos.

Dato igitur quod Christus baptizarit propriis manibus, quod Scriptura satis indicat, & Sanctorum Patrum consensus confirmat.

Quæritur qui sunt illi fortunati qui Verbi Incarnati manibus aquam Baptismi recipere meruerunt. Primum locum obtinuisse dicemus intemeratam Virginem Dei Genitricem Mariam. Hujusce rei testem habemus Euthimium, qui hoc habuit ab iis qui circa Apostolorum tempora vixerunt, ait enim: *scribunt quidam Apostolorum temporibus proximi, quod Christus Petrum, & Virginem Matrem baptizaverit: Petrus vero reliquos Apostolos*, Euthimius in cap. 3. Joan.

Subjungit Doctissimus Suarez: *valde pium & probabile est*, quod ait Euthimius, *Christum ante Apostolos baptizasse Virginem manibus suis*.

Et certe congruebat, ut excellentissima inter omnes creaturas qualis est Virgo Maria, a digniori ministro Baptismi Sacramentum reciperet.

Cernimus enim quod in Baptismate filiorum Regum, & Principum Ministri dignitate majori fulgentes, ut sunt Cardinales, & Episcopi eliguntur: Et quis alius minister a Christo baptizare poterat Sanctissimam Virginem Æterni

Pa-

Patris Filiam, Spiritus Sancti Sponsam, & Cœlorum Reginam? ipsam igitur ante omnes alios a proprio Filio tinctam fuisse sacra baptismatis unda, non immerito proferimus.

Q. *Nonne lavacrum illud Virgini frustraneum erat; cum originalis culpæ maculam non contraxisset?*

R. Verum est quod absolute tali non indigeret Sacramento, cum originali peccato infecta nunquam extitisset. Illud tamen recipere potuit, ut dictum est, ad augmentum gratiæ, ad characterem consequendum, & ut præcepto satisfaceret.

Congruum erat & decens, ut ad exemplum nostrum baptizata foret, ut opera supererogationis exerceret: sicut licet purificatione non indiguerit, cum non esset passa parturientium muliebria, purificationem tamen secundum legem subiit, sicut aliæ puerperæ.

Deinde cum Redemptoris discipuli omnes baptizari deberent, noluit Maria, quamquam ab omni peccato immunis, sese ab hoc Sacramento eximere, non solum ut toti Fidelium posteritati in exemplum esset, verum etiam ne singularitatis notam incurreret, quæ semper vanitatem sapit.

Q. *Quæ sunt Epistolæ quas Beata Virgo ad nonnullos scripsisse perhibetur?*

R. Quamvis multi viri docti refragentur, velintque illas supposititias esse, Beatam Virginem æque ac Filium ejus nihil scripsisse prætendentes. Harum tamen quæ circumferuntur tenorem, ut piæ curiositati Lectorum satisfaciamus, hic exprimere operæ prætium duximus.

Cum Sanctus Ignatius Patriarca Antiochenus & Martir, Joannis Evangelistæ discipulus, ad Mariam Dei Genitricem scripsisset, postulans ab ea corroborari in fide Divini sui Filii, breve responsum accepit.

En exemplar Epistolæ Sancti Ignatii.

Christiferæ Mariæ suus Ignatius.

Me Neophitum, Joannisque tui discipulum confortare, & consolare debueras: De Jesu enim tuo percepi innumera dictu, & stupefactus sum ex auditu. A Te autem quæ semper ei fuisti familiaris & conjuncta, secretorum ejus conscia, desidero animo fieri certior de auditis. Scripsi tibi etiam alias, & rogavi. Valeas, & Neophiti qui mecum sunt, ex Te, & per Te, & in Te conserventur. Amen.

Cui Beata Virgo sequentem dedit responsivam Epistolam.

IGNATIO DILECTO DISCIPULO

Humilis Ancilla Christi Jesu.

De Jesu quæ a Joanne audisti, & didicisti vera sunt, illis credas, illis inhæres, & Christianitatis votum firmiter teneas, & mores & vitam voto conformes. Veniam autem una cum Joanne Te, & qui tecum sunt videre. Ita in Fide viriliter age, nec te commoveat persecutionis austeritas, sed valeat & exultet Spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.

Præter hanc Epistolam a Beata Virgine Ignatio datam, præstantior alia proditur ab eadem *Virgine Messanensibus* transmissa, cujus mittendæ sequentem fuisse occasionem narrant Auctores, qui eam genuinam asserunt.

„ Cum Beatus Paulus Apostolus esset in Calabria Regii ferventer evangelizans, fuit a populo Messanen simirabili devotione vocatus, unde venit & prædicavit primo die de Christi Salvatoris Passione. Secunda vero die de Beatæ Mariæ Virginitate, & Incarnati Verbi Mysterio.

„ Quibus auditis, ipsa universitas Messanæ, ubi hæc Deifera Virgo resideret, instanter interrogavit: cui

„ Beatus Paulus respondens dixit : Je-
„ rosolimis morari , & adhuc vivere .
Repleti itaque gaudio magno Messanenses instituerunt legatos, qui una cum Apostolo Jerosolimam tandem navigio se contulerunt, ubi facta prius oratione, Beatam Virginem in dominam susceperunt , quæ sanctissimis manibus propriis , Hebraicis Litteris rescripsit , in quodam chirographo , hisce sequentibus terminis.

M A R I A

VIRGO JOACHIM FILIA,

Humillima Dei Ancilla , Christi-Jesu Crucifixi Mater, ex Tribu Juda, stirpe David.

Messanensibus omnibus salutem, & Dei Patris omnipotentis benedictionem.

V*Os omnes fide magna legatos ac nuncios per publicum documentum ad nos misisse constat , Filium nostrum Dei genitum, Deum & hominem esse fatemini, & in cœlum post suam Resurrectionem ascendisse, Pauli Apostoli electi prædicatione mediante viam veritatis agnoscentes, ob quod vos & ipsam civitatem benedicimus, cujus perpetuam protectricem nos esse volumus. Anno Filii nostri quadragesimo secundo, indictione prima, tertio nonas Junii, Lunæ vigesima septima feria quinta* . Ex Hierosolimis.

Maria Virgo quæ supra, hoc chirographum approbavit.

Hanc Epistolam veram germanamque autumant gravissimi auctores inter quos *Melchior Inconfer*, qui librum composuit particularem, in quo objectionibus contra præfatam Epistolam adductis respondet.

Scriptam ferunt communiter vernaculo Hebræorum sermone, deinde a Paulo Græce, ac tandem a Constantino Lascari Latine redditam.

Florentini etiam gloriantur se ab eadem Sanctissima Virgine sequentem recepisse Epistolam.

Florentia Deo , & Domino Jesu-Christo Filio meo , & mihi dilecta , Tene Fidem, insta orationibus , roborare patientia ; his enim sempiternam salutem apud Deum , & apud homines gloriam consequeris.

Laudatur hæc Epistola a Canisio , Francisco Vicario , Joanne Cartagena, Menochio , & aliis . Moderni nihili illam faciunt , fictitiam existimantes.

Q. *Quis tenor litterarum Abagari Edessæ Regis ad Christum , & Christi ad Abagarum?*

R. Hæ litteræ a pluribus scriptoribus referuntur. Nos illas hic dabimus prout extant in Dictionario Historico Sacræ Scripturæ Patris Augustini Calmeti, ubi sequentia leguntur.

Abagarus Edessæ Rex , molesto & insanabili morbo laborans , sciensque Jesum prodigiose in Judæa ægrotos curare , nuntium illi cum hac epistola legavit.

Abagarus Princeps Edessæ Jesu servatori bono, qui in finibus Hierosolymorum apparuit. Salutem.

„ Nunciatum est mihi de Te, & de
„ curationibus quas absque herbis , &
„ medicamentis operaris . Fama est enim
„ cæcis visum, claudis gressum abs Te
„ restitui , leprosos mundari, Dæmo-
„ nes , & immundos Spiritus expelli,
„ diuturnis morbis oppressos sanari ,
„ mortuos denique suscitari.
„ Quæ cum omnia de Te audirem,
„ sic in animum meum induxi aut Te
„ revera Deum esse , qui e cœlo dela-
„ psus hæc efficias , aut certe Dei Fi-
„ lium.
„ Proinde ad Te scripsi , orans , ut

„ ne-

„ nos invisere , morbumque nostrum
„ sanare non graveris.

„ Audio enim judæos tibi obtrecta-
„ re , & insidias in caput tuum struc-
„ re . Est mihi civitas , parva quidem
„ illa, sed ornata , quæ nostrum utri-
„ que sufficiat.

Cui Jesus respondit.

„ Beatus es , *Abagare*, qui in me cre-
„ dideris , quem non vidisti . De me
„ enim scriptum est, eos qui me vide-
„ rint , non credituros in me , ut ii
„ qui non viderint , credentes vitam
„ accipiant.

„ Quod vero ad me scribis, ut ad te
„ proficiscar, hic necesse habeo omnia
„ implere , propter quæ sum missus ,
„ iisque demum absolutis ad illum ,
„ qui me misit, reverti. Cęterum quum
„ primum ad eum me recepero, ex di-
„ scipulis meis aliquem ad te mittam,
„ qui & morbum tuum curet , & vi-
„ tam tibi, tuisque omnibus præstet.

Q. *Quid censendum de istis Episto-lis?*

R. Dicam ex eodem Calmeto. Hasce Epistolas, *inquit*, ex Edessæ monumentis , & annalibus exscripsisse profitetur Eusebius, Lib. 1. Hist. Eccl. cap. 13. additque Sanctum Thomam post resurrectionem Thaddæum misisse ex septuaginta discipulis, *alium ab Apostolo Sancto Thaddeo* , ut ibi Christum annunciaret, Regemque infirmitate liberaret. Thaddæus illuc profectus Regem simul & populum convertit; plurima inter ipsos prodigia patravit , & Regem sanitati restituit.

Sunt qui censeant Christum Dominum præter illam Epistolam etiam sui imaginem in sudario impressam Abagaro misisse. Plerique tamen Critici universam hanc narrationem reprobant , duasque Epistolas superius relatas veluti nulla fultas auctoritate rejiciunt.

Vide Alexandrum, Duppin, Tillemontium &c.

Q. *Quid scripsit Christus in terra, dum ei oblata fuit mulier adultera?*

R. Cum Moyses adulterii reos lapidibus obruendos jussisset , Pharisæi inventam in adulterio fœminam ad Christum duxerunt , & quid de illa agendum, petiere. Jesus cognita eorum malitia *inclinatus digito in terra scribebat*: unde surgens dixit; *Qui ex vobis sine peccato est* , *primum in eam lapidem ja iat*.

Rursumque inclinatus scribere perrexit. Hoc audito illius accusatores unus post alium, & omnium primi seniores, discessere.

Tunc Jesus surgens , & se cum fœmina solum videns , quæsivit , an ullus esset qui eam condemnaret; cui cum respondisset se a nemine damnatam esse, subdidit: *Nec ego te damnabo*, *abi*, *nec imposterum pec es*.

Quæritur igitur quid scripserit?

Quidam censent nihil scripsisse cum pavimentum ob duritiem esset incapax impressionis , sed solum dissimulasse , quasi accusantes non audiret, atque aliud ageret. Quibus respondet Dionysius Cartusianus, *quod materia cessit Christi digito ; vel quod aliquid humoris & pulveris superjacuit pavimento , in quibus scripsit* .

Revera autem Christum aliquam exarasse sententiam communis est opinio.

Audiatur Sebastianus Barradius , lib. 1. capit. 13. Tom. 3. *Arbitror Christum cum primo se inclinavit verba illa scripsisse* , quæ postea protulit : *Qui sine peccato est &c.*

Puto etiam Pharisæos non intellexisse , vel non advertisse . Cum vero illi urgerent , reor secunda scriptione *aliquas notas digito affixisse* , *quæ accusatoribus scelera commissa in memoriam revocarent*.

Ejusdem opinionis extitit Sanctus Hiero-

ronymus, lib. 2. contra Pelag. cap. 6. *Digito Jesus scribebat in terra, eorum videlicet qui accusabant peccata mortalia.*

Glossa interlinearis habet: *Scribebat in terra peccata eorum.*

Sanctus Bonaventura libro de vita Christi: *erat illa scriptura tantæ virtutis, quod quilibet eorum cognoscebat in ea peccata sua.*

Unde non mirum si secesserint unus post alium metuentes ne ulterius eorum probra a Christo aperirentur, convincerenturque magis rei, quam mulier, quam ipsi accusabant: quippe non semel experti erant imas animi cogitationes latebrasque ab illo pervadi

Q. *Aliudne scripsit Salvator Mundi præter id quod narratum est?*

R. Non colligitur ex Evangelio Dominum nostrum quidquam aliud scripsisse, quam ea quæ digito litteris impressit in terra.

Non defuerunt tamen hæretici, & impostores qui Redemptorem quosdam scripsisse libros dixerunt, imo eo dementiæ, & temeritatis pervenere aliqui, juxta Augustinum, ut ausi fuerint asseverare se libros de arte magica legisse a Christo compositos; virtute cujus artis tot & tanta prodigia operabatur; Hos autem libros postea Petro, & Paulo traditos esse finxerunt.

Verum hoc horrendum commentum validissimis rationibus ab eodem Patre confutatum, & penitus eversum est, qui sic conclusit: *stulte credis Christum composuisse libros, qui nihil unquam scripserat; sed tantum aliis de se scribenda reliquit, ita exigente ipsius doctrinæ præstantissima sublimitate* &c.

Q. *Ubinam vitam duxit Beata Virgo post mortem Filii?*

R. Nihil super hoc certi habetur, nec inter se conveniunt Sancti Patres.

Quidam volunt *Hierosolymis* reliquum vitæ suæ exegisse. Alii asserunt ipsam cum Joanne Evangelista, cui Christus in Cruce pendens illam in matrem dederat, ex Judæa profectam *Ephesum*, ibidemque vitam in ultima senectute absolvisse.

Porro Ephesi tumulatam fuisse Patres Concilii Ephesini scribunt in Epistola Synodica.

Ea tamen traditio non usque adeo obtinebat, cum eodem sæculo quinto, quo Epistola illa data est, nonnulli Auctores scripserint, Virginem obiisse Hierosolymis, ibidemque sepulturæ mandatam in loco qui dicitur *Gethsemani*, ubi nostra adhuc ætate peregrinis ostenditur.

Fieri autem potuit ut Maria Epheso se transtulerit Hierosolymam, loca sacra a sanguine Filii sui prætioso consecrata visendi causa, vel ob alia pia motiva, & cum tempus moriendi advenisset, ibi ad Cœlum migraverit.

Q. *Estne certum Mariam vere mortuam esse per separationem animæ a corpore?*

R. Dubitarunt aliqui, eo fundamento quod *per peccatum mors intravit in mundum.* Cum autem Beata Virgo nullatenus unquam peccarit, nec originali culpa infecta fuerit, ipsis videbatur eam pœnæ mortis non debere esse subjectam. *Quærant vestigia scripturarum*, inquit Sanctus Epiphanius, de hoc etiam ipse dubius hærens, *non invenient utique mortem Mariæ; Neque enim an mortua sit, aut non mortua, neque an sepulta sit, aut non sepulta, Ego non audeo dicere, sed silentium mihi impono. Nec dico quod immortalis mansit, sed neque affirmo, quod mortua sit*, Lib. Hæref. 78.

Dicendum tamen est Mariam vere mortuam esse & sepultam. Ita communiter creditur in Ecclesia. In qua legimus Homilias, & libros de *Dormitione*, de *Transitu*, & Assumptione ejus.

Quod autem mori debuerit, has rationes affert Bernardinus de Bustis serm. 1.

de Assumpt. 1. quia dici potuisset eam non fuisse de humano genere, aut saltem de stirpe Adæ. 2. *Propter Filii sui conformationem*, ne diceretur melioris conditionis quam Filius, qui vere Deus, & homo est. 3. *Propter meriti augmentum*; decuit enim gratiam plenam non solum mereri bonis operibus, sed etiam passionibus: *patientia enim opus perfectum habet*.

Q. *Quo ætatis anno obiit Beata Virgo, & quo genere mortis?*

R. Senex obiisse fertur communiter: certam tamen ætatem ejus definire nemo potest: res siquidem incerta est. Poterat Christus in cœlum rediens matrem sociam assumere: at relinquere eam voluit ad tempus in hac lacrimarum valle, ut Apostoli materno solatio, & eruditione fruerentur: qui quidem licet edocti essent a Spiritu Sancto, ab illa tamen potuerunt edoceri, quæ mundo justitiæ Solem edidit, & fontem sapientiæ ex prato virgineo intemerato nobis alvo produxit.

Quantum ad genus mortis, quidam putarunt illam fuisse gladio interemptam juxta Prophetiam Simeonis: *tuam ipsius animam gladius pertransibit*, sed non ita se res habet. *Ensis enim a fabro excusus*, inquit Timotheus Præsbiter Hierosolymitanus, *corpus dividit, animam non dissecat*.

Textus Simeonis intelligendus est de ærumnis, calumniis, maledictis, verberibus, suppliciis, quæ Jesus pertulit, & quæ cernere non potuit Maria, nisi acerbissimo doloris sensu cruciaretur. Illud vero sævissimum illi fuit, cum illum in Cruce suspensum atque animam agentem vidit. Tunc certe illius animus gladio transverberatus est.

Melius sentiunt qui eam putant mortuam esse ex intensissimo & vehementissimo amore in Deum, & in Christum, juxta illud Cant. *Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, ut nuncietis ei, quia amore langueo.*

Non enim potuit mori nisi ex morbo, vel ex senio, aut ex aliqua vehementi passione: non primum, quia non constat de ulla infirmitate corporali, non secundum, quia non erat admodum senex, sed complexionis & temperamenti vegeti & optimi. Restat igitur ut mortua sit ex vehementia passionis, quæ non potuit esse alia, quam amoris vehementissimi in Deum, quo a primo instanti vitæ ejus cor ejus Sanctissimum adeo flagraverat.

Q. *Quæ sunt circumstantiæ mortis ejus, & Assumptionis in Cœlum?*

R. S. Joannes Damascenus *serm. 2. de Dormitione* Deiparæ sub finem refert, Apostolos in varias orbis regiones Evangelicæ prædicationis gratia dispersos, illico omnes Hierosolymam translatos fuisse, ut obituræ Virgini supremum officium persolverent.

Defunctum vero corpus in valle *Gethsemani* sepulturæ mandasse, ubi per triduum Spirituum Celestium concentus auditus est. Hisce diebus evolutis, musicæ voces cessarunt; Et Sanctus Thomas, qui morienti Virgini non adfuerat, cum Hierosolymam perveniens, defunctæ corpus videndi desiderio teneretur, sepulchrum reclusum est.

Verum præter expectationem Virginis exuviæ non apparuerunt: quo indicio sublatas illas in Cœlum, atque gloriosæ Virginis animæ redditas Apostoli intellexerunt.

Addit præfatus Joannes Damascenus: *Et si quæ in Sanctæ Dei Genitricis Mariæ morte contigerunt sacræ divinitus inspiratæ scripturæ monumentis minime prodita sint; tamen ex prisca & vetustissima traditione hoc accepimus &c.*

Assumptam fuisse Virginem in Celum una cum corpore aperte declarant innumeri Sancti Patres, quos recensere nimis longum, si non & tædiosum esset.

Melior & solidior probatio petitur *ex traditione, & Fide Ecclesiæ*, quæ

 in me-

in memoriam talis Assumptionis solemnissimum sanctificat diem; nam id facere non solet, nisi ex consideratione, & pia fide alicujus sacri mysterii, quod tunc commemorat. Unde in Officio solemniter canitur: *Exaltata est Sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cœlestia Regna*. Item, *Assumpta est Maria in Cœlum, gaudent Angeli* &c. Certe enim hoc non diceretur de solius animæ Assumptione, quæ non esset illi singulare privilegium, nisi assumpta esset cum corpore Virgineo.

Qui plura vult legat P. Frassen, & nostrum Dupasquier &c.

Q. *Quid censendum de Virginis imaginibus, quas pictis coloribus, a Sancto Luca expressas fuisse vulgo traditur?*

R. Quod ipse Pictoriæ arti, sicut Medicinæ vacaverit, licet non habeatur in Evangelio, antiqua tamen traditione tenetur, *Pictorem* extitisse & *Medicum*, luculente satis affirmat Nicephorus, decimi quarti sæculi scriptor, Hist. Eccles. lib. 2. cap. 43.

Verum multo ante ipsum idem testatus est *sæculo sexto* Theodorus Lector Ecclesiæ Constantinopolitanæ, referens *missam fuisse Hierosolymis ab Eudoxia ad Pulcheriam Imperatricem* Imaginem Beatæ Virginis *a Sancto Luca pictam*, Lib. 1. pag. 551. edit. Vales.

Pie igitur, & non levi fundamento credi potest, Sanctissimæ Virginis Mariæ effigies quasdam a Sancto Luca depictas fuisse, & ab iisdem exemplaribus depromptas fuisse nonnullas, quæ pluribus in locis videndæ exhibentur, ut sunt venerandæ illæ a *Sixto IV.* Pontifice Maximo, *sacro nostro conventui Minorum Conventualium*, seu *Basilicæ Assisiensi donatæ*, quæ publicæ venerationi *singulis annis in Dominica quinta post Pascha*, una cum aliis insignioribus Reliquiis exponuntur.

Sane virum hunc Evangelistam Sanctum Lucam egregiam hanc Virginem perfecte novisse, & arcta satis consuetudine conjunctum cum ea fuisse, ex eo constat, quod plura de ea scriptis mandaverit, a nullo sane commodius, quam ab ipsa Virgine accepta.

Q. *Quænam fuit Beatæ Mariæ Virginis occupatio corporalis?*

R. Licet ex stirpe Regia ortum haberet, bonis tamen temporalibus locupletata non erat: Unde sicut maritus ejus familiæ indigentiis providebat ex lucro fabrilis artis, quam exercebat, ita & ipsam proprio labore suam, & Filii vitam sustentasse non incongrue asseritur.

Quam vero præcise artem exerceret, non conveniunt Sancti Patres. Epiphanius dicit fuisse artem *indusiariam*. Hieronymus, *lanariam*, vel *textoriam*, vestes nimirum ex lana, lino, serico, & bisso texendi. Et hæc opinio probabilior est, cum traditione habeamus Tunicam Christi inconsutilem propriis manibus a Beata Virgine Matre fuisse elaboratam opere *Textili*. Unde textoriam artem exercuisse non immerito dicendum est.

Q. *Qualis fuit corporis ipsius constitutio?*

R. Tanta fuit Deiparæ elegantia & corporea venustas, ut aliquid divinitatis videretur spirare: Unde *pulcherrima mulierum* jure merito dicitur. Audiatur quid de ipsa protulit Salomon in Canticis: *Nigra sum, sed formosa*. Et quidem jure merito. Cum enim anima ejus perfectissima esset, corpus etiam exigebat perfectissimum.

Temperamento insuper optimo, sanitateque gaudebat integra: nulla labes tirannicæ rebellionis eam colaphizabat, nullas in se commotiones illecebrosæ carnis sentiebat, imo solo ejus intuitu homines ad castitatem excitabat. Vox ejus pariter divinum aliquod resonabat, & audientes mira suavitate demulcebat.

Reliquæ dotes Corporales Virginis, quæ-

quæ ejus Corpus mirabili ordine decorabant, egregie describuntur a Salomone in Cantico, & præcipue capite quarto: *quam pulchra es amica mea* &c.

Q. *Quæ erat Virginis forma, & corporis habitus?*

R. Nicephorus Virginis formam, & corporis habitum describens ait, eam supra mediocrem staturam erectam, ore ad tritici colorem accedente, flava coma, oculis vividis, itemque flavescentibus instar olivæ, quos nigro ambiebant semicirculo supercilia, naso obducto, rubicundis labiis, manibus, ac digitis oblongis, toto denique corporis habitu ad ingenuam gravitatem compositam, cui laneæ vestes, simplices illæ, nulloque colore fucatæ, modestiæ laudem cumulabant.

Q. *Quænam fuerunt illius animæ dotes?*

R. Respondeo cum pio quodam Mariæ servo, quod fuit in illa ingenium subtile, sagax, nobile, & perspicax: judicium solidum & maturum; memoria expedita, & tenax; contemplatio continua sine fatigatione; indefectibilis sine errore; prudentissima absque inconsideratione: fuit in ea voluntas firma sine levitate; recta sine ulla inordinatione; ad omnem virtutem propensa sine rebellione; libera sine peccato: fuit denique appetitus rationi obsequens, nunquam resistens, nunquam impediens in Deum mentis elevationem, & ardens cordis in Deum amor, &c.

Q. *Ubinam Jesus-Christus natus est?*

R. Licet conceptus fuerit in Nazareth, ibidemque parentes domicilium fixissent, non tamen eo in loco, sed in Bethleem natus est. Exierat siquidem edictum a Cæsare Augusto ut describeretur *universus orbis*, nempe *Imperio Romano subjectus*, ut constaret numerus hominum ad vectigal ab unoquoque exigendum, quod in ærarium tot bellis exhaustum inferretur. Singuli enim capitis sui censum dabant.

Cum autem hæc descriptio fieri deberet in loco unde singuli genus trahebant, profecti sunt Joseph, & Maria ex Nazareth in Bethleem civitatem David, itinere trium dierum, hoc est triginta leucis a Nazareth distantem, ex qua originem ducebat Joseph, & in qua probabiliter nullos amplius sanguine propinquos habebat; secus enim in stabulum divertere coactus minime fuisset. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, & cum non reperissent locum in hospitiis, ob multitudinem adventantium & confluentium propter eamdem causam, in proximum stabulum declinarunt, ubi circa mediam noctem Beata Maria Virgo infantem divinum, gaudium Angelorum & salutem hominum, castis effudit visceribus.

Hoc in loco primam lucem haurire voluit Dei Filius. Mira divinæ providentiæ consilia veneremur, ita rerum vices distribuentis, ut vaticinia impleantur: Prophetæ enim longe ante prædixerant Christum Bathleemi nasciturum.

Q. *Quomodo cognovit Maria se esse partui proximam?*

R. Revelatione divina, nullatenus ex præviis doloribus ut aliæ mulieres: nec ventris onus illi unquam incommodum fuit, quemadmodum cæteris mulieribus usuvenit: alias tantum iter a Nazareth Bethleem usque conficere nequivisset, maxime pedester; illam enim usam esse jumento ad peragendum iter nuspiam legimus: quamobrem pedibus suis iter habuisse, quemadmodum Josephus, censetur.

Q. *Quomodo Filium suum Jesum peperit?*

R. Sicut manens Virgo & sine concupiscentia conceperat: ita manens Virgo, clauso scilicet utero, peperit sine dolore, sine lassitudine, sine secundinarum fluxu, aliisque sordibus partus, sine obstetrice: imo cum indicibili exultatione, ut ipsa revelavit Sanctæ Bir-

gitræ. Peperi, ait, flexis genibus, orando ſola in ſtabulo: Peperi enim eum tanta lætitia animæ, quod non ſenſi aliquod gravamen, quando ipſe exibat de corpore meo, nec dolorem aliquem: ſed ſtatim involvi eum panniculis mundis, quos diu ante præparaveram. Quæ quando vidit Joſeph, miratus eſt cum magno gaudio & lætitia, ex eo quod ſine adjutorio pepereram.

Q. *Quid fecit Maria dum vidit Chriſtum in lucem editum?*

R. Ribadeneira in Feſto Nativitatis ait, traditionem eſſe Beatam Virginem admirantem Deum humanatum, ac ad carnem infantilem humiliatum, coram ſe proſtraviſſe, atque hiſce verbis cum profundiſſima reverentia ac cordis jubilo eum ſalutaſſe: *Exoptatus ades Deus meus, Dominus meus, & Filius meus, nihil prorſus dubitantem* ſe ab eo, licet infante intelligi; ſicque eum adoraſſe, oſculando pedes illi quaſi Deo, manus quaſi Domino, & faciem quaſi filio: mox arctiſſime eum pectori admoviſſe, ulniſque ſtrinxiſſe.

Q. *Quo die natus eſt Chriſtus?*

R. Cum Beata Virgo eum pepererit naturaliter, peracta ſcilicet naturali conceptionis, temporiſque ad pariendum uſitati periodo, ſequitur quod cum Chriſtus conceptus ſit die 25. Martii, natus ſit die 25. Decembris: inter utrumque enim intercedunt novem menſes.

Natus eſt igitur anno mundi 4000. periodi Julianæ 4709. ante Æram vulgarem quarto, die Dominica ut diximus 25. Decembris, in hieme, cum incipiunt creſcere dies, circa medium noctis ut illuminaret ſedentes in tenebris, & in umbra mortis &c.

Q. *Cur Chriſtus Homo fieri voluit?*

R. Multæ aſſignantur cauſæ, inter quas ſequentes adducimus.

Prima. Ut nos in carne patiens & moriens a peccatis & gehenna redimeret. Rurſum ut nos doceret exemplo magis quam verbo viam ſalutis, daretque perfectum ſanctitatis omniumque virtutum exemplar.

2. Chriſtus carnis noſtræ parvitatem, vilitatem, ærumnas, famem, ſitim, frigus, æſtum, verbera, clavos, & crucem ſuſcepit, non propter ſe, ſed propter nos, ut hoc efficaciſſimo amoris ſui ſtimulo corda hominum algida pungeret, eoſque ad ſe redamandum ſtimularet, imo cogeret. Semper enim quaſi clamat: *Ego me totum tibi dedi: Tu te totum modo redde mihi.*

3. Depreſſit ſe in terram, ut nos eveheret in cœlum: ideo, ait Anſelmus, *Deus factus eſt homo, ut homo fieret Deus.* Veſtivit ſe carne noſtra, ut eum oculis cernere, auribus loquentem audire, & eo perfrui poſſemus, &c.

Q. *Quale erat ſtabulum, in quo naſcens Chriſtus exceptus eſt?*

R. Spelunca erat in petra excisa in extrema oppidi parte, meridiem verſus, extra Mœnia, ut aſſerunt S. Juſtinus & Euſebius, qui id optime noſſe poterant, cum incolæ Regionis eſſent. Audi Hieronymum hujus rei oculatum teſtem: *Ecce in hoc parvo terræ foramine cœlorum Conditor natus eſt, hic involutus pannis, hic viſus a Paſtoribus, hic adoratus a Magis*, &c.

Dicitur autem Lucæ 2. B. Virginem reclinaſſe in præſepio Puerum Jeſum, quia in ſpelunca illa erat præſepe, etiam exciſum in petra. Sed cum ligneum præſepe oſtendatur Romæ, dicaturque illud eſſe quod pro incunabulis Chriſto fuit; credendum eſt quod intra ſaxeum præſepe lignea erat arcula, quæ deinde Romam delata eſt, & hodiedum in Baſilica Sanctæ Mariæ Majoris aſſeruatur & colitur.

Q. *Unde proveniebant in ſtabulo derelicto & aperto duo illa animalia, inter quæ Dominus infans repoſitus fuit?*

R. Non conſtat ex Evangelio Bovem, & Aſinum ibi aſtitiſſe, licet ordinarie præſepe ſic repræſentetur.

Or-

Occasionem istius opinionis præbuit Isaias cap. 1. *Cognovit Bos possessorem suum, & Asinus Præsepe Domini sui*. Et Propheta Abacuc: *In medio duorum animalium cognosceris Domine*, cap. 3.

Primus Textus litteraliter intellectus est, quod bos brutum, & stolidum animal agnoscere solet Dominum suum, eique se gratum & obsequentem exhibere, arando, currum trahendo &c. Et quod asinus pareat ad nutum Domini sui.

Secundus Textus in nostra vulgari Biblia Latina non habet: *in medio duorum animalium cognosceris Domine*: Hæc verba inserta sunt in translatione septuaginta Interpretum: In vulgata autem nostra Latina habetur: *in medio annorum vivifica illud*, Hab. cap. 3. v. 2. & v. 3. *in medio annorum notum facies*, non vero in medio duorum animalium.

Tamen nonnulli Sancti Patres exponunt textum Isaiæ de Christo recens nato, & in Præsepio inter *bovem*, & *asinum* reclinato.

Q. Cujus erant illa animalia?

R. Non est certum quod ibi fuerint, ut jam diximus. Qui tamen istius sunt opinionis dicunt, quod Sanctus Joseph ipsa secum conduxerit: Asinum quidem ut super ipsum insideret in itinere Beata Virgo Maria; Bovem vero ut venderet, & ejus prætio, tributum, & inevitabiles expensas pro reditu solveret, sed hæc sine ullo fundamento dicta sunt. Beata Virgo pedibus suis iter confecit, ut supra diximus. Si Asinum conduxerunt, fieri potuit ut victus, & amictus onera portaret; at quod Bovem a civitate Nazareth Bethleemi vendendum adduxerint, non est credibile, quia non est verisimile. Facilius siquidem & commodius prætium ejus secum detulissent, si eum Nazarethi venundassent, cum non sine assiduo improboque labore nemo bovem ad triginta leucas conducat.

Unde ergo essent illa duo animalia quæ in stabulo reperiebantur, & ad quem pertinerent, nescitur.

Hoc certum est, quod nemo ante Scriptorem *Libri de promissionibus*, qui circa dimidium quinti sæculi floruit, luculentam ejus rei memoriam egerit.

Veterum Patrum locutiones, ut *Augustini*, *Ambrosii*, *Origenis*, *Hieronimi*, *Nazianzeni*, quorum auctoritas huc detorquetur, tropice explicandæ sunt de Judæis ad Cristiana sacra conversis, atque Ethnicis, qui Jesum-Christum Deum atque hominem, *in stabulo natum*, *& in præsepio positum agnoverunt*.

Q. *Quot fuerunt Pastores Christum adorantes?*

R. Tres fuisse Pastores, sicut tres fuerunt Magi, communis est opinio, cum in eo loco ubi Angelus eis apparuit, ædificata sit Ecclesia *Trium Pastorum*, uno aut secundo lapide, seu milliario a Bethleem dissita.

Q. *Quis erat locus ille, & qualiter vigilare poterant in agro super Gregem suum medio in hyeme?*

R. Qui Terram Sanctam descripserunt, dicunt locum illum fuisse eumdem, in quo Jacob Patriarcha pavit Greges suos, ut habetur Genesis cap. 31. v. 21. Qui inde dictus est *Turris Eder*, idest Gregis, eo quod pascuis pro Gregibus alendis abundet.

Hic ergo Angeli Christo nato cecinerunt *Gloria in excelsis Deo: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*.

Nec mirum videri debet si in decembri Pastores in agro cum Gregibus commorarentur, cum in Palæstina, testibus itinerariis, per Menses Decembrem & Januarium Greges ad viridia pascua agantur, nocte degentes sive sub dio, sive sub mapalibus ad hoc comparatis, qualia in Turre Eder ob vicina pascua erecta fuisse non est dubium; ut scilicet oves ad ea tempore congruo statim exirent.

Sic

Sic in Italia & agro Romano videmus pecudes & pecora tota quasi hyeme in campis degere, & pasci.

Q. *Cur Angelus potius Pastoribus, quam Principibus & Scribis Judaeorum apparuit?*

R. Plurimae assignantur causae.

Prima est, quod omnia hic in praesepio spirent paupertatem, & humilitatem, pastores quoque simplices, pauperes, & humiles magis placeant Deo, quam superbi divites, & increduli Scribae ac Pharisaei, qui videntes infantem pannis involutum, & positum in praesepio, dedignati fuissent ipsum adorare: dixissentque, is ne est apparatus congruus Salvatori hominum, Messiae & liberatori Israelis?

Q. *Quot Angeli astiterunt Christo nascenti?*

R. Omnes Angeli Christum Dominum in terra nascentem conitati sunt, & venerati. Hoc enim significat Apostolus dicens: *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae, dicit & adorent eum omnes Angeli Dei.* Hebrae. 1. Quare tunc stabulum fuit quasi versum in coelum Empireum, utpotè plenum Angelis, ut etiam colligitur ex hoc textu: *Facta est cum Angelo multitudo militiae Coelestis, laudantium Deum, & dicentium Gloria in altissimis Deo*, Luc. 2. v. 13.

Q. *Quare tres Missae celebrantur in die Natalis Domini?*

R. Ad repraesentandam triplicem Christi Nativitatem, nimirum Eternam a Patre, Temporalem a Matre, & Spiritualem in anima.

Fortasse dici posset, quia sicut Dei majestatem tribus modis offendimus, corde, ore, opere, ita in ejus Nativitate, cum ad nos venit miserans, ter ad illum convertimur sacrificantes, media nocte, ad expianda peccata cordis, quae in occulto latent, illucessente die, ad tollenda peccata oris, per quod patefieri incipiunt, pleno die, ad redimenda peccata operis, quae in propatulo apparent.

DE CIRCUMCISIONE.

Q. *Quo die fuit circumcisus Jesus Christus?*

R. Die octavo. Ante illud tempus non circumcidebantur infantuli ob tenerrimam aetatem & quia ante septimum diem versantur in magno mortis periculo.

Nomen *Jesus*, quod est Salvator, impositum ei fuit, juxta id quod praedixerat Angelus, antequam in utero conciperetur.

Q. *Indigebatne Christus circumcisione?*

R. Nequaquam, sive circumcisio spectetur pro ut est signum distinctivum posterorum Abrahae, sive pro ut erat remedium contra originale: non enim descendebat Christus ex Abraham per viam ordinariam; neque originali peccato coinquinatus esse poterat; Etenim ex Spiritu Sancto erat Conceptus, & natus, adeoque carens peccato primi hominis, ad quod abolendum instituta erat circumcisio.

Deinde, cum ipse esset Deus, & auctor legis, non obligabatur lege circumcisionis a se lata.

Q. *Cur ergo voluit circumcidi?*

R. Variis de causis.

1. Ut ostenderet veritatem Carnis humanae, contra *Manichaeum*, qui dixit ipsum habuisse corpus *phantasticum*.

2. Ne videretur contemnere caeremoniam a Deo institutam.

3. Ne Judaei ut incircumcisum repellerent, cumque verum esse Messiam negarent, promissione facta a Deo Messiam ex semine Abrahae oriturum.

4. Ut obedientiae nobis relinqueret

exem-

exemplum; & humilitate sua nostram Superbiam retunderet. Et ob alia motiva &c.

Q. *Quis fuit Minister in circumcisione Christi?*

R. Cum non esset Minister, nec locus specialis ad hunc actum deputatus, quidam ex Sanctis Patribus crediderunt Sanctum Josephum fuisse ministrum, & puerulum Jesum circumcidisse in stabulo, juxta S. Epiphanium dicentem, *Christus natus est in Bethleem, circumcisus in spelunca, oblatus in Jerusalem*.

Nonnulli tamen Sancti Patres, ut *Hieronymus*, *Optatus*, *Maximus*, *Bernardus* tenent Beatam Virginem fuisse officio ministri functam: quorum opinio longe probabilior est, validioribusque corroborata rationibus.

Primo. Quia jam consuetudo quasi invaluerat, ut Matres proprios Filios circumciderent; cum enim mitioris sint naturæ, tenerrimumque habeant affectum, majori cautela cultro ad abscindendum præputium utebantur, ut minus neonati Filii sentirent dolorem.

Secundo. Quia Beata Maria Virgo, cum se sola, sine virili commercio, carnem & sanguinem formaverit Filio suo, convenientius erat, ut ipsa pro salute nostra primæ hujus effusionis prætiosissimi Sanguinis auctrix esset & ministra. An autem cultro lapideo, prout moris erat, vel ferreo usa fuerit, res incerta est.

DE EPIPHANIA.

Q. *Quid intelligitur per Epiphaniam.*

R. Festum in quo manifestationis Jesu-Christi hominibus in adoratione Magorum, in Baptismo ipsius, & in primo miraculo ad nuptias Canæ Gallileæ, memoria celebratur.

Q. *Qui erant Magi illi Christi adoratores?*

R. Erant homines sapientes, philosophi, ac astronomiæ naturalis periti, quibus Arabes, & alii populi nomen *Magi* vulgo tribuebant.

Errant qui putant viros illos, curiosas artes, atram & diabolicam divinationem, præstigia, & Astrologiam judiciariam exercuisse: nihil enim in eorum studiis reprehendendum fuit, quippe qui Magiam tantum naturalem callerent.

Est autem magia naturalis astrologica, licita & bona, licet ex Astrologorum abusu tam nomen quam res in vitium abierit: Hinc *Magos* jam vocamus Sagos & Incantatores, Ariolos, & Genethliacos.

Porro Magi qui ad Christi cunas perrexere, Sapientes Astrologi, & Philosophi fuerunt, veri Dei cultores, qui uti Job, & ejus amici, aliique facile plures, legem scriptam, cœterosque Hebræorum ritus ignorantes, Deum tamen supremum rerum Arbitrum venerabantur.

Q. *Cujus regionis erant illi Magi, & unde venerunt.*

R. Legimus in Evangelio ipsos ab Oriente venisse, sed ex qua parte Orientis, omnino tacet.

Aliqui credunt fuisse Indos ex Persia, alii persuasum habent venisse ex tribus mundi partibus tunc cognitis, nempe ex Asia, Africa, & Europa. Vetus auctor ex ultimis Æthiopiæ finibus, Tertullianus e regione Damascena venisse dixerunt: sed regiones illæ non sunt Judææ Orientales.

Moderni Scriptores melius censent venisse ex Arabia.

1. Quia in *Arabia*, *Aurum*, *Thus*, & *Myrrha* abundant, quæ fuerunt munera que Magi Christo obtulerunt.

2. Quia

2. Quia id proprie respondet vaticinio Isaiæ, qui capite 60. prædicit *Sabæos, Madian, & Epha* (hi omnes enim sunt Arabes) *venturos ad Christum cum muneribus*. Et sic videtur vaticinium Isaiæ intelligere Ecclesia, cum ipsum sæpius repetat in officio Ecclesiastico. Id quoque plane respondet illi oraculo Davidis: *Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent*, Psal. 71. Reges Tharsis, id est *Maris Rubri*, quod est in Arabia.

3. Quia Arabia vicinior est Judææ, quam Persia, & India. Persia enim trecentis leucis distat a Judæa, quod iter licet tredecim dierum spatio conficere potuissent Magi Dromedariorum ope qui sunt animalia velocissima, quique *ut fertur*, quotidie quadraginta leucis decurrunt: Verum cum Magi non ut cursores, sed cum magno apparatu venerint Jerosolimam *magnatum more*, lento passu processisse credendum est.

4. Quia Arabes sicut & Chaldæi qui Sapientiæ & Astrologiæ operam dabant, communi vocabulo Magi dicebantur.

Unde cum *Magi* illi, de quibus sermo in Evangelio, Sapientiam profiterentur, & ex intuitu stellæ Christum agnoverint, facile Arabes fuisse dici potest.

Q. Fueruntne hi Magi regia dignitate condecorati?

R. Magos Reges fuisse communis est opinio, licet nihil certum de hac re habeatur apud Veteres. Ecclesia regiam in ipsis dignitatem agnoscere videtur; quod quidem probatur.

1. Ex Psalmo 72. *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent; Reges Arabum & Saba dona adducent*.

2. Ex Isaia Propheta: *Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*, Isaiæ cap. 60.

3. Evangelium ipsum ita opinandi probabilissimas præbet conjecturas, dum ait: *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham*, quæ dona ex thesauris apparatum regium denotant; thesauri enim non sunt nisi magnatum & principum.

Deinde commune erat apud Orientales regiam dignitatem *Magis* deferre, teste Tertulliano: *nam & Magos*, ait, *Reges fere habet Oriens*, lib. 3. contra Marcion.

Non tamen imaginari debemus fuisse Reges ita potentes, ac Rex Galliarum, vel Hispaniarum, sed Regulos, seu supremos in certa provincia, & forte exigua.

Nec refert, quod titulum regium non tribuit illis Matthæus; Nam sacer Evangelista nec asserit Reges fuisse, nec negat, sed solum ipsos Magos nominat. Et cum ex stella Christi nativitatem cognoverint, Magi potius idest Sapientes, & Astrologi, quam Reges nominandi fuerunt, cum divinare futura, vel remota Magorum potius sit, quam Regum.

Q. Quot fuerunt Magi qui venerunt Christum adoraturi?

R. Aliqui in magno numero fuisse ex libris Apocryphis asserunt. Alii duodecim ex omnibus nationibus electos fuisse sine solido fundamento etiam autumant. *Calvinus* quatuordecim enumerat, sed qua ratione non exprimit.

Longe probabilius est solum fuisse tres. Et hæc sententia communis est in Ecclesia; ipsamque luculenter adstruunt S. Leo, Cæsarius, Augustinus, Rupertus &c. Non quia tria munera obtulerunt aurum, thus, & myrrham; cum potuerit horum quilibet tria ista offerre, & fecisse credendum sit; nam dedecet Reges quales erant isti, solum myrrham aut thus in Arabia unde venerant valde communia, tanquam munus *Regi Regum* offerre.

ferre; præsertim cum ad hoc ex longinquo venerint cum magno apparatu; sed quia talis est & constans traditio ubique recepta; ideo tres tantum fuisse asserendum est.

Q, Quæ nomina Magis adoratoribus traduntur?

R. Nostra ætate primus vocatur *Melchior*, venerandus senex & canus, barba prolixa, & capillis. Secundus *Gaspar*, juvenis robustus, & rubicundus. Tertius *Baltassar* fuscus, & integre barbatus; & hac forte ratione pictores unum *nigrum Æthiopem* depinxerunt, quamvis certissimum sit, *nullum ipsorum ex Æthiopia venisse, aut oriundum fuisse*.

Hæc nomina cum ante Venerabilem Bedam in Ecclesia incognita fuerint, valde suspecta sunt, quemadmodum alia quædam recitata ab aliis nullius fidei auctoribus. Ita appellatos Græcis nominibus tradunt, *Magalat*, *Galgalat*, *Sarrachin*; Hebraicis vero, *Apellium*, *Amerum*, *Damascum*; Alii nominant *Atorem*, *Statorem*, *Paratoram*, quæ omnia commenta esse, & fabellas non ante duodecimum Sæculum procusas, pronunciat doctissimus Calmetus in suis super Scripturam commentariis.

Q. Stella ista quæ Messiæ adventum, Magis nunciavit, fuitne una ex cœlestibus sideribus?

R. Minime. Novam fuisse stellam miræ claritatis Nativitati Messiæ annunciandæ destinatam, non in cœlo, sed in aere terræ vicino formatam dicit Augustinus, & cum eo multi Sancti Patres, quæ stella æqualiter apparebat die ac nocte, & forte solum die, cum probabiliter nocte quiescerent itinerantes Magi.

Q. Hanc eamdem stellam videruntne præter Magos alii?

R. Probabile est quod aliqui præter ipsos viderint, si non omnes Orientales. Stella enim magna erat, tanta fulgoris gloria coruscans, ut astra omnia vinceret, si ergo visibilis fuit *Magis* adoratoribus, cur non & aliis? imo omnibus perspectam fuisse pro certo Magi habuerunt, ipsi etenim Jerosolimam ingressi constanter rogavere: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? vidimus stellam ejus in Oriente*. Quibus verbis datum mortalibus omnibus ejus astri aspectum credidisse videntur.

Q. Unde potuerunt cognoscere ex stella natum esse Christum?

R. Auctor operis imperfecti in Matthæum tradit stellam istam veluti in medio sinu puerum exhibuisse, cujus capiti Crux immineret, sic ostendens Christi Incarnationem & Crucem, ejusque pueri voce illos esse jussos ad Judæam se conferre. Verum hoc gratis dicitur, nulla enim historia id narrat aut testatur, nisi præfatus Auctor incognitus, librique *Sethianorum hæreticorum*, quibus fidem adhibere pudet &c.

Agnoverunt igitur Magi Christum esse natum ex stellæ indicio.

Primo ex majorum traditione, qua acceperant Regem Regum Messiam non solum ex judæis nasciturum, sed & Nativitatem ejus peculiaris stellæ ortu demonstrandam, juxta Balaami vaticinium relatum in libro Numerorum cap. 24. *Orietur stella ex Jacob*. Spectantes igitur Magi flammeum illud novum Phænomenon, cognoscere potuerunt Balaami Oraculum impletum esse.

Secundo id cognoverunt præcipue ex instinctu, & revelatione divina, & ad ejus sequelam vi supernaturalis impulsus interioris excitati sunt, ut ait Sanctus Leo: *Dedit*, Deus, *aspicientibus intellectum, qui præstitit signum* Stellæ, *& quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inveniendum obtulit requisitus*, Serm. 4. de Epiph.

Q. Si Stella omnium, ut dictum est,

obtu-

obtutibus apparuit, volente Deo per eam toti mundo Christum patefacere, cur soli Magi eam sequuti sunt?

R. Forte quia Mysterium hoc eos latebat, aut curis domesticis nimium occupabantur, vel melius, quia soli *Magi* ante omnes interiori Spiritus Sancti virtute ad inquirendum Christum pulsi sunt.

Hinc discere debemus, quam necessaria sit gratia potens, & efficax ad quærendum Christum, de qua ipsemet ait; *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, Joa. 6. v. 44.

Q. Quare Magis appropinquantibus Jerusalem stella evanuit?

R. Deo sic ordinante factum est, ut Magi intrarent hanc Regiam Civitatem, & Judæis Christi Nativitatem annunciarent, inquirerentque ab eis locum Nativitatis: *Ubi est*, inquiunt, *qui natus est Rex Judæorum?* Qui responderunt: *in Bethlem Judæ &c.* quo responso inexcusabiles de Messiæ adventu se reddiderunt de obstinata ipsorum incredulitate.

Q. Quomodo Magi ausi sunt venire Jerosolimam vivente Herode Christum adoraturi, cum esset ipsi injuriosum alium Regem in eodem Regno agnoscere?

R. Id fecerunt, quia sciebant illum a quo movebantur, & ad quem dirigebantur, esse Deum, & consequenter nihil esse timendum: nam, *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. Unde Sancti illi viri dicebant, quilibet intra se: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*, Psal. 117. Quod de facto evenit: Nam cum adorato infantulo Jesu immineret ipsis periculum ab Herode, qui statuerat ipsos occidere, nisi Christum proderent, admonuit ipsos Angelus, *ne redirent ad Herodem, sed per aliam viam reverterentur in regionem suam.*

Q. Adoraveruntne Magi Christum in stabulo, an in domo civili?

R. Evangelium habet: *Et intrantes domum*, non stabulum, invenerunt Puerum. Probabile est igitur quod decrescente Advenarum multitudine Sacra hæc familia commodiorem aliquem locum in aliqua domo invenire potuerit.

Non desunt tamen ex Sanctis Patribus contrarium sentientes, nempe quod in stabulo ubi Puer natus fuerat, Magi eum adoraverint.

Nec refert quod textus dicat: Et *intrantes domum*; Hebræi enim omne receptaculum, etiam bestiarum, vocant domum; Et fieri potuit ob continuum populi affluxum coactam fuisse Beatam Virginem, etiam tredecim a partu diebus, hærere in spelunca hac suburbana.

Q. Quæ munera Magi obtulerunt Beatæ Virgini, & Christo?

R. Hæc tria, *Aurum*, *Thus*, & *Myrrham*. Si quæratur causa? Respondet Sanctus Bernardus in sententiis, obtulisse *Aurum*, ut eorum paupertati succurrerent: *Myrrham*, ad consolidanda infantilia Christi membra: *Thus*, ad stabuli & animalium fœtorem abigendum.

Hic sensus est humilior & ad litteræ corticem. Alii Patres sublimius docent Magos illuminatos a Spiritu Sancto obtulisse *Aurum* Christo, quasi Regi; *Thus*, quasi Deo; *Myrrham*, quasi homini pro Generis humani redemptione morituro, & sepeliendo. Quæ munerum Sacramenta Juvencus Præsbiter uno versiculo comprehendit.

Thus, Aurum, Myrrham, Regique, Hominique, Deoque Dona ferunt &c.

Q. Amplexati suntne Magi legem Christi?

R. Ita est. Fertur Sanctus Thomas Apostolus adiisse Provinciam eorum, eosque baptizasse, & in lege Christiana instruisse, fecisseque sibi socios suæ prædicationis. Addunt aliqui præfatum Apostolum ipsos ordinasse Episcopos.

Q. Sunt-

Q. Suntne Sancti? Et ubi jacent eorum corpora?

R. Sunt Sancti, & ut tales eos veneratur Ecclesia. Imò Martyres sunt. Cum enim Christum prædicarent in Civitate Sessaniæ Adrumentorum, ab Idololatris occisi fuerunt in odium Fidei, & sic Martyrii lauream adepti sunt, anno Christi 70. in Arabia Fælice.

Sacra eorum Corpora ibidem jacuerunt usque ad *Constantinum Imperatorem*, inde translata sunt opera Sanctæ Helenæ Constantinopolim; inde Mediolanum; Mediolano autem a Friderico cognomento Barbarossa funditus everso, sacra eorum ossa Coloniam translata sunt, ubi usque ad hodiernum diem magno hominum concursu & religione coluntur.

PASSUS SUB PONTIO PILATO,

Crucifixus Mortuus & Sepultus.

P A S S U S.

Q. Estne nobis necessaria hujus Mysterii cognitio?

R. Plane necessaria. S. Paulus Doctor Gentium nihil aliud se scire profitetur, *nisi Jesum-Christum & hunc Crucifixum*. Hoc enim est præcipuum nostræ Religionis fundamentum, quod credamus Christum Dominum morte sua peccatum sustulisse, nosque Deo Patri in Sanguine suo reconciliasse.

Q. Debemusne credere Christum Filium Dei vere passum esse, in cruce sublatum, & ibidem mortuum?

R. Si, ut dictum est, hoc sit præcipuum nostræ Religionis fundamentum, etiamsi mens refugeret, assentiri tamen debemus. Hæc omnia prædixerat ipse Christus: *Ecce ascendimus Jerosolimam, & Filius hominis tradetur Prinicipibus Sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent Gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum*, Matth. 20. Veritatem hujus prædictionis comprobavit eventus.

Q. Christus, Deus cum esset, quomodo mori potuit?

R. Cum in una Jesu-Christi Persona, natura divina, & humana unitæ sint, pati & mori potuit secundum humanitatem, non vero secundum divinitatem.

Recte tamen dicitur, quod Deus pro peccatis nostris mortuus sit; Et sicut vere dicimus, homo iste mortuus est, cum anima non interierit, ita recte dicimus *Christus Deus homo*, mortuus est, quamvis Divinitas Passioni & morti non sit obnoxia.

Q. Fuitne acerba Christi Passio?

R. Dolorosissima & acerbissima fuit. Evangelistæ omnes testantur ipsum gravissimos dolores in anima, & in corpore perpessum fuisse.

Acerbitas interiorum animi dolorum in Christo colligitur ex multiplici illorum causa.

1. Fuerunt peccata totius Generis humani, pro quibus Æterno Patri satisfaciebat patiendo. Unde dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, Matth. 26.

2. Proditio Judæ, Principis Apostolorum tertio repetita negatio, & fuga Discipulorum &c.

3. Inutilitas Passionis ejus pro maxima hominum parte, scilicet pro reprobis, maximeque pro Christianis, qui gratia redemptionis abutuntur. *Rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dei*, Hebr. 6. Quorum quidem crimen gravius est quam Judæorum, qui *si cognovissent, nunquam Dominum Gloriæ crucifixissent*:

Christiani plerique se nosse Christum profitentur, factis tamen negant.

Horum omnium & aliorum cognitio non poterat non excitare timorem, tædium, & dolorem acerrimum in inferio-

ferioribus animæ Christi visceribus. Vim doloris testatus est *Sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, Luc. 2.

Q. *Qui fuerunt corporis dolores?*

R. Acerbissimi & universales: nulla enim fuit corporis ejus pars, quæ gravissimas pœnas non senserit, nam *pedes & manus* clavis cruci affixæ, *caput* spinis compunctum, & arundine percussum; *facies* sputis fædata, alapis cæsa, *totum corpus* flagellis verberatum ac laniatum est.

Passus est in *libertate*, quia captus & funibus vinctus. *In fama*, quia blasphemiis appetitus. *In honore*, quia illusus, & contumeliis lacessitus, & cum latronibus crucifixus. *In gustu*, quia felle, & aceto potatus. *In olfactu*, quia fœtore cadaverum in Calvariæ monte sepultorum infectus. *In auditu*, quia voces blasphemantium, irridentium, & exprobantium audivit. *In visu*, quia mæstissimam Matrem, & dilectum Discipulum juxta crucem stantes, & flentes vidit. *In toto pectore*, quia & flagellatio sævissima, & spinarum aculei, & crucis bajulatio, & confixio, suspensioque in cruce, mortisque diuturnitas, dolorem incomparabilem effecerunt.

Ex his omnibus simul junctis colligere est, quæ & quanta, qualia, & quam varia dolorum, tormentorumque genera Jesus Christus nostræ salutis causa pertulerit, & quanto jure nos invitet apud Prophetam ad ea consideranda, dicens: *Attendite & videte si est dolor sicut dolor meus*, Lam. Jerem. 1.

Q. *Cur voluit Christus pro nobis tam dira pati?*

R. Ut manifestaret mundo immensam suam erga homines charitatem. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*, ad Tit. cap. 3. Et ut tali exemplo nos ad eum redamandum excitaret, peccatumque tantorum cruciatuum causam, summopere detestaremur.

DE
JUDA PRODITORE.

Q. *Quam ob causam Judas Christum prodidit.*

R. Ob suam avaritiam, de qua a Christo reprehensus ægre correctionem tulerat. Cum enim vidisset Magdalenam unxisse pedes *Jesu* decumbentis ad mensam in domo Simonis Leprosi, & fracto alabastro totum super caput ipsius effudisse unguentum, indignatus est, quod hujusce unguenti prætiosi prætium datum potius non fuisset pauperibus, ex falsa in eos commiseratione, cum revera tota ipsius indignatio non ab alio oriretur motivo, quam ex sordida ipsius avaritia, & illorum denariorum, quibus inhiabat, cupiditate.

Verum cum alios Apostolos in idem murmur adduxisset; etiam ipsi dixerunt: *Ut quid perditio hæc?* Sciens autem Jesus ait illis: *quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me*, Matth. 26. v. 10. Solus Judas non resipuit, ut cæteri discipuli: sed avaritia & scelere furens, Principes Sacerdotum adiit, qui jam concilium inierant de modo capiendi Christum; dixitque illis: *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* arbitrio eorum relinquens prætium taxandi. *At illi constituerunt ei triginta argenteos*, ibid. Pacto sic inito & accepto, Christum mundi Salvatorem, Magistrum, & Dominum suum, tam *vili prætio* Judæis tradidit.

Q. *Cujus valoris erant illi argentei, quibus Judas Christum Jesum vendidit?*

R. Variant Auctores. Aliqui censent Denarium, seu *argenteum* æquivalere Julio Romano: sic Christus venditus fuisset tribus Scutis Romanis. Verum hoc valde exile est prætium, quo ager figuli emi non potuisset.

Ba-

Baronius ad annum Christi 34. , & eo recentiores Rabbini autumant *argenteum* fuisse argenti *libram unam* , quæ si duodecim *unciis* constituatur , triginta libræ efficerent *trecenta & sexaginta Scuta Romana* . Verum minime probabile est , Judæos avaros tantam pecuniæ summam *homini vili & indigno proditori* obtulisse propter actionem cui nulla inerat industria , nullus labor , unice consistentem in declarando loco , ubi Christus inveniri posset , & ab aliis suis Discipulis dignosci.

Melius opinari videntur qui dicunt *argenteum* fuisse monetam argenti, quæ tunc erat in usu , & illam fuisse vel siclum , vel dimidiam partem sicli : *siclus* vero comparatus cum *Romana moneta*, æquivalebat *quatuor juliis*. In ea igitur suppositione *triginta argentei* efficiunt *duodecim scuta Romana* , quæ summa , si non fuerit satis pro emptione agri figuli, dicendum huic fuisse adjunctam aliam pecuniam ex ærario Templi .

Q. Nummi illi duo argentei, qui Romæ & Lutetiæ Parisiorum ostenduntur , suntne ex ipsis quibus venditus est Christus ?

R. Sic fert Historia , & favet traditio . Et quamvis non nisi duarum dragmarum sint ponderis, *duobus* solum *juliis* æquivalentium, non obstat quominus esse possint ex illis argenteis quibus venundatus est Christus.

Siclus , ut diximus , quatuor juliis constabat . Triginta *sicli* , seu *argentei* Judæ numerati sunt : Non inde sequitur siclos illos fuisse integros; poterant enim inter eos esse sicli dimidii , hoc est, equivalentes duobus juliis , qui cum aliis integris præfatam triginta argenteorum Summam conficerent.

Attamen dimidii illi sicli *argentei* , qui Romæ & Pariisis asservantur , rei nummariæ eruditis , *inquit Calmetus* , censentur *Rhodiæ* esse numismata , quorum in parte altera est caput *Colossi* solem significantis : in altera vero *Rosæ* imago, urbis Rhodi Symbolum.

Idem refert P. Donatus Calvi in suo *Proprinomio* .

Nec inde inferri absolute potest; ergo nummi illi non sunt ex illis ; quos recepit Judas in prætium suæ proditionis, cum Rhodiana illa numismata in usu esse potuerint apud Judæos , eo presertim tempore quo Romano Imperio subditi erant .

Q. Cur Judas iis qui Christum capturi venerant signum dedit , dicens : Quem osculatus fuero, ipse est &c.

R. Id fecisse dicit Hieronymus cum Origene, ne alium Milites pro Jesu caperent : plerique enim Romani erant , quibus ignotus forsitan erat Jesus ; multi etiam ex turba servi erant Sacerdotum , & aliorum particularium , qui non satis illum noverant . Unde ne inter noctis tenebras, quamquam facium & laternarum ope parum dissipatas, illum non discernerent, & ipse aut effugeret , aut alteram vultus formam assumeret ; idcirco signo osculi Christum designavit .

Timebat proditor ille, ne si Christus capturam evaderet, triginta argenteis a Principibus sibi designatis privaretur : illi enim Judæ forsan nondum numerati erant a Judæis, sed tantum promissi , ut satis colligitur ex versu 13. ubi dicitur : constituerunt , id est promiserunt *ei triginta argenteos* . Ne igitur perfidiæ prætium amitteret, omnem adhibuit diligentiam ut pactum cum Judæis initum adimpleret .

Q. Num Judas una cum cæteris Apostolis, Corpus Dominicum in cæna receperit ?

R. Nonnulli Sancti Patres Judam institutioni Eucharistiæ non adfuisse affirmant , sed statim atque se proditorem a Christo designatum cognovit , e cœnaculo egressum esse.

Deinde cum tanti sceleris reus esset , indignus erat tantis mysteriis , ideo

ideo ab ipsis merito arcendus fuit.

Plurimi tamen veteres, & recentiores censent Judam re ipsa Eucharistiæ institutioni interfuisse, eamque ut cæteri Apostoli sumpsisse. Multis autem rationibus hæc sententia probatur.

Primo, quia Matthæus ait Christum discubuisse ad cœnam agni & Eucharistiæ cum duodecim Apostolis, ergo etiam cum Juda: *Cœnantibus autem illis, accepit* Jesus *panem &c.* & ait: *accipite & comedite*, 26. v. 26. Et accipiens Calicem... *bibite ex eo omnes*. Unde cum nullus excipiatur, dicendum est Judam manducasse carnem Domini, ac bibisse Sanguinem ejus; cum S. Marcus fateatur omnes ex consecrato calice bibisse, dicens: *biberunt ex eo omnes*.

Secundo, quia ut habetur Luc. 22. v. 21. Christus post consecrationem calicis illico subjecit: *verumtamen ecce manus tradentis mecum est in mensa*.

Tertio, quia Christus post lotionem pedum dixit: *vos mundi estis, sed non omnes*, Joann. 13. Si ergo Jesus lavit pedes Judæ, eidem dedisse Eucharistiam dicendum est; cum statim fuerit ab eo instituta.

Tandem hæc ipsa veritas colligitur ex 1. cap. Act. v. 20. ubi Judas dicitur Episcopus, & Sacerdos, sicut scriptum est, Psalm. 108. *Episcopatum ejus accipiat alter*. Nam Apostoli ordinati sunt Sacerdotes & Episcopi tantum in institutione & manducatione Eucharistiæ; tunc enim dixit illis: *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo similiter Judas ordinatus fuit Sacerdos & Episcopus, cum *Episcopatum* ejus postea acceperit *Matthias*.

Totum quod dictum est confirmat Ecclesia in Hymno qui incipit Pange *lingua gloriosi &c.* in quo legitur: *cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus*. Quod si Judas non recepisset Corpus Domini, turba illa non fuisset duodena: excluso enim Juda non duodecim, sed undecim tantum sunt Apostoli.

Q. Qua ratione Christus Sacram Synaxim peccatori tam indigno porrexit?

R. Quamvis Jesus peccatum Judæ Apostolis detegere potuisset, utpote omnium famæ Dominus, & tanto magis quod proditio ejus jam apud Principes & Sacerdotes erat publica, & Apostolis Paulo post foret evulganda; noluit tamen id facere Christus, ut perfectæ charitatis daret exemplum, utque per eam Judam ad pœnitentiam alliceret.

Denique ut doceret occultos peccatores non esse prodendos, & publice traducendos, & infamandos, ideoque nec *a Sacra Synaxi* arcendos.

Q. *Quando Christus dixit*: Unus vestrum me traditurus est, *cur Judam non designavit?*

R. Pluribus de causis Jesus a Judæ nomine abstinuisse fertur.

Primo, ut ejus famæ consuleret, nosque idem facere doceret.

Secundo, ne Petrus nimio zelo fervens, imo & cæteri Apostoli in Judam insurgerent, qui per tantum nefas summa totum Collegium afficiebat injuria.

Tertio, ut Judam hac lenitate & charitate ad pœnitentiam revocaret.

Unde S. Leo serm. 7. de Passione ait: *Notam sibi esse proditoris conscientiam demonstravit: Non aspera, nec aperta impium increpatione confundens; sed leni, ac tacita admonitione convincens, ut facilius corrigeret pœnitendo, quem nulla deformasset abjectio.*

Q. *Estne Judas salvatus, aut damnatus?*

R. Salvatum esse Judam nonnulli hæretici dixerunt, testibus Augustino & Tertulliano, imo & ipsum Cainum, a quo *Caini* dicti sunt. Ideo autem Judam salvatum esse volebant, eo quod fuerit causa mortis Christi, cujus Sanguine salvati & liberati sumus.

At contra est. Christus discipulos alloquens ait: *Vos mundi estis, sed non omnes*, Joann. 13. sciebat enim quis esset, qui tradere eum, propterea dixit: *non estis mundi omnes*; quasi diceret, unus vestrum est in peccato mortali, quod ipse Judas Pharisæis confessus est, dicens: *Peccavi tradens Sanguinem justum*.

Deinde Judas in peccato suo mortuus est, quod colligitur ex verbis ipsius Christi: *Væ homini illi per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, Matth. 26. ergo veram pœnitentiam non egit, ergo non est salvatus.

Præterea constat, quod post buccellam panis intravit in eum Satanas, nullibi autem constat, quod ab eo recesserit unquam. Imo Canone 38. Dist. 3. de pœnitentia habetur: *Non solum non emendavit proditionis nefas; sed proprii homicidii scelus addidit*.

Q. *Qua ratione peccaminosa fuit proditio Judæ, quæ tantum nobis contulit beneficium per mortem Christi?*

R. Quia non tradidit Christum, ut saluti Generis humani prodesset, nec ut Christo mortem cupienti satisfaceret; sed ut avaritiæ suæ, & Judæorum invidiæ consuleret; quod satis clare probant verba ejus ad Principes Sacerdotum: *quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Matth. 26. Sciebat enim quod Judæi Christum quærerent, ut eum crucifigerent; non poterat igitur gravius peccare quam Christum ipsis perfidis tradendo.

Unde si Ecclesia vocat Judæos perfidos, quia Christum crucifixerunt, eamdem incurrere debet ignominiam Judas, qui eis illum tradidit, ut cruci affigerent.

Q. *Delicti pœnitentiam egit; nonne beatus seu salvus esse potest?*

R. Verum quidem est, quod Judas audiens Christum morti adjudicatum esse, *pœnitentia ductus retulerit triginta argenteos Principibus Sacerdotum* dicens: *Peccavi tradens Sanguinem justum*: sed pœnitentia illa non erat vera, & sincera, qualis debet esse, ut peccata deleat, & ad vitam æternam conducat, ut legitur in Canone 36. Dist. 3. de Pœnitentia, ubi habetur: *Judas pœnituit, sed male; laqueo namque se suspendit .... Lachrymæ quippe illæ non erant pœnitentiæ, sed animi violenti, & indignationis æternæ &c.*

Ex 39. *Sceleratior omnibus o Juda, & infælicior omnibus extitisti, quem non pœnitentia revocavit ad Dominum*; sed desperatio traxit ad laqueum. *Si expectasses consummationem criminis tui, & donec* Sanguis Christi pro omnibus funderetur peccatoribus, *informis lethi suspendium distulisses*.

SUB PONTIO PILATO.

Q. *Quam ob causam exprimitur hic Pontius Pilatus?*

R. 1. Quia Pilatus tunc temporis sub *Tiberio Imperatore* Judææ Præses erat & Judex.

2. Quia ipse Jesum morti adjudicavit, per summum nefas tradendo eum voluntati seu furori Judæorum contra propriam conscientiam, postquam ipsum innocentem declaraverat.

3. Hic memoratur *Pontius Pilatus* ad exploratiorem historiæ Passionis, & temporis, quo contigit, cognitionem habendam.

Q. *Cujus nationis erat Pilatus?*

R. Non clare constat. Aliqui in *Ponto*, ex quo illi nomen *Pontius*, ortum fuisse putant. Alii *Romanum*, seu Italum faciunt. Non desunt qui ipsum *Gallum*, in Delphinatu prope urbem Sancti Valerii ad Rhodanum natum esse asseverant. Sed sine fundamento, quia cum Viennam, quæ est urbs Delphinatus, relegatus fuerit ob diversa crimina quibus Romæ accusatus erat, ibique

in extremas angustias redactus seipsum interfecerit, non est probabile ibi ortum esse, cum nemo in proprium natale solum exul mitti soleat. Ita censent Eusebius, Cassiodorus, & Ado in Chronicis, qui ultimus hæc habet in terminis: *Pilatus, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, & ipse perpetuo exilio Viennæ in Galliis recluditur, tantisque ibi, irrogante Cajo imperatore, languoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæsierit.*

Q. *Cur Judæi Christum non occiderunt, cum illum mortis reum judicassent, sed Pilato provinciæ Præsidi crucifigendum tradiderunt?*

R. Quia tunc temporis nullo in hominum vitam jure fruebantur. Cum enim Romani eos Imperio suo subegissent, jus necis & potestatem occidendi ipsis ademerunt, sibique vendicarunt; unde dicenti Pilato ut eum acciperent, atque ex patriis legibus interficerent, responderunt; *nobis non licet occidere quemquam*, Joann. 18.

Quod si Stephanum lapidarint, & ut Christum interficerent sæpe lapidibus manum admoverint, id non jure, sed injuria & impetu furentis populi factum est.

Q. *Quare ergo Pilatus dixit, ut ipsi Jesum acciperent, & necarent?*

R. Idcirco hoc dixit Pilatus, ut iniquissimæ damnationis invidiam a se averteret; judæi vero oblata potestate uti noluerunt, quod populum metuerent, se seque multitudini invisos ejus necis causa reddere formidarent.

Q. *De quibus criminibus Judæi accusarunt Jesum-Christum apud Pilatum?*

R. Quamvis ipsi jam Christum ut *blasphemum* damnassent, quod se Messiam & *Dei Filium* nominasset, tamen de blasphemia eum non accusarunt, scientes Pilatum utpote *Gentilem* ea quæ Religionis sunt non magni facturum: Unde ut ipsum in Jesum strictius concitarent, de tribus sequentibus capitalibus delictis reum eum detulerunt.

Primo, de seditione, quod scilicet turbas in populo cieret, & ad rebellionem adduceret: *Hunc invenimus subvertentem Gentem nostram.*

Secundo, quod vetaret ne tributum Cæsari penderetur: *Et prohibentem tributa dare Cæsari.*

Tertio, quod cum homo vilis esset, se Regem faceret Judæorum, & sic *Cæsari* repugnaret: Et *dicentem se Christum Regem*, Luc. 23.

Sed duo prima ita apparuerunt ipsimet Pilato falsa, & ex odio, & invidia Principum in Christum conficta, ut non fuerit dignatus de hac re ipsum interrogare, sed tantum an esset Rex Judæorum.

Q. *Cur fassus est Christus se esse Regem Judæorum?*

R. Duabus de causis.

1. Quia revera erat Rex totius mundi: *Rex Regum & Dominus Dominantium*, Apoc. 19. Et consequenter Judæorum, licet non speciali titulo. Unde potuisset dicere, *non sum Rex Judæorum*, scilicet temporalis, uti est *Herodes, aut Imperator Romanus*, nec affectavi, vel ambivi Regnum Judææ &c.

2. Quia cum Judæi per Regem Judæorum intelligerent *Messiam* a Prophetis promissum; hinc Christus ne se negaret esse *Messiam*, hoc est Christum, confessus est *se esse Regem Judæorum*: id est, se esse *Messiam* Regem Judæis, a Prophetis promissum: qualis erat de facto Christus.

Q. *Voluitne Pilatus vere, & serio Christum dimittere?*

R. Certissime; quidquid dicat Rupertus putans Pilatum ex simulatione egisse, instar vulpis, quasi prius secreto Judæos excitasset contra Dominum.

Sed contrarium asserunt communiter Sancti Patres, præsertim Augustinus. Et variis rationibus probatur.

1. Et

1. Ex illo textu Actorum 3. vers. 13. ubi Petrus Judæis improperans mortem Christi ait: *Quem vos quidem negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti* .

2. Ex tot modis & instantiis quibus fategit salvare vitam Christi.

3. Si voluisset Judæis favere, necem ejus poscentibus , cur dixisset , *nullam invenio in eo causam* ? Ad quid enim proposuisset illum cum Barabba , nisi sperasset quodammodo ipsos potius Jesum liberaturos quam Barrabam ? Cur ipsum flagellasset , ac flagellatum compassionis ergo, populo ostendisset? Prævidebat quidem , *quod per invidiam ipsum traderent , &* Barrabæ forte postponerent , ex eo quod multa audiverat de Jesu sanctitate , doctrina , & libertate, qua Principum Sacerdotum & Scribarum vitia taxaverat , eorumque odia & iras in se excitarat : tamen optionem alterutrius porrexit , existimans fore ut *contra opinionem* Christum liberare in talibus circumstantiis potius eligerent , quam virum latronem , seditiosum , & homicidam , toti populo maxime exosum .

DE

FLAGELLATIONE.

Q. CUr Pilatus Christum flagellari jussit ?

R. Mos erat Romanorum, condemnatos ad mortem lata sententia flagellandi, tanquam viles & servos effectos; flagellatio enim apud ipsos vile supplicium servorum erat, sicut liberorum erat fustigatio , ut patet ex lege *Porcia & Simphronia* .

Attamen Pilatus jussit Christum flagellari , non causa mortis subeundæ , sed evadendæ , ut per flagellationis atrocitatem feroces judæorum animos leniret , efferatam eorum rabiem mitigaret , & sic castigatum dimitteret : vel si persisterent , uti de more ac legibus Romanorum , crucem anteiret flagellatio . Unde hæc flagellatio impedivit quo minus ad crucem jam damnatus non amplius fuerit flagellatus.

Q. Fuitne dira, & atrox Christi flagellatio ?

R. Atrocissima & crudelissima fuit , imo & ignominiosissima .

Præsciendum est, quod tribus modis reum flagellabant Romani.

1. Fustibus, seu vitis palmitibus, & hic modus minus probrosus erat .

2. Virgis ex betula, ulmo, & salice confectis ; Virgæ enim sunt extremitates frondium arborumque , & hic flagellandi modus majori cum dedecore & infamia , majoribusque cum doloribus fiebat .

3. Flagellis & loris. Lora sunt corrigiæ ex corio exsectæ , quod flagellationis genus erat probrosissimum, & proprium hominum vilium, mancipiorum, furum &c. & hoc modo fuit flagris cæsus seu verberatus Salvator mundi .

Flagellationis atrocitas colligi potest.

1. Ex delicatissima Christi complexione , qua factum est ut longe magis verberum ictus senserit, quam nos sentiremus .

2. Ex eo quod vellet Pilatus per hanc flagellationem Judæorum barbariem flectere , ipsum illorum oculis ostendendo , non tanquam hominem , ut erat dum ei traditus fuit, sed tanquam ovem jugulatum totoque corpore cruentatum , ut sic eos mitiores erga eum redderet .

3. Ex immanitate ac multitudine lictorum , qui homines bruti , feri , ac valentissimi fuerunt, quique forte prætio a Judæis conducti erant ut acrius in Christum verberando sævirent.

4. Supplicii atrocitatem vincebat omnimoda Virginalis corporis denudatio in amplissima impurissimorum hominum corona Judæorum scilicet , ac Romanorum. *Alligatus autem nihil omni-*

no operimenti habebat; sed sicut natus est, sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. S. Birgitta, Lib. 1.

Q. Quot ictus accepit Jesus in flagellatione?

R. Solebant Judæi novem & triginta dumtaxat virgarum ictibus in reos animadvertere. Unde Paulus, qui ab eis *quinquies cæsus est*, testatur se quadragenas *una minus* accepisse. Ex præscripto enim Legis Divinæ, Deuter. 25. v. 3. Non poterat plagarum numerus excedere quadragenarium. Id ut servarent Judæi, unum ictum a præscripto tollebant, & non nisi triginta novem ictus infligi jubebant.

At nullus erat Romanis modus. Ferunt nonnulli Christum in flagellatione *quinque millia* verberum accepisse, quod incredibile non apparebit, si attendamus triginta hominum paria sibi successisse, ut Magdalena de Pazzis in Extasi cognovisse dicitur.

Naturaliter ex tot verberibus mori sæpius debuisset Christus; sed Deitas carnem sustentabat, ut plura pati & tandem crucifigi posset.

Verum numerus ictuum incertus est, & a variis varie assignatur: Volunt aliqui & probabilius quatuor solum fuisse Lictores.

Visitur adhuc Romæ columna ad quam milites Christum vinxere, sacro illius cruore adhuc imbuta.

Q. Interfuitne Beata Virgo crudeli huic flagellationi?

R. Si Revelationibus Beatæ Birgittæ fides adhibeatur, præsens erat: audiatur narratio ejus. *Ad primum ictum*, inquit, *ego quæ adstabam propinquius, cecidi quasi mortua, & resumpto spiritu vidi corpus ejus verberatum, & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur. Et quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur*, Lib. 1. Revel. cap. 10.

Q. Cur milites imposuerunt ei coronam spineam?

R. Certe non jussu Pilati, sed sua sponte & protervia milites Christum spinis coronarunt, duabus hisce de causis videlicet, ad ludibrium & ad tormentum: ad ludibrium quidem simulantes velle ipsum inaugurare Regem cum omnibus Regum insigniis; & ideo adducunt, 1. totam cohortem, quasi Regis exercitum, 2. collocant ipsum in lapide, vel scamno elevato quasi Throno. Paludamentum fuit clamys coccinea; sceptrum arundo; corona spinea, diadema: populi acclamationes & reverentiæ, ludibria militum, genuflexiones & salutationes, *Ave Rex Judæorum*.

Ad tormentum, vero tum quia spinæ erant acutissimæ, tum quia capiti & cerebro infixæ, ubi viget omnium musculorum, nervorum, sensuum & sensationum origo. Unde B. Birgitta Lib. 4. Revel. cap. 70. *Et tunc corona spinea capiti ejus arctissime imposita fuit, quæ ad medium frontis descendebat, plurimis rivis sanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem ejus, crines & oculos & barbam replentibus, ut quasi mihi nil nisi sanguis totum videretur. Nec ipse me adstantem videre potuit, nisi sanguine expresso per ciliorum compressionem.*

Q. Hæc corona ex quo genere spinarum contexta fuit?

R. Aliqui putant fuisse ex junco marino, cujus spinæ longissimæ sunt & acutissimæ: sed Baronius dicit fuisse ex Rhamno, eo quod solum hoc spinarum genus circa Jerusalem reperiatur.

Q. Quid crudelitatis & ludibrii commiserunt milites erga Christum Regem?

R. Ut fabulam suam commodius peragerent, collocato Jesu in loco eminentiori, ut in throno, 1. *Veniebant ad eum*, tanquam aulici & ministri mandata ejus accepturi. 2. Genu flexo per ludibrium altero aut utroque, adorabant eum. 3. *illudebant ei* modis omnibus, quos eorum nequitia ac sævitia suggerebat. 4. Salutabant, dicentes

Ave

Ave Rex judaeorum, 5. conspuebant eum, 6. *percutiebant caput arundine*, & spinas altius infigebant, 7. dabant ei alapas, ut quidam meditantur, armata manu &c.

Q. Fuitne Jesus Christus crucifixus cum corona spinea in capite?

R. Ita censent Origenes, & Tertullianus, & id videtur indicare Evangelista; nam cum scripsisset Christum ad crucifixionem fuisse ductum, addit: *clamyde exuto*, de corona vero spinea tacet, cum tamen paulo ante capiti ejus impositam retulisset.

CRUCIFIXUS.

Q. *Cur Pilatus antequam Christum condemnaret laverit manus?*

R. Mos erat Ethnicorum totum corpus vel saltem manus lavare, cum alicujus hominis caedem expiare vellent, vel dum sacra diis superis fierent.

Pilatus ad hos ritus alludens, ut se ab justi hujus nece expiaret, manus coram lavit, ut luculentius significaret, quam vehementer iniquissimum istud Judaeorum in Christum odium detestaretur, & simul innocentiam suam demonstraret, cum non nisi coacte & contra voluntatem Christum condemnaret: Unde dicebat; *Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis*, Matth. 27. v. 24.

Q. *Quot peccata commisit Pilatus Christum cruci adjudicando?*

R. Licet Hieronymus & nonnulli alii, ut Tertullianus, Pilatum excusare videantur, omnem sceleris invidiam in Judaeos rejiciendo, tamen Augustinus clare Pilatum reum pronunciat: *laverit*, inquit, *ipse manus*, *non idcirco facta sua diluit: ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum*, Serm. 118. de Temp.

Unde Pilatus in judicando & damnando Christum peccavit contra justitiam tripliciter. Primo, usurpando potestatem & jurisdictionem in Christum, in quem nullam habebat. Dixit quidem Christus, *non haberes potestatem in me, nisi tibi data esset desuper*: Sed loquitur de potestate permissiva. Pilato siquidem data erat a Deo potestas, idest auctoritas & jurisdictio in caeteros Judaeos, in Christum vero dumtaxat permissa erat a Deo: Christus enim Filius Dei nulli potestati humanae subjectus erat: imo omnium Rex erat & Dominus. 2. Pervertendo ordinem judiciorum, quia tumultui Judaeorum cessit, nec Christum ob crimen, sed ob tumultum damnavit. 3. Pervertendo justitiam, quia Christum, quem innoxium fatebatur, suae ipsius conscientiae repugnans, manui seditiosorum tradidit, mortique adjudicavit, ne fieret inimicus Caesaris.

Nec ipse evasit reatum, inquit S. Leo, *qui cooperatus seditioni, reliquit judicium proprium, & in crimen transivit alienum*, Serm. 8. de Pass.

Q. *Quae fuit forma sententiae latae a Pilato in Jesum Christum?*

R. Multae diversae formulae a diversis Auctoribus referuntur.

Sanctus Vincentius Ferrerius Serm. de Pass. Dom. hanc adducit.

Jesum seducentem populum, blasphemantem Deum, dicentem se Christum Regem Judaeorum esse, cruci affigendum condemno, & adjudico.

Joannes Lanspergius Lib. 3. Elucid. in Pass. Dom., sequentem magis propriam existimat.

Jesum Nazarenum, qui contra decretum imperatoris Filium Dei, & Regem se nominavit Judaeorum, jussimus extra civitatem duci, & cruci affigi.

Christianus Andricomius in descriptione Urbis Jerosolymae num. 115. dicit se alteram ex antiquis Judaeorum annalibus extraxisse.

Jesum Nazarenum subversorem gentis, contem-

contemptorem Cæsaris, & falsum Messiam, ut majorum suæ gentis testimonio probatum est, ducite ad communis supplicii locum, & cum ludibrio Regiæ majestatis in medio duorum latronum cruci affigite. I lictor expedi cruces.

Circumfertur quædam imago impressa, Concilium contra Christum congregatum repræsentans, cum sententia in eum lata, cujus tenor est.

Nos Pontius Pilatus in Hierusalem præfectus sub potentissimo Monarca Tiberio Cæsare, cujus fœlicissimum Imperium conservet Altissimus, pro Tribunali sedentes. Præsentatus est Jesus Nazarenus, qui se temeraria assertione Filium Dei prædicat, populumque Mosaicum a lege probatissima revocat, ac templum Salomonis se triduo destructurum jactat. Quibus visis & probatis, crucis patibulo eum condemnavimus; ite, tenete, & crucifigite.

Inter tot formulas diversas quibus sententia in Christum expressa perhibetur, probabilior ea habetur, quam refert Pater Joannes Gregorius a Jesu-Maria in suo libro intitulato *Prætorium Pilati*, Tom. 2. Littera 11. Utpote magis conformis Epistolæ, quam idem Pilatus Tiberio Cæsari dedit; tenor autem sententiæ hujus talis est.

„ Jesu-Christe. Gens tua, & Pontifi-„ ces tui tradiderunt te mihi, dicen-„ tes, quod volueris usurpare Regnum „ Judæorum, cum non habeant Regem „ nisi Cæsarem; & quia contra decre-„ tum Romanorum Imperatorum egisti, „ ideo judico te ad subeundam mortem „ in patibulo crucis hodie in Monte „ Calvariæ.

„ Similiter adjudico morti tecum „ duos latrones Dismam, & Gismam; „ Dismam ad dexteram, & Gismam ad „ sinistram, te autem in medio.

„ Lata est sententia in Hierosolymis „ in loco, qui dicitur Lithostrotos, „ Parasceve Paschæ, hora quasi sexta.

Nos Pontius Pilatus Sacri Romani Imperii Præses.

Q. *Quid in hac re credendum?*

R. Nullam harum sententiarum esse legitimam. Ipsarum varietas falsitatem hujus rei demonstrat, quod dictum sit pace tantorum memoratorum Auctorum.

Constans enim & certa debet esse judicis sententia. Unde cum in Evangelio nulla appareat formula sententiæ a Pilato prolatæ, frustra illi quædam ex relatis, aut referendis affingitur.

Q. *Tulitne saltem Pilatus sententiam quamdam in Christum more judiciali?*

R. Audiatur super hoc quæsitum Calmetus in suo commentario litterali in omnes libros Veteris & Novi Testamenti, in caput 27. Matth. vers. 26.

„ Nonnullis veterum, *inquit*, vide-„ tur Pilatus non disertis verbis Chri-„ stum damnasse, sed Judæorum furori „ consentiens permisisse. Favet huic „ sententiæ hic Matthæi locus, *Jesum* „ *flagellatum tradidit eis, ut crucifige-„ retur.*

„ At reliqua scriptoris narratio, & „ Lucæ verba scribentis: *adjudicavit* „ *fieri petitionem eorum*, illum judicis „ more pronunciasse demonstrant. In „ tribunali sedet, quæstionem habet „ cum Jesu, causam mortis cruci im-„ ponit, militibus crucifigendum tra-„ dit, cadaver tolli ab Josepho Arima-„ thæo permittit, omnia denique *judi-„ ciali more & potestate agit.*

Hæc ipse, qui tamen in suo Dictionario Historico-Critico Sacræ Scripturæ, verbo *Pilatus*, in fine contrarium sentire videtur.

Septem, inquit, *vel octo sententiæ Pilati referuntur &c. Speramus tamen veniam nos facile impetraturos*, si eas fabellas neglexerimus, *cum potissimum nihil in Evangelio appareat, ex quo sententiam in ea re aliquam* Pilatum tulisse *credamus.*

Pera-

Permisisse enim tantummodo reum Judæorum furori memoriæ proditum est, Matth. capit. 27. v. 26. Marci 15. v. 15. Luc. 23. v. 24. Joan. 19. v. 16. *Quod longe aliud est quam prolata sententia illum damnare.*

Quomodo hic celebris Auctor sit sibi concors in hoc, non videtur, Pilatus more judiciali Christum morti adjudicavit, nulla prolata sententia, non est credibile.

Stemus nos pro sententia in forma judiciali lata; qualiter autem, seu quibus terminis fuerit concepta, confiteamur certo sciri non posse.

Præfatas formulas descripsimus pro instructione lectorum, ut sciant quid de Pilati sententia dictum sit.

Q. *Fuitne re ipsa Christus crucifixus, an Simon Cyrenæus loco ipsius?*

R. Basilides Alexandrinus intemperantiæ Magister, vir ingenii acuti, sed perversi, sub Imperio Adriani Ælii, & Pontificatu Alexandri I. circa annum 124. inter plures blasphemias abnegavit Christum passum, & crucifixum, & docuit loco ejus *Simonem Cyrenæum* vere fuisse crucifixum.

Sectatores ejus Basiliani dicti fuere. Ratio principalis ejus fuit textus Lucæ cap. 23. qui talis est: *Et cum ducerent eum* (Jesum) *apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa, & imposuerunt illi crucem portare post Jesum .... & crucifixerunt eum.*

Hinc inferebat Basilides Simonem Cyrenæum fuisse crucifixum, & Christum dimissum. Sed multum a veritate aberrat: nam Judæi non postularunt mortem Simonis Cyrenæi, sed Christi in cruce, ut patet ex illo Matthæi 27. ubi legitur: *Dicit illis Pilatus, quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? dicunt omnes crucifigatur*. Tunc Pilatus, qui mortem Christi videbatur nolle, dicit illis; *quid enim mali fecit?* Quo dicto, Judæi magis clamabant dicentes, *crucifigatur*: ergo petierant *mortem Christi*.

Hanc Judæorum malitiam suum habuisse effectum constat ex eodem Evangelio: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones* &c. Item ex eo quod dicerent: *Si Filius Dei es, descende de cruce*, quod certo non dixissent de Simone Cyrenæo; quoniam ipse non se faciebat *Filium Dei*, nec posuissent milites ad custodiendum sepulchrum; quia non Simon Cyrenæus, bene vero Christus dixerat: *tertia die resurgam.*

Nec est quod dicat Basilides, non fuisse morem Judæorum reos ad mortem damnatos crucifigere: contrarium siquidem manifestissime patet ex eo quod petierint a Pilato ut Christus *crucifigeretur*, quod non fecissent pro certo, ni ista etiam apud eos viguisset consuetudo: nec illam, erga Simonem Cyrenæum, ut Basilides somniat, observassent.

Q. *Cur Judæi crucem ferendam Simoni imposuerunt?*

R. Certe non imposuerunt illi crucem portandam, ut eum crucifigerent, nec ut Christo aliquod solatium afferrent, sed quia Jesus nimis fatigatus, & viribus exhaustus, non tam expedite, aut cito ibat, ut ipsi Judæi volebant, ob rabidam malignitatem, ne Sabbato superveniente mors, & depositio ejus de cruce differentur, aut ne Pilatus sententiam revocaret, uxore sollicitante & dicente: *multa passa sum hodie per visum propter eum.*

Ita respondet S. Bonaventura Doctor Seraphicus in Meditationibus suis cap. 11. Simoni autem permissum fuit a Deo, ut crucem portaret, non quidem ad hoc, ut mortem pateretur in ea, sed ut unusquisque sciret cum Christo crucem esse portandam.

Unde Christus ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*, Matth. 16.

16. & Lucæ 14. *Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus*. Non dixit Christus *meam*, ut moneret unumquemque teneri portare in carne sua, & in corde suo crucem.

Q. *Quibus argumentis probari potest Christum realiter, & vere fuisse crucixum?*

R. Plurimis.

1. Ex Symbolo Apostolorum: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus*.

2. Ex Symbolo Nicæno: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & Incarnatus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus est*, crucifixus *etiam pro nobis &c.*

3. Ex variis Evangelii textibus, & præcipue ex illo Marci cap. 15. ubi Evangelista ait de Christo: *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus;* Et ex illo Lucæ cap. 29. *Quomodo eum tradiderunt summi Sacerdotes, & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum;* & tandem ex illo Joannis cap. 19. *Et bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur, Calvariæ locum, ubi crucifixerunt eum.*

Eadem veritas refertur in Actibus Apostolorum, ibi enim legitur: *Certissime ergo sciat omnis domus Israel, quia & Dominum eum & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis:* Act. 2. v. 36.

His Evangelistarum testimoniis addo aliud, quod est Apostoli Pauli: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum*, 1. Corinth. 1. & cap. 2. *Nihil judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*.

Alias auctoritates tam Novi, quam Veteris Testamenti brevitas cui studemus afferre non permittit.

Q. *Quare Christus crucifigi voluit?*

R. Multis de causis.

Primo. Quia hoc genus mortis ad Generis humani redemptionem accommodatius videbatur; *Ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur per Dominum nostrum Jesum Christum*. Serpens enim qui in ligno primos parentes vicerat, victus est a Christo in ligno crucis.

2. In exemplum virtutis, ut fideles pro justitiæ, & veritatis conservatione nullum mortis genus detrectarent.

3. Ut Redemptio Christi Salvatoris tanto esset copiosior, quanto crucis supplicium acerbius & turpius, cæterisque omnibus execrabilius erat.

4. In cruce palam & omnibus conspicuus mori voluit, ut quam plurimi oculati testes Passionis & mortis, de ipsius etiam Resurrectione post triduum secuta, indubitati testes fierent.

5. Quia mors Christi in cruce a Prophetis prædicta erat. *Foderunt manus meas, & pedes meos*, Psal. 22. *Aspicient ad me quem confixerunt*, Zach. 12.

6. Tandem crucifigi voluit ad erudiendum nos, quod crucifigere & mortificare carnis concupiscentias, voluptatum lenocinia fugere, & adversa quæquæ constanter perferre debeamus. *Relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia ejus*, 1. Petri cap. 2.

Q. *Fuitne hoc genus supplicii valde infame?*

R. Ita. Maxime infame fuit; cum Scriptura mortem turpissimam crucis supplicium appellet: imo non tantum infamis, sed *maledictus habebatur, qui pendet in ligno*, Deut. cap. 11.

Gentiles ipsi adeo crucem abhorrebant, quæ supplicium erat mancipiorum, latronum & seditiosorum, ut vetitum esset Romanis Legibus, eo uti in ingenuos, cives præsertim Romanos. *Facinus est vincire civem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare: Quid dicam in crucem tollere?*

cru-

crudelissimum teterrimumque supplicium, verbo satis digno tam nefaria res exprimi nullatenus potest. Cicero in Verrem de cruce Gabiniana.

Q. *Portavitne Jesus, crucem suam usque ad locum supplicii?*

R. Crucem initio humeris Jesu-Christi impositam fuisse de fide est: *Et bajulans sibi crucem, exiit*, Joann. 19. Mos erat, ut homines morte damnati suum ipsi patibulum ferrent: Sed cum extra urbem clivus ascendendus esset, & ipse Jesus, viribus, & labore oppressus deficeret, ne mora longior interjiceretur, detractam humeris Jesu crucem, Simoni Cyrenæo, forte obvio, bajulandam injiciunt, *non ut Jesu benefacerent, sed ut majoribus tormentis reservarent*, inquit S. Augustinus, lib. 3. de Consen. Evang.

Non est igitur admittenda pictorum licentia, qui Simonem extremam dumtaxat crucis partem sustinentem, reliqua humeris Christi incumbente, exhibent.

Evangelistæ non dicunt Simonem adjuvisse Christum in crucis gestatione; sed simpliciter *portasse crucem Jesu* ab urbis porta usque ad Calvarii verticem.

Marcus & Lucas habent: *Angariaverunt*, id est compulerunt, *prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum ut tolleret crucem ejus: Et imposuerunt illi crucem portare post Jesum*: Ita ut Jesus præiret, & Simon sequeretur eum.

Q. *Cujus dimensionis crux illa erat?*

R. Quindecim pedes alta, septem aut octo circiter lata fuit, ut ex traditione habetur.

Q. *Potueruntne milites dare Christo tanti ponderis patibulum ferendum?*

R. Non satis constat utrum Christus totam compactam crucem gestaverit, an breviorem solummodo partem, quæ ex transverso ponitur. Unus certe homo grandem, & crassam crucem ex utraque parte compositam, aliquo itineris spatio gerere difficilime potest. Trabs in ipso supplicii loco plerumque erigebatur, antequam reus eo perveniret. Ac frequenter ejusmodi trabes ibi relinquebantur, ut aliorum supplicio servirent. Non ergo crucem integram, sed solum lignum transversale ferebant condemnati ad mortem, & forte non aliud nisi lignum hoc tulit Christus.

Q. *Undenam locus ubi crucifixus est Jesus, dictus est Golgotha, seu Calvaria?*

R. Quidam ferunt ita dictum esse ex eo quod traditio sit, in *Golgotha* sepultum esse Adamum.

Verum quidem est, Noe ossa Adami in Arcam religiose suscepisse, at ubi post diluvium illa condiderit, incertum est.

Si in eo monte reposita fuissent, non ignorassent Judæi, nec est verisimile quod locum illum sepultura Protoplasti, & communis omnium parentis celebrem, patibulariorum cædibus, & sepulturis inquinassent.

Melius censent alii, & verius, locum illum *Calvariæ* nomen sortitum esse ex eo quod rei ibi capite plecterentur: Unde cum ibidem capita, seu crania eorum, qui vel crucifixi, vel lapidati, vel decollati, vel quocumque alio supplitio plexi interiissent, sepelirentur, non sine ratione locus ille Calvaria dici potuit.

Q. *Cur in loco hoc supplicii publico & infami crucifigi Christus voluit?*

R. Ut infamia & execrabilia nostra scelera lueret & expiaret. Quo circa locum hunc supplicii in locum honoris & adorationis convertit. Christiani enim in Calvaria Christum crucifixum reverentur & adorant. Christus enim

—— Pœnam vestivit honore;
Ipsaque sanctificans in se tormenta beavit.

Sic de Socrate ait Seneca in Consol. ad Helvidiam: *Socrates carcerem intravit, ignominiam ipsi loco detracturus.*

Q.

Q. *Quot clavi fuerunt impensi in crucifixione Christi?*

R. Licet tres solum fuisse multi autument, constantissime tamen tenendum est fuisse quatuor, & ita revelatum fuit Sanctæ Birgittæ: De manibus nullum esse potest dubium: An autem pedes superpositi fuerint transfixi cum uno solo clavo, ut Crucifixi imagines modernæ repræsentant, non est verisimile. Quomodo unus clavus potuisset duos pedes superpositos perforare sine ossium comminutione, quod non potest dici de Christo vero Agno Paschali, de quo scriptum est: *Os non comminuetis ex eo*, Exod. 12. v. 46. Singulos pedes suum habuisse clavum asserit *Beata Birgitta* sibi revelatum fuisse a Beatissima Virgine, Lib. 1. Revel. capit. 10.

Huic sententiæ standum est, quamvis *Maria* ab *Agreda* contrarium scribat in vita Beatæ Mariæ Virginis, quam dicit Divinitus accepisse; Nempe tres solum clavos adhibitos fuisse, quorum unus longior erat, quo usi sunt carnifices pro pedibus superpositis confodiendis. Cum autem revelationes Sanctæ Birgittæ sint majoris in Ecclesia auctoritatis, pro quatuor clavis stamus.

Fuerunt pedes affixi suppedaneo cruci addito: manus enim non potuissent corporis pondus diu sustinere nisi eo suppedaneo adjuvarentur. Ita asserunt S. Justinus Martir, *Dialog. cum Triph.* & Tertullianus, *Lib. 2. adversus Marcionem*. Quibus eo major fides adhibenda est, quod hi eo tempore vixerint, quo crucis supplicium nondum abolitum fuerat, quemadmodum deinceps a *Constantino Imperatore* &c.

Antiquissimæ Picturæ, & Crucifixi imagines Christum cum quatuor clavis affixum repræsentant: tales sunt, Lucensis, Sanctorum Petri & Joannis Lateranensis, Vetustissima Braviensis in Hispania, Lovaniensis, Assisiensis, in Sancta Clara &c. Præter quamquod Cardinalis Bellarminus refert se vidisse in Regia Parisiensi Bibliotheca antiquissimum Evangelii librum, in quo passim Jesu-Christi effigies cum quatuor clavis depicta cernitur.

Ultra clavos, *funes* etiam, si non & *catenas*, adhibitos fuisse ad constringendabrachia & corpus, certum habetur, cum hi funes ostendantur Romæ in Templo Sanctæ Crucis in Jerusalem, ædificato a Sancta Helena.

Sanctus Hilarius diserte meminit funium, quibus in cruce sustinebatur Christus, Lib. X. de Trinit. Et Nonnus Panopolitanus *catenarum*, quibus pedes, manusque vinctæ fuerunt.

Deinde magnum miraculum sacrorum stigmatum Sancto Francisco impressorum, quatuor fuisse clavos comprobat. Audiatur S. Bonaventura in Legenda cap. 23. *Manus, & pedes*, inquit, *in ipso medio clavis confixa videbantur: clavorum capitibus in interiori parte manuum, & superiori pedum apparentibus..... Erantque clavorum capita in manibus & pedibus rotunda* &c.

Q. *Si solum fuerint quatuor clavi, contactu sacri corporis nostri Redemptoris consecrati, qua ratione tot in diversis mundi partibus ostenduntur, & venerantur?*

R. Revera multæ civitates unum clavum se habere gloriantur. Unus extat in Ecclesia Sanctæ Crucis Romæ, alii visuntur Mediolani, Venetiis, Parisiis, Treviris, Coloniæ, Aquisgrani, Viennæ, Carpentoracti, Anconæ, Luccæ, Terulli, Cataniæ, Spoleti & alibi.

Et tamen constat unum ex clavis Christi ab Helena Constantini Imperatoris matre insertum fuisse frænis equi, quo filius utebatur; alterum in Adriaticum mare projectum, ut ejus maris procella sedaretur, & tertium in casside qua filius suus Constantinus utebatur, fuisse repositum.

Ad quæsitum dico, quod licet in pluribus per orbem templis clavi serven-

ventur, non sequitur clavos plures quam quatuor fuisse: Neque eos omnes qui ostenduntur veros esse, vel suppositititios prudenter satis dubitare possumus. Primo enim vel sunt aliquæ verorum clavorum particulæ, aliis clavis ferreis similibus insertæ, quibus nomen clavi Redemptoris datum est. 2. Vel sunt clavi non ex illis qui Christi corpus confixerint, sed ex illis, qui ad usum crucis, vel suppedanei, supra quod pedes stabant, servierint. Pars etenim transversa pluribus clavis fuit affixa: suppedaneum vero quod pedes Christi sustentabat, tribus, aut quatuor clavis affixum erat & titulus pariter totidem, qui tandem in pluribus Ecclesiis dispersi, pro clavis Christi usurpari cæperunt, & venerationi fidelium exponi tanquam Dominicæ Passionis instrumenta.

Q. *Cruces latronum erantne ejusdem formæ & altitudinis ac ipsa crux Christi?*

R. Aliqui dicunt eas fuisse minoris dimensionis. Et hoc ex industria Judæorum, qui ut Christum magis infamem redderent, majori cruci affixerunt.

Vera sententia est cruces fuisse omnino æquales, ejusdem figuræ, & longitudinis; quod quidem probatur ex facto S. Helenæ. Tribus enim crucibus repertis non fuit possibile crucem Christi ab aliis secernere, nisi per contactum cujusdam mulieris infirmæ, quæ subito sanata est.

Exinde colligitur fuisse latrones eodem modo crucifixos, cum clavorum foramina essent tribus crucibus paria.

Q. *Fuitne Dominus Jesus crucifixus nudus?*

R. Sic videntur insinuare Evangelistæ dicentes; *exuerunt eum milites* in loco supplicii *vestimentis ejus, & miserunt sortes quis quid tolleret.*

Audi S. Ambrosium: *Nudus*, ait, *crucem ascendit; nudum ecce video.... Talis ascendit, quales nos, auctore Deo natura formavit*, Lib. X. in cap. 23. Lucæ. Verum quidem est inhonestum esse, sic coram viris, & fœminis comparere; sed magis indecora passus est Christus.

Jesum Christum nudum suspensum fuisse, ita ut nequidem *verenda* habuerit *tecta & velata*, etiam docent SS. Athanasius, Bonaventura, & multi alii.

Deinde consuetudine receptum erat apud Romanos & alias nationes, quibus crucifixio erat in usu, nudos plane, & absque velamento crucifigere. Quis vero Judæorum, vel carnificum tam benigno in Jesum erat animo, ut ei aliquod beneficium, vel solatium impertiendum putaret? Amicorum quidem non pauci indignitatem spectabant, sed nullus eis patebat accessus. Quantum pudoris & doloris hæc nuditas Christo summe pudico & verecundo intulerit, quis exprimere valebit?

Q. *Cur ergo picturæ Christum linteo præcinctum repræsentant?*

R. Nihil hoc obstat nostræ sententiæ. Quod nuda Christi membra velentur, fidelium pudicitiam & obsequium significat, non rei veritatem. Neque enim necesse est, ut eo modo populorum oculis Jesus Christus subjiciatur, quo ipse crucifixus est ab iis, quos Psalmista *canes* vocat, Psal. 21. qui multa inverecunde egerunt, quæ verecundius repræsentari debent.

Q. Cur Pilatus scripsit hunc titulum, quem fastigio crucis imposuit. *Hic est Jesus Nazarenus Rex Judæorum?*

R. Quia solebat titulus damnatis ad mortem more Romano furcæ seu patibulo præfigi, qui crimen & causam mortis indicaret. Hinc Pilatus *nomen* Rei describit: *Jesus*; Patriam, *Nazarenus*; condemnationis causam, *Rex Judæorum*; idest, quod affectasset Regnum Judæorum, ideoque rebellasset *Tiberio Cæsari*.

At

At Pontifices & alii qui necem ejus procuraverant, Pilato suggesserunt, ut titulum mutaret: *noli scribere*, inquiunt, *Rex Judæorum*, *sed quia ipse dixit*, *Rex sum Judæorum*, Joan. 10. Sed renuit Præses, respondens eis: *Quod scripsi*, *scripsi*, id est, quod scripsi recte scripsi: nolo id mutare, aut revocare: eorum perfidiam, crudelitatem & cruentum scelus tacite exprobrando, qui proprium Regem crucifixissent.

Pilatum describit Philo, hominem in decreto pertinacem, durum, inflexibilem, sententiæ tenacissimum.

Q. *Fuitne hic titulus Christo honorabilis*?

R. Certe. Fuit ipsi summi honoris elogium; ostendit enim ejus non tantum innocentiam, sed & dignitatem, quod scilicet ipse Christus sic mundi Redemptor: quare Judæos quasi Christicidas confundit & confundet, ac condemnabit in æternum, quod ipsi Pilatum coegerint ut crucifigeret Christum, qui erat ipsorum Rex seu Messias ad hoc a Deo missus, ut ipsos salvaret.

Servatur adhuc Romæ in Basilica Sanctæ Crucis in Jerusalem pars tituli crucis Christi in asserere inscripta, in eo tamen nihil extat nisi to, *Nazarenus*, scriptum litteris Græcis & Latinis, sed retrogrado ordine, more Hebræorum, incipiendo a latere dextro, & pergendo ad sinistrum. Litteræ vero Hebrææ in titulo ita vetustate exesæ sunt, ut apices dumtaxat nonnulli appareant, nulla vero littera integra plenaque cernatur, quæ dignosci possit.

Q. *Ex quo ligno crux Christi compacta fuit*?

R. Multum inter se discrepant Auctores, & tot ferme sunt sententiæ, quot capita. Quidam volunt compactam fuisse ex cupresso, cedro, palma, olea, unde carmen.

Ligna crucis palma, *cedrus*, *cupressus*, *oliva*.

Sed hæc opinio inter alias minus est verisimilis. Non enim credibile est Hebræos tanta diligentia prætiosa ligna illa collegisse ad formandam crucem illius, quem morte turpissima necare intendebant. Unde S. Gregorius Nyssenus, vocat *Lignum crucis*, *partem arboris vilis contemptiorisque*, *quam alia multa sint*, Orat. de Baptismo.

Si ex tot arborum speciebus confecta fuisset crux Christi, non opus fuisset miraculo ad eam inter alias distinguendam, nisi quis dicere velit, cruces latronum constasse similibus lignis, quod nullus admittet.

Si quidam Patres enarrarunt crucem ex quatuor lignis relatis fuisse elaboratam, *curiose magis quam vere locuti sunt*, ait Lipsius, vel mystice verba eorum sunt accipienda: In cruce enim Christus quasi *cedrus* exaltatus fuit; quasi *cupressus* comata pullulavit; quasi *oliva* gratiæ oleum fudit, quasi *palma* victrix de morte triumphavit?

Alii volunt fuisse ex ligno cedrino montis Libani; cum Ecclesia canat: *super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior*. Alii ex fraxino. Alii diversimode de ea loquuntur.

Sanctus Ambrosius lignum illud appellat nucem: cujus testa durior est, fructus vero tenerior.

Tandem Sanctus Augustinus ex sicomoro formatam fuisse putat.

Relictis hisce opinionibus, verius dicendum est, crucem Christi fuisse ex dura ingenti *Quercu* confectam. Id enim probari potest.

1. Ex Prophetia Isaiæ, cap. 7. *Quercus quæ expandit ramos suos*, *semen sanctum erit*, *quod steterit in ea*. Semen autem illud quod stetit in quercu, Christus Salvator noster est.

2. Id manifestius comprobant particulæ Sanctæ crucis, quæ diversis in mundi partibus conservantur, ut Romæ, Bononiæ, Mantuæ, Parisiis, in Caravacca, in Sacra Basilica S. Francisci Assisiensis &c. quæ ex quercu esse in pondere,

dere, colore, & soliditate dignoscuntur.

3. Quia quercus in Judæa sunt copiosæ & frequntes, quæ facilius & minori prætio haberi possunt ad quodcumque opus, &c.

Q. *Fuit Jesus in cruce humi strata crucifixus?*

R. Disconveniunt inter se Sanctorum Evangeliorum Expositores. S. Bonaventura, Lipsius, Joannes Molanus, Toletus aliique Christum in cruce erecta fuisse confixum sustinent, cum insolitum foret crucem humi sternere, ut Reus affigeretur. Trochleæ enim ope ad directæ trabis summum elevabatur, & cum staret in suppedaneo, duo crucifixores jam per scalas ad summitatem existentes, manus miseri apprehendebant, funibus aut catenis ligabant, & clavis eas figebant: unus vero aut duo alii carnifices pedes similiter super scabellum clavis confodiebant. Favet huic opinioni illud Canticorum, cap. 7. v. 8. *Ascendam in palmam & apprehendam fructus ejus*. Unde canit Ecclesia: *Domine Jesu Christe &c. qui crucis patibulum ascendisti &c.*

Imo Christus ipse loquendo de sua crucifixione, verbis elevationem significantibus usus est: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*, Joan. 10.

His omnibus accedit revelatio facta Sanctæ Birgittæ, lib. 1. cap. 15.

Attamen his non obstantibus humi Christum fuisse cruci affixum censent Sanctus Anselmus, Laurentius Justinianus, Abulensis, Gretserus, & alii. Alioquin enim, *inquiunt*, difficilior fuisset Christi crucifixio in cruce alta & erecta.

2. Quia sic fiebat illis qui crucem ferebant: Etenim testibus Cardinali Paleotio & Burgensi constat, eos qui suam ipsorum crucem attulerant ad supplicii locum, opportunissimum, & commodissimum fuisse prostratos & supinos jacenti cruci affigere.

3. Quia Jerosolimis in Calvariæ loco cernuntur duæ capellæ vicinæ, non aliter divisæ quam quod pavimentum unius superet pavimentum alterius, quarum una dicitur crucifixionis, secunda exaltationis sanctæ crucis; idcirco quod certissima traditione habeatur, Dominum nostrum Jesum-Christum in primo loco fuisse super crucem humi jacentem, clavis confixum; in secundo vero, cum jam esset cruci affixus, in altum seu aerem fuisse elevatum.

Q. *Cur Jesus inter duos latrones fuit crucifixus?*

R. Majoris ludibrii causa, tanquam seditionis auctor, & latronum Princeps. Cum enim Judæi illum accusassent quod ambitione regnum affectasset, milites idcirco medium eum constituerunt: medius enim locus apud Romanos honorabilior habebatur.

Bonum latronem ad Christi dexteram, malum ad sinistram ponit Sanctus Hilarius, *in Matth. cap.* 33. primus ut ferunt, Dismas vocabatur, secundus Gismas.

Putat Augustinus bonum latronem proximum Christo fuisse, cum doceat sanguinem & aquam ex aperto illius latere profilientes ad ipsum pervenisse, & Baptismi loco ipsi esse potuisse. *De anima & ejus origine lib. 2. cap. 9.*

Q. *Cur Christus de cruce non descendit, cum Judæorum Principes se eum Messiam agnituros pollicerentur si descenderet?*

R. Refert revera Matthæus, quod non solum adstantes & prætereuntes Christum blasphemarent, moventes capita sua & dicentes: *salva temetipsum: Si Filius Dei es, descende de cruce &c.* Sed quod similiter & Principes sacerdotum illudentes cum Scribis, & senioribus dicerent: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere: Si Rex*

 Israel

Israel est, descendat de cruce & credemus ei, Matth. 27. v. 41. 42.

Tamen noluit Christus descendere, quia ex Patris præcepto in cruce mori debebat, ut nos a morte redimeret. Contempsit ergo impiorum improperia ut nos idem facere doceret: *Si tunc de cruce descendisset*, inquit Sanctus Gregorius Hom. 20 in Evang. *nimirum insultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonstrasset.*

Deinde sciebat quod mentiebantur, dum dicebant se credituros eum esse Regem Israel, id est *Messiam*. Nam si non crediderunt Christo Lazarum, aliosque mortuos suscitanti, utique nec credidissent Christo seipsum a morte liberanti: Unde S. Hieronymus: *Fraudulenta promissio*, ait, *quid est plus de cruce adhuc descendere viventem; an de sepulchro mortuum resurgere? Resurrexit & non credistis; ergo si etiam de cruce descenderet, similiter non crederetis.*

Exemplum habemus in Hæreticis modernis: *Crederemus Sanctis*, inquiunt, *si facerent miracula*: At cum eorum miracula afferuntur, *illa calumniantur, vel ut ficta, vel ut magica, & phantastica*, Corn. a Lap. in Matth 27.

Q. *Ambo latrones blasphemaveruntne etiam ipsi Christum?*

R. Multi Sancti Patres, ut Origenes, Theophilactus, Chrysostomus, Hilarius &c. censent primo quidem utrumque latronem Christo illusisse, ipsumque blasphemasse, juxta Matthæi textum: *id ipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, Matth. 27. v. 44. Sed alterum postea visa Christi patientia, tenebris, aliisque signis & miraculis, & præcipue vi divinæ gratiæ motum resipuisse, versoque in focii arrogantiam sermone dixisse, se quidem morte dignos esse, Jesum vero his cruciatibus indignissimum.

Patres tamen Latini ajunt, Matthæum locutum fuisse per Synecdochem, *pluralem* numerum pro *singulari* usurpando: latrones, id est, unus latronum: sic Lucæ 23. dicuntur *milites obtulisse Jesu acetum*, id est unus militum. Voluit enim Matthæus per latrones, non tam personas latronum, quam conditionem significare, ut ostenderet Christum in cruce ab omni hominum genere, & conditione, etiam latronum, convicia atrocia pertulisse.

Q. *Qualis erat forma corporis Jesu Christi?*

R. Lentulus qui in Judææ præfectura Pilato successit, in Epistola quam scripsisse ferunt ad Senatum Romanum, „ ita Christum describit: vir erat pro„ cero corpore, vultu augustus, inge„ nio mitis, severitate quadam admix„ ta, ut simul & amorem & veneratio„ nem conciliaret: coma vero vini co„ lore infecta & nitenti, quæ ad aures „ usque protensa, deinde crispanti un„ dulatione in scapulas diffluebat: Bar„ ba ejusdem coloris promissa & bipar„ tita: oris color albus, rubro mi„ stus, oculi cærulei &c.

Q. *Risitne unquam Christus in vita sua?*

R. Non creditur risisse, quia Sacra Scriptura cum varia de Christi moribus, & operibus enarret, nunquam tamen commemorat eum risisse; flevisse tamen crebrius & ingemuisse refert; quod sane a pluribus viris Sanctis observatum fuit.

An vero ulla unquam occasione hunc affectum ostenderit inter homines, ne tunc quidem dum in nuptiis Canæ Gallilææ aquam in vinum, quod honestæ hilaritati natum est, convertit, problema esto.

Q. *Flevitne saltem aliquando?*

R. Ter in sacris litteris flevisse Christum legimus. 1. Mortuo Lazaro dum eum resuscitaret. 2. Videns civitatem Jerusalem flevit super illam. 3. Moriturus in cruce.

Sæ-

Sæpius tamen ingemuit ob gravem peccatorum nostri generis sarcinam, quæ illum e cœlo in terras venire ad iniquitates nostras in suo corpore ferendas, impulerat.

Q. *Quodnam testimonium de Jesu-Christo reddidit Pilatus Claudio Tiberio Cæsari?*

R. Vetus hæc erat consuetudo provinciarum Rectoribus, ut quidquid novi apud ipsos contigisset, Imperatori nuntiarent, ne quid ipsum lateret. Hinc Pilatus, ut suo satisfaceret muneri, sequentem relationem de morte, prodigiis & innocentia Jesu-Christi ad Tiberium Imperatorem misit.

Pontius Pilatus, Claudio Imperatori salutem.

„ Nuper contigit, cujus rei ipse testis esse possum, Judæos se ipsos, posterioresque suos universos per invidiam crudeli damnatione perdidisse.

„ Cum enim ex miraculorum promissis, Majorum ipsorum auctoritate receptis, hoc expectarent, ut Deus illorum per Virginem juvenculam mitteret, qui jure *Rex* eorum diceretur, hunc me præsente misit in Judæam.

„ Is, quod omnibus notum est, cæcis visum restituebat, leprosos mundabat, resolutos nervis curabat: Viderunt quoque ipsum dæmonia abegisse, atque obsessos a spiritibus immundis liberasse, mortuos item e sepulchris ipsis resuscitavit: obediebant sibi ventorum turbines, siccis pedibus mare inambulabat. Fecit alia quoque permulta miracula, ut vulgo etiam inter Judæos, & plebem *Dei Filius* diceretur.

„ Principes vero sacerdotum æmulatione & livore instincti adversabantur illi; captumque illum mihi tradiderunt, ementitis sceleribus eum reum facientes.

„ Magum appellabant, atque legis eorum desertorem, & contradictorem. Quibus persuasionibus seductus ipse, fidem eorum querellis adhibui, flagellatumque ipsis tradidi, ut pro arbitrio in eum animadverterent.

„ Crucifixerunt igitur illum, & sepulchro quo conditus erat, custodes adhibuerunt; inter quos etiam ex meis militibus nonnulli erant, qui tertio die ipsum a mortuis resurgentem viderunt.

„ Nequitia autem Judæorum magis hoc facto exarsit: numeraruntque magnam pecuniarum vim ipsis militibus, quatenus discipulos ipsius *noctu* corpus rapuisse prædicarent.

„ Acceperunt hi quidem pecunias: Nihilominus tamen publice professi sunt, atque testantur, se visiones Angelorum vidisse, ac Jesum illum vere a mortuis resurrexisse.

„ Hæc autem ideo scripsi, ne quis nugis ac mendaciis Judæorum, si de re gesta aliter loquantur, fidem adhibeat. Vale.

Q. *Estne genuina hæc Epistola Pilati ad Tiberium?*

R. Quid vetat, quominus genuina sit, cum ut talis relata sit ab antiquissimis scriptoribus, a Marcello S. Petri Discipulo, Tertulliano, Hieronymo, Eusebio, Gregorio Turonensi, Martino Polono, Sixto Senensi, & pluribus aliis, qui videri possunt apud *Prosperum de Lambertinis*, nunc S. Petri sedem feliciter occupantem, sub nomine *Benedicti XIV.* in suo magnifico opere *de Canonizatione Sanctorum*, Tom. I. cap. I.

Deinde nihil non veri continet: Et præclarum ex ea habetur de Divinitate Jesu-Christi testimonium.

Q. *Quid egit Tiberius Imperator recepta Pilati Epistola in favorem Jesu-Christi?*

R. Relata a Pilato prodigia, vitam, mortem, & Resurrectionem Jesu-Christi Tiberius ad Senatum Romanum detu-

L 2 lit,

ssit, & cum prærogativa suffragii sui Apotheosim sollicitavit.

Apotheosis autem nihil aliud erat quam solemnis alicujus hominis inter Deos adscriptio. Volebat igitur Cæsar ut ab eis Christus in numerum deorum annumeraretur tanto magis, quod a pluribus, juxta Pilati Epistolam, jam *Deus* crederetur.

Verum, quod a Senatu postulabat, cum obtinere non potuisset, a sententia tamen discedere noluit, prohibuitque ne quid adversus doctrinam Christi contrarium moliretur, & edicto publico accusatoribus Christianorum mortem comminatus est.

Q. *Quam ob causam Senatus inter divos Christum recensere noluit?*

R. Quia iniquo atque infenso animo ferebant Senatores, quod *ante decretum suum* jam Christus *Deus* haberetur.

Sciendum enim quod *lex erat* antiquitus designata, ne cuipiam apud Romanos divinitatis honores tribuerentur, nisi prius *Senatus decreto*, atque sententia *Deus* declaratus foret, & confirmatus. Cum autem, ut dictum est, Jesus-Christus jàm a multis Deus, & quidem solus & præcipuus crederetur, ipsum Deum creare recusarunt, quod non prius juxta *veterem morem*, ipsius Senatus sententia in Deos esset relatus.

Potior tamen ratio ea est quam lego apud Prosperum *Lambertini* modernum Summum Pontificem in suo eruditissimo opere, de Canonizatione Sanctorum. Lib. 1. cap. 1. his verbis.

Divini judicii sapientia effecit, ne Christus instar falsorum Numinum divinitatem ab hominibus accepisse videretur; & Christiana Religio per universum orbem statim effundenda, propagationem judicio, & auctoritate Romani Senatus obtinuisse.

CHRISTI MIRACULA

VERSIBUS EXPRESSA.

Angelus alloquitur Mariam quo præscia verbo
Concipiat, salva Virginitate Deum.
Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges,
Myrrham homo, Rex aurum, suscipe thura Deus.
Permutat lymphas in vina liquentia Christus:
Quo primum facto se probat esse Deum.
Quinque explent panes, pisces duo millia quinque,
Et Deus ex parvo plus superesse jubet.
Editus ex utero cæcus nova lumina sensit,
Et stupet ignotum se meruisse diem.
Lazarus e tumulo Christo inclamante resurgit
Et duræ mortis lex resoluta perit.
Nutantem quatit unda Petrum: cui Christus in alto
Et dextra gressus firmat, & ore fidem:
Exsanguis Christi contingit fœmina vestem:
Stat cruor in venis: fit medicina fides.
Jussus post multos graditur paraliticus annos,
Mirandum! lecti portitor ipse sui.

DE

CRUCE SPIRITUALI.

Q. QUid *intelligendum est per crucem ad quam ferendam Christus discipulos suos adhortatur?*

R. Certe putandum non est crucem illam, de qua loquitur Christus, esse aliquod lignum seu patibulum simile illi, quod humeris suis gestavit: sed per crucem intelligendum est omne illud quod cum labore, & dolore conjunctum, nos in hoc mundo exercet & cruciat; ut sunt ærumnæ, tribulationes, quotidiani dolores, calumniæ, adversitates, persecutiones, morbi, dolores &c. tentationes, jactura bonorum & famæ, & aliæ afflictionum species, quibus vita humana obnoxia est, ad quas *patienter*, & bona mente tolerandas, suos discipulos invitat Christus, dicens: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam* &c.

Q. *Habetne quilibet Christianus aliquam crucem ferendam?*

R. Quis dubitat? *Tota vita Christiani hominis*, inquit Augustinus, *si secundum Evangelium vivat, crux est & Martyrium*, serm. 22. de Sanctis.

Et alibi addit: *Nemo sibi dicat, fuerunt tribulationes apud nostros Patres; apud nos non sunt. Si putas te nondum habere tribulationes, nondum cæpisti esse Christianus.*

Et ubi est vox Apostoli: *Omnes qui volunt pie vivere persecutionem patientur:* Si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide ne nondum cæperis in Christo pie vivere, Aug. in Psal. 55.

Clamat Christus ipse: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*, Matth. 10.

Et Apostolus: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, Gal. 5. Et alibi: *Semper mortificationem Jesu-Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris*, 2. Cor. 4.

Q. *Tuleruntne Sancti homines æquo & prompto animo cruces suas?*

R. Maxime: *Ibant Apostoli gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Tribulationem patimur*, inquit Doctor Gentium, *sed non angustiamur: Opprimimur, sed non derelinquimur: Dejicimur, sed non perimus* &c. 2. Corinth. 4. & cap. 7. ait: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.*

Historia Ecclesiastica prope innumera producit exempla Christianorum utriusque sexus, ætatis, & conditionis, qui alacri animo ludibria, & verbera, vincula & carceres, sitim & famem, frigus & nuditatem, ærumnas & vigilias, morbos & ulcera, & cujusvis generis tormenta constantissime tolerarunt, ut digni haberentur in Regno Dei, pro cujus amore hæc omnia paterentur, scientes quod *per multas tribulationes oportet Christianos intrare in Regnum Dei*, Act. 4.

Q. *Quibusnam Deus specialiter cruces immittit?*

R. Justis maxime & pie in Christo viventibus. Unde scriptum est: *Multæ tribulationes justorum*, Psal. 33. *& quem Deus diligit, castigat*, Hebr. 12. Noli tibi blandiri quasi *justo*, si tribulationes non habueris, quia Domini verbum est: *Via lata & spatiosa est quæ ducit ad mortem, & si quis vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me*, Matth.

Difficile est, imo impossibile, ait S. Hieronymus Epist. 34. ad Julianum, *ut & præsentibus quis, & futuris fruatur bonis, ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat; Et de delitiis transeat ad delitias; ut & in cælo & in terra appareat*

pareat gloriosus. Taliter omnes Apostoli, taliter omnes Martyres secuti sunt Dominum.

Q. *Cur Deus specialiter amicis & sanctis suis multas cruces immittit?*

R. Sanctus Chrysostomus Hom. 1. ad Antiochenos, inter alias causas sequentes enumerat.

1. Ne propter meritorum & miraculorum excellentiam, aut multitudinem extollantur: *Bonum mihi quia humiliasti me*, Psal. 118. clamabat Psaltes Regius. Et Paulus cum se in Paradisum adductum fuisse dixisset, subdit: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me colaphizet*, 2. Cor. 12.

2. Ne cæteri majorem habeant de ipsis opinionem, quam humana patitur natura, & ipsos Deos, non autem homines esse arbitrentur. *In lystris non solum obstupuerunt, sed & tauros coronatos adduxerunt, ut Paulo & Barnabæ sacrificarent*, Act. 16. Ne igitur Sancti in numerum Deorum ab imperitis referrentur, permisit Deus eos assidue cruciari, ut nimia corporis imbecillitas, præsentibus persuaderet, homines esse, qui talia edebant miracula, nihilque de suo afferre, sed gratiam Dei per illos omnia efficere.

3. Ut virtus Dei magis elucescat: Sancti enim vicerunt regna, tyrannos, mundum ipsum per vincula, tribulationes, flagella, & extrema mala.

4. Ne propter præsentis vitæ fœlicitatem videantur Deo servire: Et ideo Deus aliquibus omnem substantiam aufert, paupertatem alteri tradit, & hunc in graves morbos incidere permittit. *Usque in præsentem horam, & esurimus & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus, maledicimur & benedicimus, blasphemamur & obsecramus; persecutionem patimur & sustinemus* &c. 1. Corinth. 4. Unde non delitiis & omni rerum copia affluentes beati prædicandi sunt, sed illi qui vitam pie sancteque instituunt, & virtutis curam gerunt.

Q. *Suntne ergo cruces seu tribulationes cuilibet homini Christiano ad salutem necessariæ?*

R. Ad hoc quæsitum jam respondit ipse Christus, dicens: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*, Matth. 15. Et alibi, *qui non bajulat crucem suam, non potest meus esse discipulus*. At cum omnibus jubeat Deus, ut Christum sequantur, sic pariter jubet, ut abnegationem & crucem amplectantur.

Unde Magnus Augustinus sic discurrit, in Sermone ad Alippium.

„ Noli admirari Frater, si postquam
„ Christianus effectus es, *mille te undique tribulationes* vexant. Quoniam
„ Christus nostræ Religionis caput est,
„ nosque ejus membra sumus.

„ *Debemus ergo non solum eum, sed*
„ *ejus vitam cumulatissime sequi*: Vita
„ enim Christi respersa fuit angustiis
„ plurimis, summa paupertate circum-
„ data; a Scribis & Pharisæis derisus;
„ tandem propter nos peccatores morti
„ turpissimæ traditus est.

„ Unde conjectura est, quum te Deus
„ immensis persecutionibus corripit, *te*
„ *in electorum numero depustasse*. Nam
„ sine hujusmodi tribulationibus nequa-
„ quam ad Deum pervenire possumus:
„ omnes enim qui ad Paradisum redi-
„ re desiderant, *oportet transire per i-*
„ *gnem & aquam*; sive fuerit Petrus Apo-
„ stolus, cui datæ sunt *claves Regni*
„ *cœlorum*; Sive Paulus, *vas electionis*;
„ sive Joannes, *cui revelata sunt secre-*
„ *cœlestia*, necesse est, ut omnes di-
„ cant, *per multas tribulationes oportet*
„ *nos intrare in Regnum Dei*.

Non immerito igitur Sanctus Isidorus dixit: *Semper Deus hic hos vul-*

nerat,

nerat, quos ad salutem perpetuam præparat, Soliloquiorum Lib. 1.

MORTUUS,

Q. Quoties locutus est Christus in cruce pendens, priusquam moreretur?

R. Septies.

Primo dum pro suis inimicis & crucifixoribus oravit postulans ipsis ignosci: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, Luc. 23. Sic Christianos docuit pro persecutoribus orare, malefacientibus benefacere, atque vincere in bono malum.

2. Dum latroni pœnitenti Paradisum promisit: *Hodie mecum eris in Paradiso*, Luc. 23. hoc est in loco voluptatis in sinu Abrahæ, in Limbo Patrum, quem Christus in Paradisum convertisse per suam præsentiam, Patribus & latroni divinitatis suæ visionem impertiendo, asserunt Augustinus, Maldonatus & alii. Certum enim est Christum cum latrone die illo, quo obiit, non ascendisse in Cœlum.

3. Dum dedit Mariæ Joannem in filium, & Mariam Joanni in matrem: *Mulier ecce filius tuus; deinde dicit discipulo: ecce mater tua*, Joan. 19.

Mulier dixit, non contemptus causa, sed obsequii, ne nominando *Matrem* ipsius animam majori dolore afficeret: Unde Baptista Mantuanus cecinit:

Matrem sine nomine matris:
Ne materna pium laceraret viscera nomen.

4. Dum conquestus est se esse a Patre derelictum: in quantum permittebat ipsum totam vim & cruciatum mortis amarissime sentire: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me*, Matth. 27.

5. Dum paulo ante mortem exclamavit: *Sitio*, Joann. 19. Sitiebat autem, tum quia fere a 20. horis nihil ederat, nec biberat; tum quia humorem omnem consumpserat, & sanguinem in flagellatione & crucifixione effuderat; tum quia dolores acerbissimi ingentem sitim excitabant. Et tandem ut adimpleretur Scriptura: *Et in siti mea potaverunt me aceto*, Psal. 68. Sic Messiam se esse, nedum ex generalibus vaticiniis, verum etiam ex peculiaribus, ostendens: Prævidebat enim futurum ut gustandum sibi acetum porrigeretur: Unde se sitire clamavit. Potest etiam dici quod sitiebat salutem animarum.

6. Dum expletis omnibus, quæ ei imperaverat Pater Cœlestis, dixit: *Consummatum est*, Joan. 19. v. 30. jam omnia tormenta æque, ac mysteria consummata sunt, quæ Pater a me sustinenda, vel peragenda ab æterno decrevit, &c.

7. Dum commendavit animam Patri: Et clamans voce magna Jesus ait: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*, Luc. 23, v. 46.

Et hæc fuerunt ultima Christi verba in cruce; Evangelista enim immediate post spiritum reddidisse asserit: *Et hæc dicens expiravit*, ibid.

Hæc verba mutuatus est Christus ex Psalmo trigesimo, ubi David afflictus & in mortis periculo constitutus sic orat: *In manus tuas commendo spiritum meum*.

Q. *In quibus casibus, & quam ob causam usurpat Ecclesia hæc verba Christi morientis:* In manus tuas commendo spiritum meum?

R. Hunc versum usurpat & canit Ecclesia.

1. In Completorio sub noctem, ut doceat nos, quando imus cubitum, animam Deo commendare, quia noctu multa ex catharro, suffocatione, apoplexia &c. mortis subitaneæ occurrunt pericula.

2. Dum quis in articulo mortis constitutus jam ex mundo migraturus est, Ecclesia ei suggerit hæc verba, vel sacerdos pro moribundo ea profert: In manus &c. Intentio ejus est, ut per ea

testemur primo, nos animam in nativitate accepisse, non a patre vel a matre, sed a solo Deo, ideoque nos illi eamdem, quasi creaturam ipsi propriam reddere.

3. Nos credere animam in morte non interire, sed esse superstitem & immortalem, ac ad Deum, qui eam creavit, & judicabit, redire.

4. Nos credere carnis Resurrectionem: morientes enim Deo commendamus animam, ut ipse eam, quasi depositum servet, & in Resurrectione corpori nostro restituat.

5. Nos in agone ultimo, quem acerrimum cum dæmone subimus, in morte implorare Dei opem, ut ei animam resignantes dæmonem superemus. Unde multorum est sententia, inquit Cornelius a Lapide, dæmonem proprium cuique adversarium eidem moribundo horribili specie apparere, eumque ad desperationem, aliaque scelera sollicitare &c.

Q. *Cur Christus voce magna clamavit antequam spiritum emitteret?*

R. Inauditum certe est quod quis clamans expiret. Moribundis vox deficit, ut nequidem loqui queant. At Jesus sic mori voluit, ut significaret se, utpote Deum, mori non coactum ex infirmitate & necessitate, defectuque virium, sed libere, sponte, & qua hora ipsi placuit. Et hoc est quod ait Christus, Joannis 10. *Nemo tollit eam (animam) a me, sed ego pono eam a me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Q. *Quid fides credendum proponit per hanc particulam Mortuus?*

R. Quod Jesus-Christus Filius Dei vere mortuus sit, quod Manichæorum deliriis opponitur, qui carnem non revera, sed solum apparenter, seu specie solâ a Filio Dei susceptam somniarunt; adeoque & mortem Christi fictam & adumbratam asseruerunt.

Mors nihil aliud est quam animæ separatio a corpore; *Jesus clamans*, ut dictum est, *emisit spiritum*, igitur vere mortuus est.

Deinde mors ejus prædicta fuerat a Prophetis: Ipsam Evangelistæ, & Apostoli testantur, ac proinde nulla est dubitandi ratio.

Sicut ovis ad occisionem ducetur, Isaiæ cap. 53. *Et post hebdomades 62.* occidetur Christus, Daniel. cap. 9. Ipsemet Christus mortem suam prædixit: *cœpit Jesus ostendere discipulis suis . . . Quia oportet eum multa pati, & occidi, & tertia die resurgere*, Matth. 16. & tandem Petrus Judæis exprobrat quod auctorem vitæ interfecerint, &c.

Q. *Fuitne etiam divinitas sejuncta a corpore, sicut fuit ejus anima?*

R. Hæretici Apollinaristæ hoc dixerunt: sed Fides Catholica docet Personam Divinam, seu Verbum Divinum nec ab anima Christi, nec ab ejus carne unquam fuisse separatum, quando mors animam a corpore separavit: sic Divinitas corpori in sepulchro unita erat, & animæ descendenti ad inferos.

Q. *Quare mortuus est Christus facie a Jerosolymis aversa?*

R. Ut ostenderet se impios Judæos deserere, & ad gentes se convertere: Unde dorsum Orienti vertebat, & Occidentem, puta Italiam, Romam, & alia Europæ Regna spectabat. Hoc est quod Judæis prædixit Jeremias: *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum*, cap. 18. v. 17. Et David: *Oculi ejus super gentes respiciunt*, Psal. 65. v. 7.

Inde Christiani ex Apostolorum institutione orant ad Orientem, quasi Christi faciem intuentes: imo antiqua eorum templa respiciunt Orientem, in quibus imago Christi Crucifixi Occidentem prospicit, quam qui adspiciunt & adorant, necessario Orientem spectant.

Q. *Quo die & qua hora Christus mortuus est?*

R. Eodem die, & mense quo fuit in-

utero B. Mariæ Virginis conceptus, nempe 25. Martii, ut colligitur ex Martyrologio Romano, ubi illo die fit mentio Sancti Dismæ latronis, cui dixit Christus: *hodie mecum eris in Paradiso*. Unde tunc expleverat a momento conceptionis triginta quatuor annos.

Quantum ad horam, S. Joannes dicit fuisse crucifixum Jesum, *quasi hora sexta*, id est circa meridiem.

Quando dicit Marcus: *Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum*, loquitur de tertia finiente, seu de ultima parte horæ tertiæ, postquam incipiebat sexta.

Pro hujus assertionis clariori intelligentia notandum est quod sequitur.

Solebant Judæi & Romani diem ab ortu usque ad occasum solis distribuere in horas duodecim inter se quidem æquales, at ex varia dierum vicissitudine, variis temporibus inæquales, videlicet in primam, tertiam, sextam, nonam & duodecimam.

Hora prima in æquinoctio quo tempore mortuus est Christus, correspondebat horæ sextæ matutinæ, secundum usum nationis Gallicæ, Hispanicæ, Germanicæ, Polonicæ, & aliarum Gentium, si Italiam excipias.

Tertia cum nona; sexta cum meridie seu duodecima; nona cum tertia pomeridiana; duodecima cum sexta vespertina.

Hora tertia finiente, secundum Marcum, & sexta quasi incipiente, secundum Joannem, Christus mortuus est.

Ab hora sexta usque ad nonam tenebræ factæ sunt super universam terram. His dissipatis, potum poposcit Jesus, & valida voce clamans expiravit.

Sic per tres horas in Cruce pependit ludibriis & irrisionibus Judæorum expositus, antequam moreretur.

Q. Cur Velum Templi moriente Christo, scissum est?

R. In Templo Salomonis velum erat, Sanctum Sanctorum cooperiens, quem locum solus Pontifex, idque semel dumtaxat in anno, ingredi poterat, videlicet in festo Expiationis, Levit. 16. Ideo scissum fuisse dicunt Sancti Patres, ut Templum ipsum mortem Christi lugens, quasi indignationem suam in Sacerdotes & Pontifices Deicidas manifestaret.

Alii sentiunt, ideo scissum esse Sanctuarii velum, ad significandum abrogatam esse legem veterem, cum suis sacrificiis, ritibus, & ceremoniis legalibus, & per Christi mortem apertam omnibus esse viam in cœlum.

Q. Unde ortæ sunt tenebræ, in morte Christi super universam terram?

R. Quidam dicunt illas contigisse per miraculosam & omnium maximam Eclypsim solarem, seu per interpositionem Lunæ inter Solem & terram, quam advertens Dionysius Areopagita exclamasse fertur: *aut Deus naturæ patitur, aut machina mundi dissolvitur*.

Dixi *Maximam*, cum in ipso meridie Stellæ in cœlo apparuerint.

Dixi *Miraculosam*, Eclypsis enim illa in Paschate contigit hoc est in plenilunio Veris, cum Luna longe distaret a Sole, imo esset in opposito Solis: Ecclypsis autem naturalis non fit nisi novissima primave Luna, quia tunc cum Soli vicina sit, facile se illi supponit, ipsumque ecclipsat.

Aliud miraculum est, quod per tres horas duraverit, cum alias Ecclypsis Solis parum duret, eo quod Luna Solem tegens celerrime moveatur, & Solem pertranseat.

Alii volunt non fuisse veram Ecclipsim, ut Hieronymus: *Mihi videtur*, inquit, *clarissimum lumen mundi retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum aut impii blasphemantes sua luce fruerentur*, in Matth. cap. 27. Fieri etiam potuit ut in vertice Solis

ex-

excreverint crustæ quædam, & opaca corpora, quæ totius solaris rotæ conspectum abstulerunt.

Tunc impletum est Vaticinium illud: *in die illa, dicit Dominus, occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis*, Amos, cap. 8. v. 9.

Q. Terræmotus, qui moriente Christo contigit, fuitne universalis?

R. Sunt qui Terræmotum fuisse solum peculiarem Judææ arbitrantur: At cum Evangelista ad certum locum non restringat, dicimus fuisse universalem, & quidem vehementissimum & formidabilem, ita ut totus terræ globus e centro suo convulsus contremuerit & concussus sit. Id quod S. Job prophetaverat: *Qui commovet terram de loco suo; & columnæ ejus concutiuntur*, Job. c. 9. v. 6.

Rupes Terræmotus ut non solum in Calvario Jerosolymis, sed & in diversi mundi partibus scissæ spectantur: imo tunc scissos esse montis Alverniæ petras, revelavit Angelus Sancto Patri nostro Francisco ibidem oranti, qui nunquam scissuras illas contemplabatur, quin statim memorata Christi Passione scinderetur corde, ac tandem scinderetur & corpore, recipiendo in illo monte Sacra Christi stigmata.

Q. Quid Terræmotus ille tam vehemens significabat?

R. Iram Dei adversus impios Filii sui interfectores, quasi voluisset ut terra hos deicidas in pœnam tanti sceleris absorberet in tartara. *Commota est & contremuit terra; fundamenta montium conturbata sunt, quoniam iratus es eis*, Psalm. 17. v. 8.

2. Divinitatem Crucifixi indicabat, cujus gratia sidera, & rupes concuterentur.

3. Terra mota est ad commovenda terrea & saxea hominum corda ad pœnitentiam. Centurio & milites Romani ex his signis tremefacti, justamque numinis iram, & iniquissimam Jesu-Christi mortem agnoscentes, *percutiebant pectora sua, revertentes & dicentes: vere Filius Dei erat iste.*

ET SEPULTUS.

Q. Mortuo Christo, quid actum est de corpore ejus?

R. Quidam vir *Josephus* nomine ab *Arimathæa*, Jerosolymitanus Senator, & Discipulus Jesu, occultus quidem ob metum Judæorum, pietate motus, sepositoque omni timore, una hora post Christi obitum, accessit audacter ad Pilatum, & petiit donari sibi corpus Jesu ad illud sepeliendum eo quo vellet loco, ne cum aliorum cadaveribus in vicinam vallem *Ennon* commune damnatorum poliandrion projiceretur.

Introivit *audacter*, quia nobilitate & dignitate præditus erat, & dives *juxta Marcum*; pauper enim non ausus fuisset ad Præsidem Romanum accedere, & Crucifixi corpus impetrare.

Pilatus, audito a Centurione quod jam Christus obiisset: credebat enim ipsum tardius mori debere, tanquam hominem divinum, qui cœteros excederet, postulatis annuit, & donavit corpus Joseph: Non propter aurum, & argentum, ut opinatur Theophilactus, sed gratis, ut innuat Marcus dum ait: *Donavit corpus Joseph*: ergo illud dono accepit, non prætio comparavit: nimis enim sordidæ avaritiæ Pilato Præsidi fuisset illud vendere.

Q. Joseph ab Arimathæa, accepto corpore Jesu, ubinam ipsum sepellivit?

R. Antequam sepulturæ traderet, venit ad eum alius Discipulus *Nicodemus* nomine, qui Jesum noctu convenerat, negaveratque tanta ab eo patrari

ri posse prodigia, nisi illi adesset Deus: Hic attulit mixturam myrrhæ & Aloe quasi libras centum. Hisce aromatibus totum corpus Jesu primò perfusum est, & quasi balsmatum. Myrrha & Aloe amarissima sunt, & apta ad conservandum corpora a putredine: deinde involutum est in sindone munda cum institis seu fasciis; sindon autem est pannus ex lino subtiliore & delicatiore textus. Dicta est autem sindon a *Sidone* urbe Phæniciæ, in qua primò texi cœpit. Super caput aliud brevius linteum, quod sudarium dicitur, imposuerunt.

Cum Joseph sibi novum parasset monumentum in horto prope locum Calvariæ sito, ibi Jesum posuit, & magnum advolvit lapidem ad ostium monumenti, adjutus probabiliter a Nicodemo & famulis, ne quis Christi corpus auferret.

Q. Cur Christus voluit sepeliri?

R. Voluit sepeliri, & quidem a viris fide dignis, scilicet Josepho & Nicodemo, ac triduo in sepulchro manere, ibique lapide magno claudi, ac a Judæis obsignari, & custodiri.

1. Ut certo mortuum fuisse omnibus manifestissime constaret; nam refert Marcus cap. 15. Pilatum diligenter de Christi morte inquisivisse antequam corpus ejus sepeliendum traderet.

2. Ut Resurrectionis fides magis elucerct, dum e sepulchro redivivus appareret: non enim solent nisi mortuorum corpora sepeliri.

3. Ut certa resurgendi spes in monumentis jacentibus præberetur.

4. Ut nos doceret, instar sepultorum terrenas voluptates despicere, juxta illud: *mortui estis, & vita vestra abscondita est*, Coll. 3.

Q. Cur in sepulchro novo, exciso in petra, in quo nullus fuerat positus?

R. S. Joannes dicit, quod in loco ubi crucifixus est Jesus, *esset hortus, & in horto monumentum novum, in rupe excisum, in quo nondum quisquam positus erat*, Joann. 19. v. 41. ibi Jesus voluit sepeliri.

Primo in monumento *in petra exciso*, ad certitudinem Resurrectionis majorem, *ne quis calumniari posset*, inquit S. Hieronymus, *si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, per subterraneos cuniculos furto sublatum fuisse*.

Secundo, ut perpetuum & immobile extaret mortis & Resurrectionis Christi monumentum.

Tertio, *in quo nondum quisquam positus fuerat*, & sic in monumento novo, ne perfidi Judæi criminarentur, non Jesum rediisse in vitam, sed alterum prius ibi sepultum; sive, non sua ipsius, sed alterius virtute esse revocatum, quemadmodum mortuo illi contigit, qui in Elisæi sepulchrum projectus, contactis Prophetæ ossibus, redivivus stetit.

Q. Quamdiu corpus Christi jacuit in sepulchro?

R. Tribus diebus & tribus noctibus sicut fuerat prædictum, ex Matth. c. 11. *Sicut fuit Joanes in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ.*

Sed hoc per Synecdochen dictum est: *Tribus diebus & tribus noctibus* non integris, sed civilibus, qui ex die naturali & nocte conflantur. Nam tantum ultima parte diei Veneris, toto Sabbato, & prima parte diei Dominicæ in sepulchro fuit, hoc est circiter triginta tribus horis.

Q. Passus estne Christus in sepulchro aliquam corruptionem.

R. Corruptibile quidem erat corpus ejus, ac reliquorum hominum corpora, sed tamen corruptum non fuit, ipsum conservante potentia Divinitatis, juxta illud: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, Psalm. 115.

Q.

Q. Potestne dici quod Christus Filius Dei fuerit sepultus, cum sola caro sepulta fuit?

R. Si dicimus ipsum fuisse crucifixum & mortuum, quidni sepultum dicere non possemus? quoniam de illa persona, quæ simul perfectus Deus, & perfectus homo fuit vere dicuntur persona Divina nunquam ab anima, neque a corpore separata fuit, juxta illud axioma Theologicum: *Quod Deus semel assumpsit nunquam dimisit*. Sicut ergo recte dicimus Sanctum Petrum in sepulchro jacere, & cum Christo in cœlo gaudere. Ita recte dicimus Filium Dei sepultum esse, & descendisse ad inferos.

Q. Ubi fuit Anima Christi in triduo corporis sepulti?

R. Mox ut Christus expiravit, Animam ejus descendisse substantialiter ad inferos, seu ad Patrum Limbum, ibique ad Resurrectionem usque mansisse, ubi animas detentas sua præsentia fuit consolatus, imo sua Divinitate evidenter exhibita essentialiter beatificavit, convertendo carcerem in Palatium, & Limbum in Paradisum & tenent communiter Catholici, & definivit Benedictus XI. Extravaganti, *Unigenitus*. Et ideo Christus dixerat Latroni pœnitenti; *Hodie mecum eris in Paradiso*, non intelligendo cœlum, cum ad illud non ascenderit Latro, nec Patres ante Christi Ascensionem, quando secum captivam duxit captivitatem, sed Limbum, ut ita loquar, Paradisatum.

An autem etiam substantialiter descenderit in Purgatorium, & infernum damnatorum, res est incerta. Pie tamen credunt nonnulli, animas purgantes omnes, vel salem aliquas beatificasse: Dœmones vero, homines impios, in Infernum rursum ad Gehennam perpetuo damnasse tanquam eorum judicem, Dominum, victorem, & Triumphatorem.

Q. Estne adhuc modo Sepulchrum Redemptoris nostri?

R. Ita, & quidem etiamnum gloriosum, quod ei quasi Epitaphium quoddam præfixit Isaias, dicens: *Et erit Sepulchrum ejus Gloriosum*. Et quamvis a multis sæculis intermedium Turcas situm sit, celeberrima est ad illud, Fidelium ex toto orbe peregrinatio, qui Fideles a Franciscanis Jerosolimis residentibus, cum mira charitate recipiuntur. Est *Gloriosum*, quia ibi multa facta sunt & fiunt miracula. Nam peccatores convertuntur, Dœmones fugantur, morbi curantur &c.

Gloriosum est denique Sepulchrum Christi, quia *Sancta Helena*, Constantini Imperatoris *Mater*, illud magnificentissimo Templo exornavit, & quia Fideles, hebdomada Sancta quotannis solent, splendidum & Regium Christo Passo & mortuo, per universum orbem Catholicum, Sepulchrum excitare, ejusque Sepulturam gloriosam repræsentare.

Q. Estne res Sancta adire Jerosolimam, & sepulchrum Christi visitare?

R. Si id fuerit familiare Sanctis viris, imo & fœminis ut *Mariæ Ægyptiacæ*, *Hortulanæ*, Matri S. Claræ, *Beatæ Michelinæ*, & multis aliis, ut innumera probant exempla, Sanctum certe & meritorium esse credendum est.

Sepulchrum Christi, ait Sanctus Bernardus, *inter loca devotionis quodammodo tenet Principatum, & devotionis nescio quid plus sentitur*, ubi Christus mortuus quievit, *quam ubi vivus conversatus est: Et amplius movet ad pietatem mortis, quam vitæ recordatio*: Unde quidam Christianus poeta cecinit:

Felicem Tumulum Sacros qui condidit artus,
Non fuit in toto Sanctior Orbe locus.

Hæc

Huc amor, huc pietas, lacrimarum huc currite fontes
Ista sibi ferri balsama Christus amat.

D E

SEPULCHRIS ET RITU CATHOLICO

Sepeliendi Mortuos.

Q. QUid est Sepulchrum?

R. Est locus concavus in quo ossa mortuorum condiuntur. *Inventa est*, inquit S. Thomas, *Sepultura, ne horror & fœtor sit vivis, & ad fidem Resurrectionis futuræ*, in 4. sent. Dist. 15. quæst. 2. art. 3.

Q. Fuitne apud omnes gentes cura & sollicitudo Sepulchri?

R. Ita. Nihil enim magis naturæ consonum est, quam sepulturæ rationem habere & mortuis corporibus honorem exhibere.

Abraham certe emit agrum quadrigentis siclis ad sepeliendam Saram uxorem suam. Jacob adjuravit filium suum Joseph, ut cum ex Ægypto essent egressuri, efferrent ejus ossa sepelienda in paterno sepulchro in Palestina. Similiter adjuravit Joseph fratres suos. Unde mortuus cum esset, ejus cadaver aromatibus conditum in loculo repositum fuit, mansitque in Ægypto, donec posteri illius ossa asportarent in Terram Chanaam.

Deus ipse mortuum Moysen sepelivit manibus Angelorum in valle Terræ Moab contra Phegor, & *non cognovit homo sepulchrum ejus*, Deut. 34.

Decollato jussu Herodis Joanne Baptista, *venerunt Discipuli ejus, & tulerunt corpus, & sepelierunt illud*, Matth. 14.

Ex his & aliis manifeste apparet, quanta fuerit apud omnes gentes sepulturæ Religio, sic ut violatores sepulchrorum gravi supplicio afficerentur. *Tit. de Rel. cap. de Sepulchro violato.*

Q. Quamobrem defunctorum corpora sepulturæ traduntur?

R. Jam ad hoc quæsitum responsum fuit ex Sancto Thoma, ne scilicet cadavera, si inhumata jacerent, fœtore aerem corrumperent, & aspicientibus horrorem incuterent; sed etiam ne injuriæ inferretur Defunctis hominibus, si bestiis eorum corpora æquarentur, & potissimum ut illius consideratione moneremur conditionis nostræ mortalis, & certam spem conciperemus Resurrectionis futuræ.

Unde a Latinis duo nomina sepulturæ locis imposita reperiuntur: *Sepulchrum*, quasi sepultum, vel ut aliis placet, semipulchrum. Nam sepulchra deforis apparent dealbata, marmorea, pulchra, at intus sunt plena ossibus mortuorum, & horrorem inferunt aspicientibus.

Alterum nomen est *Monumentum*, quasi monens aut commovens mentem, ut de morte cogitet: Unde videtur memoriæ causa fieri, ut adnotavit Festus.

Q. Estne officium sanctum sepelire mortuos?

R. Maxime, cum inter misericordiæ opera recenseatur. Commendavit David multum Jabes Galaad, eo quod cadavera *Saulis & Jonathæ*, & filiorum ejus reverenter tradiderunt sepulturæ, 1. *Reg. cap.* 31. *&c.*

Tobias cum periculo vitæ corpora occisorum rapiebat, eisque sepulturam sollicitus exhibebat, *Tob.* 2. *&* 12.

Laudatur Judas Machabæus quod interfectos in prælio honeste sepeliri, precesque & sacrificia pro eis offerri jusserit, 2. *Mach.* 12.

Discipulorum Joannis Baptistæ pietas ab Evangelistis notatur, quod eo

decollato, corpus ejus tulerint & sepelierint illud. *Matth.* 11.

Nicodemi & Josephi ab Arimathæa circa Christi corpus sepeliendum pietas & religio in Evangelio diligenter commemoratur, *Matth.* 27.

Q. *Quid si quis corpus suum insepultum relinqui mandaret, essetne illi parendum?*

R. Non esse illi obtemperandum communis & certa opinio est, *per. L.* 27. *ibid.* Unde cum quidam in suo testamento Hæredem constituisset, sub conditione, *si Reliquias ejus in mare abiiceret*: quæsitum fuit, cum Hæres institutus conditioni non paruisset, *an expellendus esset ab hæreditate?*

Responsum fuit, *laudandum magis, quam accusandum Hæredem*, qui Reliquias Testatoris, non in mare secundum ipsius voluntatem abjecit, sed memoria humanæ conditionis sepulturæ tradidit. Proinde detestandi sunt, & quidem merito, qui sepulturam contemnunt, quales apud veteres Diogenes, & Demosthenes, *Teste Luciano*.

Q. *Quid intelligitur per sepulturam Ecclesiasticam?*

R. Dicitur sepultura Ecclesiastica, quando cadaver tumulatur in loco ad sepulturam ab Ecclesia deputato & benedicto, idque adhibitis certis Ritibus, cœremoniis, precibusque, ut ad solatium prosint vivorum, & ad memoriam ac utilitatem conducant defunctorum.

Hæc loca particularia recondendis mortuorum cadaveribus, alio nomine *cœmeteria*, quasi dormitoria vocantur; Ab Ecclesia ideo constituta sunt. 1. Ut sicut Fideles unanimes inter se vixerunt, ita & mortui ab invicem non separentur. 2. Ut in uno loco requiescant & dormiant, qui una voce ad Resurrectionem sunt excitandi: *Surgite mortui, venite ad judicium*.

Q. *Cur cœmeteria juxta Sacras Ædes constituuntur?*

R. Ut transeuntes frequenter meminerint mortis & mortuorum, & illos Deo & Sanctis, in quorum honorem consecrata sunt Templa, commendent.

Q. *Qui sunt præcipui Ritus, quos servat Sancta Romana Ecclesia in Fidelium sepultura?*

R. 1. Aspergitur funus aqua benedicta, ut defunctus significetur fuisse Christianus baptizatus.

2. Thurificatio adhibetur, ut pro defuncto pias preces & ignitas charitate, Deoque odoriferas, offerre nos significemus.

3. Psalmi, & orationes pro spiritibus defunctorum ex Majorum traditione, & Apostolorum exemplo Deo persolvuntur.

4. Campanæ pulsantur, ad significandum Angelicæ Tubæ sonum, quæ mortuos vocabit ad Judicium, sicut campanæ sono corpus vocatur ad sepulchrum. Lugubris autem est campanarum sonus, sicut & Ecclesiæ cantus, ut ad compasionem excitet.

5. Cereis utimur significantes quod defunctus lumen Fidei in Baptismo acceptum, in finem usque conservarit, & cum lumine gratiæ decesserit, optantes ei lumen gloriæ. Hinc illud: *Lux perpetua luceat eis*.

6. Crucem deferimus, quia, cum viveret defunctus, sub Crucis vexillo militavit: unde oramus ut meritorum Crucis jam particeps fiat.

7. Denique magnus hominum numerus comitatur, tum ut pro anima orent, tum ut significemus justorum animas ab Angelorum Choris deduci, sicut Lazarum in sinum Abrahæ ab Angelis deportatum fuisse, Evangelista refert.

Homines vero nigris vestibus induti sequuntur, ut luctum testentur de amici obitu, de cujus anima necdum certi sumus in gloriam introisse, sed timemus ne per Purgatorii pœnas debeat transire.

Q.

Q. Quinam de jure ab Ecclesiastica sepultura arceantur?

R. Catholici non quosvis promiscue ad cœmeteria sua, sive Ecclesiasticam sepulturam admittunt. Excluduntur namque Sacrorum Canonum decretis.

Primo Sequentes relati in Rituali Romano *Pauli Quinti* Pontificis Maximi jussu edito, *Titulo de exequiis*: nempe Pagani, Judæi, Ethnici, Infideles omnes, Hæretici & eorum fautores, Apostatæ a Christiana fide, Schismatici, & publice Excommunicati majori excommunicatione, interdicti nominatim, & ii qui sunt in loco interdicti, eo durante.

Secundo se ipsos occidentes ob desperationem, vel iracundiam (*non tamen si ex insania id accidat*) nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ.

Tertio morientes in Duello, etiam si ante obitum dederint signa pœnitentiæ.

Quarto manifesti & publici peccatores, qui sine pœnitentia interierunt.

Quinto ii, de quibus publice constat quod semel in anno non susceperint Sacramenta Confessionis & Communionis in Paschate, & absque ullo signo contritionis obierunt.

Et tandem Infantes morientes absque Baptismo.

Horum omnium cadavera, si internosci queant, exhumanda sunt, & in prophanum locum abiicienda, ex decreto Sacrorum Canonum: Et hoc propter reverentiam, quæ cœmeteriis, aliisque sacris locis debetur.

Solet interim in plerisque locis in area cœmeteriorum certus locus designari, qui non benedicitur, pro sepultura parvulorum decedentium sine Baptismo, ne eorum corpuscula a canibus effodiantur aut indebite tractentur.

Q. Suntne sepeliendi ii qui supplicio afficiuntur?

R. Hodie secundum communem consuetudinem, in furca, patibulo, & rota relinqui cernimus, qui illis suppliciis affecti sunt: Verum si inspiciamus Jura, contrarium servari deberet; Cautum siquidem *in Lib. 1. & Lib. 3. D. de Cadaver. Punit.* corpora eorum qui morte damnantur, cognatis ipsorum neganda non esse: item, quibuslibet petentibus ad sepulturam danda esse. Ita factum est circa Sacrum Jesu Christi Corpus, quod Pilatus Josepho ab Arimathæa petenti tradidit sepeliendum.

Accedit Jus Divinum in Deuteronomio cap. 21. v. 22. & 23. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo: non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur.*

Item Apocalipsis cap. 11. refertur inter notas Anti-Christi, *corpora defunctorum non sepelire.*

Insuper Jura Canonica simpliciter & indistincte loquuntur dum dicunt posse corpora damnatorum sepeliri, ut est Textus in cap. *Quæsitum* 53. quæst. 2. & *Placuit.* 23. q. 5. & Clem. 1. de pœn. & Remiss.

Expedit tamen aliquando, ut Maleficorum cadavera relinquantur avibus carnivoris devoranda ad terrorem aliorum & justitiæ commendationem. Quomodo & capita & membra proditorum & hostium Reipublicæ in portis & pontibus, latronum vero in viis publicis videnda ponuntur.

Q. Possuntne solemnes exequiæ fieri pro iis quos Justitia sepeliendos reliquit, aut tradidit?

R. Certe non decet, ut pro talibus, qui scilicet in justam scelerum suorum vindictam turpi & ignominiosa morte affecti sunt, solemnes fiant exequiæ, pro ut fiunt pro aliis Christianis, qui cum honore vitam finierunt.

Pie tamen faciunt amici & consanguinei qui *privatim* pro eis orant, Sacri-

crificia offerunt, vel curant offerri, eleemosinas largiuntur, & alia satisfactoria opera exercent.

Q. Quæ utilitas mortuis ex sepultura accedit?

R. Multiplex.

Prima, quod consulitur honori eorum, adhuc in hominum memoriis viventium: Non enim caret ignominia quadam, quod fœditas nostri corporis aliorum conspectibus pateat: quo circa non levis pœna judicatur, cum quis a judice privatur sepultura, & jubetur in patibulo aut rota pendens esse avium esca.

Secunda, quod satisfit desiderio eorum, quod dum viverent habuerunt; nemo enim est qui carnem suam odio habeat, ut dicitur Ephes. 5. Et ideo quisque dum vivit cupit etiam post mortem corpus suum honeste tractari: imo credibile est, animas corpore solutas cupere, ut corpora eorum honeste habeantur, sicut etiam cupiunt ad ea reverti, ut docet Augustinus Lib. 12. de Genes. cap. 35. atque hinc videmus *Prophetæ inobedienti* datum in pœnam, ut non sepeliretur cum Patribus suis, 3. Reg. 13.

Tertia utilitas nascitur ex eo quod a multis deducuntur ad sepulchrum: Hinc enim per accidens fit ut a multis pro eis oretur &c.

DE
BENEFICIIS MORTIS CHRISTI.

Q. Cur Jesus Christus mortem pro nobis subire dignatus sit, & quæ bona ex sacro illo fonte in nos emanarunt?

R. Sequentia non satis æstimanda.

1. Liberatio a peccato: *in quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus remissionem peccatorum*, ad Ephes. 1. *Lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo*, Apoc. 1.

2. Liberatio a Diaboli tirannide, quod significavit Christus dicens: *nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*, Joann. 22. Dominabatur Diabolus in cordibus hominum; per Fidem autem Christi, quæ morte ejus & resurrectione firmata est, a dominatu Diaboli liberantur, ait August. *tract.* 52. *in Joannem*.

3. Solutio pœnæ peccatis nostris debitæ, quam homo purus exhibere non poterat: *Christus nos redemit de maledicto Legis*, ad Gal. 3.

4. Reconciliatio peccatorum cum Deo Patre, juxta illud: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, 2. Corinth. 5.

5. Cœli reseratio, etenim per peccatum interclusus erat Regni cœlorum aditus; sed Christus per passionem suam januam aperuit: *Habemus fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi*, Heb. 10.

Q. Mortuus est ne Christus pro omnibus omnino hominibus, an solum pro Electis?

R. Dogma Fidei est, Christum non solum pro Electis, seu prædestinatis, ut impie volunt *Calvinus & Jansenius*, sed pro omnibus & singulis hominibus, etiam reprobis, mortuum esse & Sanguinem fudisse.

Hæc veritas inconcusse probatur multis Sacræ Scripturæ locis: *ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.... Omnes nos erravimus... Et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*, Isaia 53.

Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum Mundi, Joann. 1. non dicit peccatum aliquorum de mundo, sed mundi indefinite, id est, *omnium*.

Sanctus Paulus orationes pro omnibus fundendas esse declarans, ait: *Hoc bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes vult salvos fieri*: Et statim addit. *Qui dedit redemptionem*

nem semetipsum pro omnibus, 1. Tim. 2. Et alibi: *Pro omnibus mortuus est Christus*, 2. Corint. 5. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem*, Hebr. 2.

Qui est Salvator omnium hominum, 1. Tim. 4.

Ipse est, Jesus-Christus, *propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, 1. Joann. 2.

Articulum hunc Fidei confirmat Symbolum Constantinopolitanum: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.... Crucifixus, Passus &c.* Non ait, propter Fideles vel propter Electos, sed *propter nos homines*, ut significet Christum ad singulos homines redimendos passum esse.

Merito igitur damnata est ut impia, blasphema, divinæ derogans bonitati, & hæretica hæc quinta Jansenii propositio: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*.

Q. *Si Deus pro omnibus mortuus sit, omnesque redemerit, velitque omnes salvos fieri, quare non omnes salvi fiunt, cum nemo ejus voluntati resistere valeat?*

R. Si omnes salvi non fiant, hoc non provenit ex parte Dei, sed ex propria malitia eorum qui pereunt. Omnes redemit Christus, sufficienter pro omnibus satisfecit, nulli gratiam sufficientem denegat, & quantum est *ex se* sincere vult omnes salvos fieri, si omnes suis mandatis obtemperare velint: V.G. si quis daret pretium sufficiens pro redimendis omnibus captivis alicujus urbis; quidam tamen propria voluntate egredi nollent e captivitate, sed mallent in ea remanere: iste diceretur omnes sufficienter redemisse, non tamen *efficaciter & de facto*, quamdoquidem aliqui non essent de facto redempti.

Idem videtur dicendum de Christo: Omnes homines redemit sufficienter, quia sanguinem suum, & mortem suam obtulit tanquam prætium redemptionis omnium; at non omnes redemit efficaciter & de facto: Et hoc verum est, non ex defectu prætii, sed quia multi nolunt frui beneficio redemptionis ejus, quia malunt degere in captivitate perpetua peccati, quam obtemperando ejus mandatis frui libertate Filiorum Dei: unde per eos stat, si non salventur.

Q. *Cur in consecratione Calicis dicitur sanguis Christi effusus pro multis, & non pro omnibus, si pro omnibus passus sit Christus?*

R. In Passione Christi duo consideranda sunt. Primo virtus Passionis, & hæc respicit omnes, & nullum excludit. Secundo fructus quem homines ex illa percipiunt. Et hic non respicit omnes, quia non omnes se reddunt capaces virtutis illius, ideo dicitur *pro vobis & pro multis*.

Q. *Quomodo distinguuntur virtus, & fructus Passionis?*

R. Tanquam causa, & effectus: sicut enim virtus solis, est *causa*, & fructus arborum est *effectus*; Et virtus medicinæ est *causa*, sanitas vero est *effectus*, & *fructus* illius: ita virtus Passionis est *causa*, fructus vero & utilitates quas homines accipiunt ex illa, sunt *effectus*.

Q. *Quare cum virtus Passionis sit ad omnes, fructus illius pro multis, & non pro omnibus sunt?*

R. Quia sicut infirmus potest nolle bibere medicinam sibi paratam, in qua sit virtus sanandi illum; ita homo per liberum arbitrium potest respuere virtutem Passionis Christi sibi oblatam; unde privabitur fructu illius; Et sic fit ut multi priventur fructu Passionis Christi,

Verum, ajunt Patres Concilii Tridentini Sess. 6. cap. 3. *verum, & si ille*, Christus, *pro omnibus mortuus est, non*

 omnes

omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt. Quare non recipiunt ? quia nolunt.

Q. *Quomodo intelligendi sunt alii Scripturæ textus, in quibus dicitur Christus dare animam suam redemptionem pro multis* ?

R. Quod *multi* & *omnes* unum & idem significant, cum omnes reipsa sint *multi*, & in Sacra Scriptura non raro unum pro alio usurpetur: Sic S. Paulus 1. Tim. cap. 2. ait: *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*.

Nullus tamen dicere audebit expresse illum contradixisse Matthæo, cum & alibi dicat: *unius delicto* multi *mortui sunt*, ad Rom. 5. v. 15. & v. 18. Et *per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, ex quibus textibus apparet quod indifferenter utatur nomine *multi*, & nomine *omnes*, ut suadeat hæc duo nomina unum & idem significare aliquando in Scriptura Sacra, præsertim in his in quibus agitur de morte & passione Christi, aut de remissione peccatorum.

Audiant hæretici pro fine hujus controversiæ Apostolum dicentem: *Tradidi vobis quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas*. Non dicit pro peccatis aliquorum, electorum, prædestinatorum, sed pro peccatis omnium, & singulorum hominum.

Q. *Christus dicens se ponere animam pro ovibus*, Joann. 10. *Non esse missum nisi ad oves quæ perierunt Domus Israel*, Matth. 15. *Non orare pro mundo, sed pro his, quos illi dedit Pater*, Joann. 17. *Numquid elici potest solum pro prædestinatis mortuum esse* ?

R. Minime. Præfati textus facile explicari possunt.

Ad Primum, sicut & ad alios similes dicendum, quod sicut Christus est pastor universalis, ita omnes homines sunt ejus oves, unde pro omnibus omnino hominibus animam posuit.

Ad Secundum, licet particula *nisi* exclusiva videatur, nihil tamen aliud insinuare voluit Christus, nisi se esse missum *principaliter & primario* pro Judæis; *minus vero principaliter & secundario* pro aliis hominibus.

Vel quod ipse non nisi Judæos vocare *per se* venerat, cum reliquæ nationes vocandæ essent per *Apostolos*: non enim totum orbem Christus peragravit, ut Evangelium & Fidei lumen diffunderet, sed solum Judæam ipse edocuit; Discipulos autem misit Gentibus prædicare.

Ad Tertium dicendum, quod Christus tunc particulariter oraret pro Apostolis & Discipulis, mox oraturus pro Paganis & aliis; quasi diceret: *De meis Discipulis nunc supplex venio*; *primas illi animi mei curas merentur*, *quia tui sunt, & mihi eos dedisti*. Versu enim 20. ait: *Non pro eis autem rogo tantum; sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*.

Deinde, ex textibus relatis & nonnullis aliis similibus, etsi colligi possit Christum complete & efficaciter mortuum esse pro Ovibus suis, pro Populo suo, pro Ecclesia, pro Electis & Prædestinatis, qui Gloriam cœlestem, quæ finis est, & meritum Passionis suæ consecuti sunt, & consequentur: Hoc tamen non excludit ipsum Christum mortuum fuisse pro omnibus & singulis hominibus, ut clare demonstratum est superioribus Sacræ Scripturæ textibus, qui nullam restrictionem habent; nec illis isti sunt contrarii, licet aliquam restrictionem habere videantur, ut consideranti patebit.

DE

DESCENDIT AD INFEROS,

Tertia Die Resurrexit a Mortuis.

Q. QUid *credendum nobis proponit hic articulus* ?

R. Quod mortuo Christo Anima ejus Divinitati conjuncta ad inferos descenderit, ibique tamdiu remanserit, quamdiu ejusdem corpus in sepulchro fuit ?

Q. *Quid sunt Inferi* ?

R. Sunt quædam loca in quibus detinentur animæ extra Beatitudinem constitutæ.

Q. Quot sunt ejusmodi loca ?

R. Tria fuisse ante Christi Domini Resurrectionem docet Concilium Tridentinum, scilicet Infernum damnatorum, Purgatorium, & Lymbum.

Infernus damnatorum est infima regio terræ, sive carcer teterrimus, ubi reprobi perpetuo inextinguibili igne cum Dœmonibus torquentur. Hic propria significatione *Infernus* vocatur.

Purgatorium locus est, in quo piorum animæ pœnis peccatorum obnoxiæ ad certum tempus cruciatæ expiantur, ut eis in Æternam Patriam pateat aditus, in quam *nihil coinquinatum* introire potest.

Limbus est subterranea regio, duabus illis superior, in qua animæ Sanctorum, quibus nulla pœna solvenda supererat, ante Christi adventum excipiebantur, ibique sine ullo doloris sensu, beata Redemptionis spe sustentatæ, quieta habitatione & consolatione fruebantur.

Q. *Ad quem istorum locorum descendit Christus* ?

R. Ad Limbum Patrum, qui etiam *Abrahæ Sinus* dicitur. De hoc descensu vaticinatus fuerat Propheta Regius: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, Psalm. 15. Quem textum de Christo Jesu explicat Sanctus Petrus: *Providens locutus est de Resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem*, Actorum cap. 11.

Q. Cur descendit ad Limbum Patrum ?

R. Ut animas Patriarcharum, Prophetarum, & Justorum omnium ibi detentorum sua præsentia lætificaret, & gloria sempiterna donaret, eas secum in cœlum trahens. Tunc impletum est quod Latroni promiserat: *Hodie mecum eris in Paradiso*, id est in Limbo, qui per Adventum Christi in verum Paradisum fuerat conversus.

Q. *Quid ibi agebant Sancti Patres* ?

R. Toti erant in desideriis adventus Messiæ, qui eos e lacu isto liberaret, & sui visione æternum bearet. Cœlum enim, cujus clavis Christi sanguis est, nondum erat apertum.

Q. *Descenditne etiam ad Infernum damnatorum* ?

R. Sic creditur: non tamen pœnas Inferni sustinuit, ut impie sentiunt Hæretici, cum illuc descenderit inter *mortuos liber*, Psalm. 87. & *Victor*, ut Dœmones virtute sua, summaque potestate profligaret, ut *in nomine Jesu omne genuflectatur Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum*, Philip. 2.

Q. *Quid sentis de animabus Purgatorii, an aliquas Christus liberavit* ?

R. Pie creditur Christum descendentem ad Purgatorium, illorum animas liberasse quæ jam satis erant expiatæ.

Nullatenus tamen dubitandum est, quin omnes incredibili solatio, & gaudio affecerit, omniumque pœnas moderatus sit, id enim colligi potest ex illo divino oraculo: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*, Eccles. 24.

DE
INFERNO DAMNATORUM.

Q. *Daturne talis infernus, in quo puniuntur Dæmones, & peccatores impœnitentes post mortem?*

R. Nullum talem infernum a Deo fuisse creatum dixerunt olim *Albanenses*, circa annum 796. & post ipsos nonnulli alii hæretici, docentes, nullum esse aliud supplicium, nisi illud, quod in hoc mundo patimur, in pœnam delictorum nostrorum.

Quod autem talis infernus existat, eruitur ex multis S. Scripturæ locis. De Core, Dathan, & Abiron, qui seditionem moverant, & alia crimina perpetrarant, dicitur: *dirupta est terra sub pedibus eorum, descenderuntque vivi in infernum*, Num. 16.

Item: *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima*, Deut. 32. Item: *Erubescant impii, & deducantur in infernum*, Psal. 36. Item: *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, Job. 21.

Sunt alia prope innumera Scripturæ loca, ex quibus probatur, quod non solum detur infernus; sed quod sit in centro terræ, ut denotat hoc verbum, *descendere*.

Deinde accedit omnium Theologorum, & fidelium consensus. Solus igitur impius potest dicere non esse alibi infernum, quam in hac vita: Aliter enim judicabit, si ex hoc mundo impænitens discesserit.

Q. *Quid igitur est infernus ille damnatorum?*

R. Est locus horridus, tenebrosus, pœnalis, in centro terræ, idest, in medio terræ situs, in quo Dæmones, & animæ perversæ, a corporibus sejunctæ detinentur; post resurrectionem vero etiam corpora in perpetuum ibi recludentur.

Q. *Quales sunt pœnæ infernales?*

R. Sunt acerbissimæ, acutissimæ, horribilissimæ, intolerabilissimæ, perpetuæ &c.

Audiatur Augustinus: *De aquis nivium*, inquit, *transibunt damnati ad calorem nimium, de quibus duobus innumera pendent pœnarum genera*, videlicet, *sitis intolerabilis, pœna famis, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, severitas tortorum, præsentia Dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientiæ, ignitæ lacrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine &c.* Libr. de Tripl. habit. cap. 2.

Q. *Quot sunt tormentorum genera in inferis?*

R. Quam plurima jam superius ab Augustino relata.

Dionisius vero Carthusianus undecim distincte enumerat hoc ordine, *lib. de 4. Noviss.* Et sunt, ignis, frigus, vermium morsus, fætor, aspectus Dæmoniorum, fames, sitis, ligatio damnatorum, horrenda caligo, locus, privatio Beatæ visionis, &c.

Q. *Quid præstabit ignis?*

R. Unumquemque juxta sua torquebit demerita, prout habetur in Apocalipsi: *quantum glorificavit se, & in deliciis fuerit, tantum date illi tormentum*, Apocal. 18. Et quoniam in vitiis carnis sunt ardor concupiscentiæ; immunditiæ fætor, & delectatio major; ideo *vitia illa* infernali incendio, specialiter æstuante ac fætido, utpote igne sulphureo, *acerrime puniuntur*. Unde si pro uno peccato mortali infligitur tanta punitio, quam ineffabiliter punientur infernali incendio, ac cæteris pœnis gehennæ, qui multis & magnis mortalibus peccatis inquinantur, ac sordent, præsertim qui vitiosis consuetudinibus sunt oppressi?

Et-

Et quantumvis dicatur, quod omnes damnati uno igne torquentur, videtur tamen rationabiliter dici posse, quod in diversis locis inferni sint *ignes particulares impares in calore*, & quod graviora peccata in calidioribus ignibus puniantur.

Q. *Quale est infernale frigus?*

R. Acutissimum, ac vehementissimum est, quod etiam reprobos magis, aut minus punit, penetrat & constringit, secundum quod magis, aut minus vitiosi existunt. Specialiter hoc frigore cruciantur acediosi, ac pigri, qui tarditatis suæ torpore a divino retrahuntur obsequio; ideo constringuntur gehennali algore, indicibiliter tremunt, & dentibus gravissime strident. *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet*, Psalm. 113. Quod autem ibi sit frigus, asserit S. Job his verbis: *ad nimium calorem transiet ab aquis nivium; & usque ad inferos peccatum illius*, Job cap. 24.

Q. *Quæ est tertia inferni pœna?*

R. Est morsus, turpitudo, & horror vermium edacissimorum, juxta illud Isaiæ cap. 66. *Vermis eorum non morietur*. Et in Ecclesiastico, cap. 1. *Vindicta carnis impii, ignis & vermis*, Judith quoque, cap. 16. ait: *Dominus Omnipotens dabit vermes in carnes eorum*. Et quanto quis in vita præsenti turpioribus inquinatur sceleribus, tanto illic a monstruosioribus, turpioribus, crudelioribus, ac horribilioribus vermibus affligetur, mordebitur, & operietur quæ autem hic de vermibus allegantur, *Haymo* & alii quidam, de corporalibus intelligunt vermibus: alii verò dicunt esse ea spiritualiter intelligenda.

Q. *Quid de fætore, quarta inferni pœna sentiendum?*

R. Certe pœnalissimus est, & talis, quo odoratus damnatorum amarissime affligitur, & specialiter nominatur *fætor sulphureus*, qui lamentabiliter cruciat: unde in Apocalypsi cap. 21. asseritur: *Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure*. In *stagno*, inquit Joannes, quod scilicet immobiles, & fœtidas alit aquas, non decrescit, non emittitur, non siccatur.

Q. *Unde oritur ille fætor?*

R. Ex putridissimo stagno, immundissima cloaca, & ex fætidissimis damnatorum corporibus, de quibus prædixit Isaias, cap. 34. *de cadaveribus eorum ascendet fætor*. Sicut enim corpora Electorum suavissime redolebunt; ita obscænæ reproborum carnes admodum maleolentes erunt.

Q. *Quodnam est inferni quintum supplicium?*

R. Est horrendus aspectus dœmoniorum, & omnium damnatorum, quorum animæ dœmonibus in turpitudine assimilantur, & quorum corpora *post diem judicii* erunt difformiora, & ad intuendum horribiliora, quam quando erant in monumentis a vermibus pro media parte corrosa, & serpentibus, bufonibusque operta.

Denique si tam ineffabiliter horribile, & penale est, dœmonem unum in sua deformitate conspicere, ita ut aliqui hoc experti testati sint, se malle ardentem fornacem intrare, quam diabolum sic videre; quam inopinabiliter erit pænosum tot malignissimos, turpissimos, ac furiosissimos spiritus perpetuo intueri?

Q. *Quæ est sexta damnatorum pœna?*

R. Est ferventissima fames, juxta illud: *famem patientur ut canes*; Et quanto quis in hac vita *golosior est*, & delicatius, atque intemperantius vivit, jejunia quoque Ecclesiæ frangit, & aliorum bona consumit, aut *Ecclesiasticos redditus* indigne devorat, & expendit; tanto intolerabiliori fame cruciabitur in inferno.

Propter quod in Evangelio loquitur Filius Dei: *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis*, Luc. 6.

In Isaia quoque cap. 65. loquitur Deus iniquis, & condemnatis. *Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: Ecce servi mei bibent, & vos sitietis: Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis.*

Hinc in Ecclesiastico cap. 15 sapienter consulitur: *ante obitum tuum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibos.*

Stimulati damnati a furibunda fame semper edere cupient, & quod edant non habebunt unquam. Vehementissima sitis ipsos continuo cruciabit, nec erit qui potum, nequidem guttulam aquæ, eis porrigat.

Q. *Quid de siti damnatorum, quæ septima est inferni pœna?*

R. Sitis eorum est arida, ignea, rabida, ardentissima, & inexplebilis.

Hac siti præcipue torquebuntur potatores, & ebriosi, ac vinolenti, quibus dicitur per Isaiam cap. 25. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & ad potandum usque ad vesperam.* Verum præfata fame, & siti potissime affligentur immisericordes, qui esurientes non pascunt pro viribus, nec sitientibus poculum præbent,

Item ii, qui variis generibus prætiosorum ciborum, ac potuum replent corpora sua, quod aliqui faciunt, etiam ex *Ecclesiaticis bonis*, nec compatiuntur pauperibus, & vix siccum panem, aut haustum vini, vel aquæ frigidæ tribuunt eis.

Q. *Habemusne istius supplicii aliquod exemplum.*

R. Certe, ex ipsomet Evangelio, in persona divitis Epulonis: *Cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, & Lazarum in sinu ejus: & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*, Luc. 16. v. 23. &c.

Observate modestas ejus preces. Non aquæ labrum, non vini dolium postulat; sed quod inter omnia vilissimum est, vel guttulam aquæ rogat, nec tamen impetrat; minimum hoc refrigerium semper ei denegabitur.

Recordare fili, respondit Abraham, *quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Fili, vide ait S. Chrysostomus, Patriarchæ bonitatem, *filium vocat*; *non tamen præbet auxilium ei, qui se remedio privaverat.* Nam, ut ait Nyssenus, *quia non fuit misertus, idcirco non exauditur*

O Dives! exclamat Augustinus, *qua fronte quæris guttam, qui noluisti porrigere micam?* Serm. 110. de Temp.

Q. *Cur diviti huic in extrema fame, sitique; negatur minima gutta aquæ?*

R. Videtur quidem, quod hospitalitatis amantissimus Abraham potuisset ipsi concedere id quod tam humiliter exigebat, maxime cum gutta una aquæ vehementissimum, intolerabilemque sitis ardorem extinguere non valeret: imo nec tota maris, fluviorumque aqua inferni flammas mitesceret. Cur ergo minimum hoc solatium, *si solatium dici potest*, in æternum ipsi Epuloni denegabitur?

Ratio esse potest, quod sicut Sancti in Cœlo gaudiis, voluptatibusque plenissimis, & refertissimis fruuntur, sine ulla vel minima mæroris mixtura; ita damnati in inferno crudelissimis suppliciis afficiuntur sine ullo, vel minimo lenimento, sine solatio, sine interruptione ulla, vel laxamento.

Q. *Quæ est Octava inferni pœna?*

R. Pœna illa est ligatio, & vinculatio damnatorum, pro ut in Evangelio Dominus loquitur de damnando: *Ligatis manibus, & pedibus proiicite eum*

tum in tenebras exteriores , Matth. 22.

In inferno namque potiſſime adimplebitur , quod Salomon dixit: *iniquitates ſuæ capient impium* , *& funibus peccatorum ſuorum conſtringetur* , Prov. 5.

Hic Iſaias Propheta cap. 24. aſſeruit de iniquis: *Congregabuntur congregatione unius faſcis* , *& claudentur in carcere* .

De quibus Chriſtus perhibet ſe dicturum : *Alligate ea* , puta zizania , per quæ reprobi deſignantur , *in faſciculos ad comburendum* .

Q. *Quid ulterius cruciat damnatos* ?

R. Nona pœna ipſorum eſt horrenda caligo , cujus figura in Ægyptiis præceſſit , apud quos fuerunt tribus diebus tenebræ tam denſæ , quod palpari valebant: quibus tenebris infernalis caligo mirabiliter horribilior eſt : propter quod a Job cap. 10. infernus vocatur *terra operta mortis caligine*, *terra miſeriæ & tenebrarum* .

De hac tenebrarum pœna Chryſoſtomus : *Plorabunt omnes triſtiſſime* , inquit , *flamma ipſis vehementius incumbente . Neminem videbunt præter condemnatos*, ad Theod. Lapſum.

Ignis ergo infernalis tantum de luce habebit , ut infælices illæ creaturæ ſe mutuo poſſint inſpicere .

Nec obſtat , quod ſcribit S. Gregorius : *ignis infernalis concremationem habet* , *ſed lumen non habet* ; *flamma illa comburit* ; *ſed tenebras non expellit* , Lib. 9. Moral. cap. 46 Quia licet ignis ille ad conſolationem non luceat, *ut ſubdit ibidem*, tamen, ut magis torqueat, ad aliquid lucet, quia ſequaces ſuos ſecum in tormentis, *flamma illuſtrante*, reprobi ſunt viſuri .

Ignis itaque, qui obſcuritate cruciat , lumen ad tormentum ſervat .

Q. *Quæ alia eſt pœna inferni* ?

R. Decima pœna inferni eſt turpiſſima , horribiliſſima, ac fœdiſſima diſpoſitio loci , cujus turpitudini, & fætori , immunditiæ, & horrori , nulla cloaca , nulla putredo , nullum deſertum , nullum cadaver poterit comparari , &c.

Q. *Eſtne ulterior pœna damnatorum?*

R. Undecimo loco reponitur *pœna damni* , videlicet carentia Beatæ Viſionis , & privatio omnis ſalutis , inopia maxima , deſperatioque extrema.

Aliæ quoque plurimæ pœnæ ſunt in damnatis , videlicet mæror, dolor, & pavor. *Mæror* de bonis amiſſis: *Dolor* de tormentis ſemper præſentibus: *Pavor* de malis futuris , & nunquam terminum habituris .

AUDIANT PECCATORES .

„ QUis putas tunc mæror erit, quæ
„ triſtitia , cum ſeparabuntur im-
„ pii a conſortio Sanctorum , & a Vi-
„ ſione Dei , & traditi in poteſtatem
„ Dæmonum , ibunt cum ſceleratis in
„ ignem æternum ?

„ Ibi ſemper erunt ſine fine in lu-
„ ctu , & gemitu ; ubi erit dolor in-
„ tolerabilis , fætor incomparabilis ;
„ mors corporis , & animæ , *ſine ſpe*
„ *veniæ*, *& miſericordiæ* ; Ubi nec qui
„ torquet, aliquando fatigatur, nec qui
„ torquetur , aliquando moritur : ſed
„ ſic morientur, ut ſemper vivant ;
„ & ſic vivent , ut ſemper moriantur.
Hug. Lib. 1. *de anima* .

Q. *Eſtne ignis infernalis verus*, *realis*, *an metaphoricus* ?

R. Ignem infernalem vere phyſicum eſſe , realem , & corporeum , univerſa credit Eccleſia . Colligitur ex Scriptura , ubi Deus dicit : *ignis ſuccenſus eſt in furore meo* , *& ardebit uſque ad inferni noviſſima*, Deuter. 32. v.22. cum dicitur *ignis ſuccenſus*, verus, & realis ignis exprimitur , qui ſolus poteſt ſuccendi , & ardere ; non vero metaphoricus .

Idem habetur in Psalmo 10. *Pluet super peccatores laqueos, ignis &c.* nam pluere significat effusionem rei substantialis, & realis. Et in Evangelio dicitur, *Gehenna ignis*, & *Caminum ignis*, *& ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo &c.*

Unde sic argumentari potest: Damnati in inferno cruciantur eo igne, quo cruciabuntur cum corpore, & anima simul post judicium: at igne corporeo cruciabuntur, juxta superius dictum: *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus*: nequit enim ignis metaphoricus corpus damnati torquere, ergo vere est corporeus, & realis.

Quomodo autem ignis ille materialis agere possit in Dœmones, & animas, quæ sunt puri spiritus; naturaliter quidem non potest. Verum, cum sit instrumentum divinæ Justitiæ a Deo elevatur, ut tam spiritus, quam corpora inflammare, & torquere valeat, *miris*, ut dicit Augustinus, *sed veris modis*: An cruciat, & torqueat physice, vel intentionaliter? nihil ad nos; disputandum relinquimus Theologis Scholasticis.

Q. *Vermis de quo Isaias dicit quod non morietur, estne verus, realis, & corporeus vermis?*

R. Licet Isaias cap. 66. eodem modo loquatur de vermibus, ac de igne, ut patet ex textu: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* non tamen eodem modo sumendi sunt vermis, & ignis; vermis enim non potest rodere Spiritum, nec ejus substantiam laniare, quia dolor ille causatur a vivente, per actionem vitalem ipsius vermis, qui aliquid de substantia alterius subtrahit, cujus subtractionis, & quasi divisionis non est capax substantia spiritualis, quia est prorsus indivisibilis.

Ideo cum repugnet vermes talem actionem exercere circa spiritum, necesse est, quod *vermis inferni* accipiatur *metaphorice*, seu pro *remorsu conscientiæ*, qui per vermem figuratur, & exprimitur.

De igne autem aliter discurrendum est, quia ignis agit actione mere extrinseca respectu animæ, immittendo scilicet qualitates, vel aliquid ejusmodi, non subtrahendo nec dividendo substantiam spiritualem, quæ est incapax divisionis, & corruptionis.

Igitur non est necesse uti *Metaphora*, ut dolor ignis exprimatur, sicut necesse est ipsa uti, ut exprimatur remorsus conscientiæ.

Deinde fieri potest, quod post ultimum judicium futuri sint veri vermes in inferno, qui corpora damnatorum perpetuo laniabunt, & corrodent.

Q. *Dum Scriptura tribuit damnatis oculos, linguam, digitos, suntne illa intelligenda metaphorice?*

R. Certissime. Evidens enim est spiritum carere membris. Unde quando Dives in inferno sepultus conqueritur de ardore linguæ, & petit digito Lazari intincto aqua refrigerari, non debemus imaginari Epulonem habere veram, & realem linguam, & Lazarum veros, & reales digitos, cum illa repugnent spiritui, ut sunt animæ damnatæ; & sic non nisi *metaphorice* illis tribui possunt.

Non debet tamen quis inferre ignem, pari modo esse metaphoricum, quandoquidem constat aliunde per Sacram Scripturam, ignem infernalem esse verum, atque realem ignem, ut demonstratum est.

Q. *Suntne pœnæ infernales in æternum duraturæ?*

R. Non defuerunt qui pœnæ æternitatem in damnatis negarunt, inter quos *Origenes*, vel potius *Origenistæ* numerantur, qui non solum impiorum hominum, verum etiam Dæmonum tormenta finem habitura, docuerunt.

Dicebant quidem infernum nunquam

finem habiturum; at damnatos non ibi in perpetuum arsuros. Dixit Christus: *ite in ignem æternum*. De æternitate ignis non potest dubitari, bene vero, ajebant, de æterna combustione, quam semel cessaturam falso existimabant, non attendentes ad id quod sequitur: *ibunt hi in supplicium æternum*.

Verum hæc illorum sententia Sacræ Scripturæ, & Patribus contradicit, cum de pœnis inferni *sine ulla limitatione* loquantur.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Isaias cap. 33.

Ignis eorum non extinguetur, Idem cap. 66.

Discedite a me maledicti, ite in ignem æternum: ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam, Matth. 25.

Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, 2. Thessal. 1.

Vinculis æternis sub caligine reservavit, Epist. Judæ v. 7.

Cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum, Apocal. 20.

Eodem modo loquuntur Sancti Patres. *Corpus quod peccato est subditum*, inquit Sanctus Martialis, *in impiorum pœnis æternaliter excruciabitur, cum anima sua*, Ep. ad Burdigal. cap. 4.

Augustinus Lib. de Civit. Dei cap. 9. ait: *Quod de sempiterno supplicio damnatorum per suum Prophetam Deus dixit, fiet, omnino fiet*.

Et Petrus Blesensis ita scribit: *Tota hominis miseri substantia devorabitur inextinguibilibus flammis; nec erit suppliciorum modus, vel intermissio, sive finis*, Epist. 61.

Tandem hæc veritas definita fuit in 6. Synodo *act.* 11. & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *Firmiter &c.* & in pluribus aliis Conciliis Provincialibus, in quibus Origenis errores damnati fuere.

Q. *Quodnam fuit fundamentum erroris Origenistarum?*

R. Illud sumpserunt ex Psalm. 76. in quo Propheta David exprimere videtur, Deum aliquando misserturum damnatorum; sic enim loquitur: *Numquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem? aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?*

Ex quibus verbis concludebant, Deum non punire peccata hominum *pœna æterna*, alias *oblivisceretur misereri, & contineret in ira misericordias suas*.

Aliam auctoritatem adducebant ejusdem Prophetæ: *Non derelinques animam meam in inferno*, Psalm. 13. id est, in pœnis, seu cruciatibus inferni; ergo pœnæ illæ non sunt æternaliter duraturæ, &c.

Sed male capiebant mentem Prophetæ; non enim loquitur de damnatorum liberatione, quos sciebat decreto irrevocabili detinendos esse in inferno, sed de redemptione generis humani a captivitate Dæmonis.

Videns David *in meditatione sua* multitudinem hominum peccatorum, dicebat intra se: *Num proiiciet Deus omnes homines in interitum sempiternum? Ubi est igitur infinita misericordias ejus?* Et respondet, quod Deus in tempore suo visitabit populum suum, ac salvabit eum a peccatis eorum; concludens, futurum aliquando tempus redemptionis generis humani, in quo per misericordiam Dei non solum reliquiæ Judæorum, sed etiam multitudo gentium salvaretur in Sanguine Christi futuri: Unde subdit: *notam fecisti in populi virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum*.

Quod si de damnatis intelligenda velis Prophetæ verba, dicendum, *inquit Augustinus*, quod in ira sua non continet

tinet Deus misericordias suas cum reis; *mitius enim quam mereantur punit* : & notandum est, quod non dicit, *finiet iram suam*, sed quod, *in ira sua perseverante*, non continet misericordias, quoniam eam quoque in damnatorum punitione manifestat : nam peccatum mortale est offensa infinita, quæ, *in rigore justitiæ*, debet puniri pœna intensiori, quam ea, qua punitur in inferno.

Ad alium textum, dico intelligendum esse de Christo Domino, cujus anima non est derelicta apud inferos, seu in limbo Sanctorum Patrum, juxta explicationem datam ab ipsismet Apostolis : legitur enim in Actibus eorum, cap. 2. *Propheta igitur cum esset, & sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de Resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.*

Ex his facile colligere est, quamtum distet Propheta a sensu Origenistarum, pœnarum infernalium perpetuitatem negantium.

Q. *Cur Deus propter peccatum temporale suppliciis damnatos adjudicavit sempiternis?*

R. Aliqui dixerunt Deum, ideo ad pœnam æternam damnatos condemnasse, quia prævidit, *quod si perpetuo vixissent, perpetuo peccassent*. Sed hæc ratio, quæ etiam *S. Gregorio* tribuitur, admittenda non est, quia si Deus puniret æternaliter peccatorem, quia prævidit eum semper fuisse peccaturum, si semper vixisset, deberet etiam præmia largiri bonis operibus quæ prævidit *sub quadam conditione* futura sic v. g. prævidit, quod si *in Tyro*, & *Sidone* facta fuissent miracula, quæ facta sunt in *Corozaim* & *Bethsaida*, in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent; & tamen hæc voluntas nullum habet a Deo præmium neque mala eodem modo prævisa puniuntur a Deo.

Noster vero Scotus sequentem adducit causam, quia, inquit, peccatum quod non fuit in hoc mundo remissum, semper durat in damnatis, saltem *habitualiter*, & *interpretative*, cum discesserint ex hac vita in tali statu, in quo pœnitentiam agere non possent : & consequenter pœna peccato mortali annexa semper debet durare.

Aliam etiam insinuat *Doctor* congruitatem perennitatis pœnæ; & est, quia maxime expedit, ut peccata gravia, *veluti sunt mortalia*, vitentur : ad hoc autem necesse fuit, vel saltem congruum, pœnam æternam imponere : si enim esset spes finis pœnæ, non multum de illa homines curarent, *Scot. in 4. dist. 24. quæst. 4.*

Potest etiam dici, quod hujus perpetuitatis propria ratio, & causa sit lex universalis vindicativa, & justa, quæ peccatum *sub tali lege* prohibuit. Unde sicut Deus pro merito temporali æternum præmium tribuit, ita & pro peccato mortali pœnam æternam infligit.

Æquum videtur quod ille, qui bonum æternum voluntarie amisit, & sprevit pro *momentanea & transitoria delectatione*, malum quoque æternum consequatur. Rationabiliter ergo, & proportionate peccato mortali, *& transitorio* pœna correspondet æterna ex ordinatione divina.

Q. *Justene agit Deus, irrogando punitionem æternam pro peccato temporali, transitorio, & finito?*

R. Verum quidem est, quod culpæ correspondere debeat punitio, juxta id quod Moyses populo Israelitico declaravit ex parte Dei : *secundum modum delicti erit & plagarum modus*, Deut. 25. Unde contra justitiam aliquibus visum est, quod tantæ pœnæ, & in æternum duraturæ, contra *unum peccatum mortale*, quasi in momento commissum, destinatæ sint.

Attamen dicendum juste potuisse De-

um culpæ, *etiam instantaneæ*, pœnam æternam taxare, sicut de facto taxavit; quia proportio pænæ ad culpam attendi non debet ex delectatione, & duratione ejus, sed ab objecto & fine, a quo quis avertitur; statuit autem Deus, ut qui ab ultimo fine se avertit, æternaliter illo careat, & pari pœna puniatur.

Quod autem talis lex justa sit, & honesta, patet ex legibus humanis, & ex paritate pœnarum a Republica inflictarum, quæ non semper commensurantur durationi transgressionis. Sic v. g. furtum & homicidium in uno instanti perpetrantur; & tamen leges humanæ furem, & homicidam, societate civium perpetuo privant, vitamque ipsis auferunt, nunquam in hoc mundo recuperandam; & tamen boni & mali tales approbant leges. Ita igitur in proposito dicendum est de offensa Dei, quæ licet in momento committatur, potuit Deus rationabiliter taxare *pœnam æternum duraturam*. Justum enim est, ut peccator, qui per actum transitorium ab æterno bono se avertit, & in illo actu aversionis æternaliter perseverat, modo jam explicato, æterno supplicio puniatur.

Q. *Quomodo dici potest Deum in punitione damnatorum*, uti misericordia, *cum protestatus fuerit se judicium facturum* sine misericordia? *Jacob. cap.* 2.

R. Animadvertendum est duplicem in Deo reperiri misericordiam. Prima dicitur *totalis*, qua scilicet hominem ab omni malo, tam spirituali, quam corporali defendit. Alia *partialis*, seu *mitigans*, qua utitur cum punit, vel in hac vita, vel in altera vita, sed tamen citra condignum demeriti. Hoc posito dum dicit Deus se *judicium facturum sine misericordia* loquitur de *misericordia totali*, *& liberante*; non autem *de parcente*, *& partiali*.

Similiter respondendum est ad Augustinum dicentem, *Deum prope esse*, *ubi vindicta datur*, *& non miseretur*, in Psal. 18.

Q. *Qualiter stare potest hæc Dei misericordia*, erga damnatos *cum justitia*?

R. Esto videatur, quod Deus utens misericordia erga infœlices illos, quos infernus detinet, destruat ejus justitia, quæ exigit, ut inferatur *pœna delicto proportionata*, quod non fieret, si aliquid de ea diminueretur: nihilominus dicendum perfecte stare misericordiam Dei cum sua justitia.

Aliud est enim non esse proportionatum justitiæ, & aliud est esse contra eam, vel ejus destructivum. Etenim, ut inquit Doctor noster, citatus a Mastrio disput. 25. sicut dare bonum indebitum alicui non est contra justitiam, quia est actus liberalitatis, qui justitiæ non repugnat, cum actus unius virtutis non repugnet alteri: & solum subtrahere bonum debitum est contra justitiam, & ejus destructivum. Ita non inferre *malum tantum*, quantum meretur delictum, non est contra justitiam, sed inferre *malum ultra debitum*. Et ideo justitia, quam Deus in punitione damnatorum exercet in inferno, potest stare cum misericordia, modo jam explicato.

Q. *Quid sentiendum de damnatis*, *quos gravissimi Auctores dicunt liberatos fuisse ex inferno*, *si nulla sit ibi redemptio*?

R. Ante responsionem, operæ pretium existimo referre fœlices illos damnatos, quos ex tenebroso, & pœnali horrido illo loco erutos fuisse quidam dixere.

Imprimis *Trajanum* Imperatorem *nequissimum* liberatum fuisse ex inferno *precibus S. Gregorii Magni* dicunt Sancti Bonaventura, Thomas, Antoninus, Vincentius Ferrerius, & nonnulli alii.

S. Damascenus affirmat multos peccatores, & in perfidia defunctos, a Christo & Apostolis fuisse ad vitam revocatos.

S Petrus Chrysologus scribit *serm.* 63. a Christo suscitatum Lazarum in inferno

no ſepultum. Idem affirmat Sanctus Zeno, *ſerm. de Lazaro reſuſcitato*.

Ægeſyppus *lib.* 3. *cap.* 2. commemorat Beatum Petrum excitaſſe e mortuis quemdam Cæſaris ſervum ethnicum.

S. Gregorius *lib. Dialog. cap.* 2. narrat ad vitam revocatum a Sancto Severo peſſimum Idololatram.

B. Catherina Senenſis, teſte Beato Raymundo de Capua *in ejus actis*, liberavit ab inferis patrem ſuum.

Ergo non implicat, dicet quis, dæmones, ac damnatos poſt univerſale judicium poſſe liberari ab infinita Dei miſericordia, & omnipotentia.

Q. *Quid ad tantorum virorum teſtimonia reſpondendum?*

R. Dicendum primo. Hiſtoriam liberationis animæ *Trajani Imperatoris Pagani* ex inferno precibus *Gregorii Magni* a celeberrimis Auctoribus haberi fabuloſam, licet a nonnullis ſerio enarretur. Fuit quidem *Trajanus* natura mitis, juſtus, affabilis, beneficus, ſed erga Chriſtianos *terribilis perſecutor*. Quomodo S. Gregorius pro ethnico impio Principe oraſſet, & a Deo poſtulaſſet, quod credebat ipſum non eſſe conceſſurum? Ait enim lib. 9. moral. *Quiſquis ad toleranda inferni mala deſcendit, nequaquam ad lucem ulterius redibit: quia nunquam ultra miſericordia parcentis liberat, quos ſemel in locis pœnalibus juſtitia judicantis damnat.*

Item, Veritas dicit: *ibunt hi in ſupplicium æternum.... Quis veſaniam eorum toleret, qui conantur aſtruere, quod Veritas de æterno igne minata eſt*, Lib. Moral. 33. cap. 16.

Unde ſi Gregorius credidit Trajanum damnatum, certo certius pro eo non oravit, quidquid dixerit Joannes *Diaconus*, & poſt ipſum Joannes *Damaſcenus*, & quidam alii.

Non deſunt tamen, qui exiſtiment *Trajanum* ante obitum ad fidem fuiſſe converſum, & in *Purgatorium* ductum, ubi uſque ad judicii diem debebat commorari, & affligi. Ita Joannes Medina *in Orat. q.* 6. Gennadius de *Purg. cap.* 3. *ſect.* 5. Belluacenſis, *lib.* x. *cap.* 65. Petrus Aquilinus, *Faſcic. Temp. fol.* 29. Pineda, Petrus de Natalibus, *Lib.* 6. *cap.* 98. & alii.

Hoc ſuppoſito, & dato quod Gregorius divina revelatione reſciverit detentionem Trajani in Purgatorio, quod *infernus* nonnunquam dicitur, *uſque ad finem mundi*, nihil obſtaret, quominus potuiſſet pro eo miſericordem Dominum orare, & liberationem ejus obtinere.

Quantum ad alias animas prædictas, quas ferunt liberatas fuiſſe ab inferis, ſi ita ſit, dicendum, quod non erant in illis abſolute condemnatæ, ſed ſolum depoſitæ, ſententia quadam, ut ajunt Theologi, *interlocutoria*. Vel probabiliter animæ illæ addictæ non erant inferno proprie dicto, ſed altero quodam ſpeciali depoſitæ.

Aut ſi in vero inferno, non erant tamen ſimpliciter reprobatæ, hoc eſt ibidem adjudicatæ per definitivam ultimatam ſententiam.

Q. *Dato quod Gregorius oraverit pro anima Trajani Imperatoris, quale potuit eſſe motivum ſuæ orationis?*

R. Dicitur ipſum fuiſſe ad hoc impulſum ex recordatione miræ manſuetudinis, & judicii, quo princeps ille paganus viduam pauperem conſolatus fuerat: Quod ſicut traditur ita ſe habet. Properanti Trajano feſtinanter ad bellum, vidua quædam proceſſit ei obviam, flebiliter dicens; *o Trajane! Filius meus innocens, te regnante, peremptus eſt obſecro, ut quia cum mihi reddere non vales, ſanguinem ejus digneris legaliter vindicare*. Cumque Trajanus, ſi ſanus reverteretur a prælio, hunc ſe vindicaturum per omnia reſponderet, vidua dixit: *ſi tum in prælio mortuus fueris, quis mihi hoc præſtabit?* Trajanus reſpondit: *ille, qui poſt me imperabit*. Vidua dixit: *Et quid tibi proderit,*

terit, si alter mihi justitiam fecerit? Trajanus respondit: *utique nihil.* Et Vidua, *nonne*, inquit, *melius tibi est, ut Tu mihi justitiam facias, & mercedem tuam accipias, quam alteri hanc transmittas?*

Tunc Trajanus ratione pariter pietateque commotus, equo descendit, & intelligens, quod proprius suus filius, equitando celeriter nimis per urbem, filium viduæ occidisset, dedit illi in loco defuncti proprium suum filium, dicens, *hic erit deinceps tuus filius.* Illam insuper divitiis non tantum, sed & honoribus cumulavit.

Hanc mansuetudinem mente recolens S. Gregorius, cum Basilicam Sancti Petri intrasset, super errore tam clementissimi Principis flevisse, & pro anima ejus orasse refertur.

DE PURGATORIO.

Cum non parva sit controversia de loco hoc inter Catholicos & Hæreticos, paulo latius de eo tractare æquum judicavimus.

Q. *Daturne locus medius inter cœlum, & infernum?*

R. Ita est. Et constat ex perpetuo usu Ecclesiæ tum Judaicæ, tum Catholicæ precandi pro defunctis. Oratio enim fieri nequit pro Sanctis in gloria cum Christo regnantibus, nec pro damnatis, qui in flammis æternis cruciantur.

Extare ergo debet locus tertius, quem nos *Purgatorium* vocamus, in quo animæ ibi detentæ ex orationibus fidelium in hac vita adhuc existentium, aliquod solatium recipiunt.

Quod autem Israelitica Ecclesia preces fuderit pro mortuis, expresse habetur in Libro 2. Machabæorum, cap. 12. *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

Sunt ergo peccata in altero mundo remissibilia, saltem quo ad pœnam. Et sic datur Purgatorium.

Q. *Liber hic Machabæorum estne Canonicus?*

R. Certe. Talis habetur in Ecclesia ab immemorabili tempore. Dominus Jesus-Christus quodammodo illum approbavit, observando Dedicationis Festum a Juda Machabæo institutum, ut videre est, Joan. 10. v. 22.

Et licet Judæorum abusus in omni occasione reprehenderit, nunquam tamen preces & sacrificia, quæ ab eis pro mortuis offerebantur, condemnavit. Mos erat, ut filii pro defunctis parentibus per annum orarent, quod adhuc hodiedum prosequuntur.

Q. *Oraveruntne Deum unquam Apostoli pro defunctis?*

R. Procul dubio. Oravit Paulus pro Onesiphoro, qui jam obierat, ut colligitur ex Epistola secunda ad Timotheum: *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui.* Et hæc erat ejus oratio: *Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in die illa*, Ibid. v. 18.

Hanc eamdem, aut omnino similem offert quotidie Ecclesia Catholica pro animabus Purgatorii.

Q. *Qui sunt textus Sacræ Scripturæ, quibus probari potest extare Purgatorium?*

R. Plurimi assignantur, qui videri possunt apud Theologos & Controversistas. Unum aut alterum sufficiet hic afferre. Matthæi duodecimo, v. 32. habetur: *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Dantur ergo peccata quæ in alio mundo remitti possunt: non quo ad culpam, ergo quo ad pœnam.

In Inferno nulla pœna remittitur. In Paradiso nulla inesse potest, ubi gaudium sempiternum est: Ergo quidam locus ab his distinctus esse debet, ubi

animæ quamdam pœnam tolerant, a qua liberari possunt.

Secundo Apostolus 1. Corinth. 3. v. 15. post enumerata detrimenta quæ passurus est ille, qui superædificat super fundamentum non omnino perfectum, subdit: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*. Hoc est habebit vitam æternam, postquam opus ejus probatum fuerit per ignem. Quod non potest intelligi de igne inferni, qui est æternus, ideoque debet intelligi de peccato veniali purgato per ignem Purgatorii, per quem purgantur peccata venialia, & peccatorum reliquiæ decedentium in charitate Dei.

Q. *Potestne probari etiam ratione, dari Purgatorium?*

R. Sequenti discursu utuntur Theologi Catholici. Licet is qui mortaliter peccavit liberetur per pœnitentiam a culpa, & a pœna æterna: non tamen ab omni *pœna temporali*, cui remanet obnoxius; non solum ob cautelam, sed etiam in vindictam peccati præteriti, ut scilicet justitiæ Dei aliquo modo satisfaciat.

Exemplum habetur in persona Regia Davidis, qui princeps post impetratam veniam adulterii & homicidii, punitus fuit morte filii, 2. Reg. 12. v. 13. Et obtenta remissione superbiæ, nihilominus proposita fuit illi triplex pœna, ut unam eligeret in vindictam peccati jam condonati, 2. Reg. 24. v. 10.

Si ergo aliquis decederet ex hac vita antequam pœnæ temporali satisfecisset debebit exsolvere in altera. Non in *Paradiso*, quia nihil inquinatum introire potest. Non in *Inferno*, ubi nulla est redemptio; ergo in tertio alio loco, quem Purgatorium vocamus.

Eodem modo discurrendum est de hominibus justis cum peccatis venialibus decedentibus.

Q. *Quid respondendum hæreticis dum dicunt duo tantum loca enumerari in Sacra Scriptura?*

R. Fatendum est, quod in fine mundi duo tantum loca erunt, *Paradisus*, & *Infernus*: Et hoc colligitur ex sententia supremi judicis: *venite benedicti, ite maledicti* &c.

At nunc plura sunt, ut ostensum est; Et id fateri coguntur ipsimet adversarii, etiam si de Purgatorio non esset quæstio. Ubi enim fuerunt animæ eorum, qui post mortem resuscitati sunt ad vitam? non in *Paradiso*: quia non fuisset pro eis beneficium, sed potius pœna, si ex cœlesti Beatitudine debuissent redire ad mortalem vitam, tantis miseriis & periculis obnoxiam: Non in *Inferno*, ex quo nullus revocatur: Ergo in alio loco, qui Infernus non est, nec Paradisus.

Q. *Si justi statim post obitum beatificantur: & Christus latroni, qui procul dubio sordes habebat, Paradisum illico promiserit, qua ratione dari potest Purgatorium?*

R. Scio, scriptum esse: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*; & quod Christus pendenti latroni dixerit: *Hodie mecum eris in Paradiso*: sed loca illa Scripturæ nullatenus militant contra nos, nec probant nullum esse Purgatorium, sed solum colligi potest, quod non omnes de facto locum illum adituri sint.

Justi, quibus nihil expiandum restat pro commissis peccatis, statim post hanc vitam admittentur ad Cœlum: qui autem plene in hoc mundo justitiæ divinæ non satisfecerunt, admittentur ad Cœlum, sed peracta in Purgatorio pœnitentia.

Si Christus latroni Paradisum statim post ejus obitum promisit; fuit singulare privilegium, quo culpam & pœnam temporalem ipsi dimisit ob admirandam fidei confessionem, & summam suæ contritionis extensionem.

Q. *Quomodo latro esse potuit in Paradiso eodem die quo mortuus est Christus, si Cœlum necdum erat apertum?*

R. Non

R. Non fuit reipsa in loco præciso, qui *Paradisus* dicitur, cum adhuc extaret clausus: Gaudium tamen Paradisi expertus est. Anima ejus e corpore exiens, ab Angelis suscepta fuit, & Christo præsentata, quæ statim visa Deitate Jesu-Christi glorificata est. Et quod Christus promiserat implevit, scilicet, *quod hodie esset cum ipso in Paradiso*. Vere etenim fuit in Paradiso, Deitate Christi inspecta, qua & statim glorificata est.

Pro aliis objectionibus solvendis animadvertendum est, quod ubi textus S. Scripturæ justis decedentibus vitam æternam promittunt, intelligendi sunt de iis qui completam & perfectam pœnitentiam egerunt in hac vita, ut nulla in eis remanserit macula.

Alii vero qui justitiæ divinæ omnino non satisfecerunt, detinentur per aliquod tempus in Purgatorio, quo tempore transacto in cœlum convolant, & datur eis hæreditas, & sunt cum Christo.

Q. *Omnes animæ non plene purgatæ, detinenturne ita absolute in loco illo subterraneo, qui* Purgatorium *dicitur; ut extra illum justitiæ divinæ satisfacere nequeant?*

R. Non est omnino certum. Aliqui censuerunt non esse locum ita determinatum a Deo, ut extra illum animæ a contractis maculis non valeant purificari.

Id quod probare volunt ex visionibus quibusdam enarratis a S. Gregorio, & Petro Damiano dicentibus, quasdam fideles animas cruciari quandoque in locis, ubi peccare consueverant, sic permittente aut volente Deo.

Cæterum communis Doctorum opinio est eas pœnitentiam agere ordinarie in loco in inferioribus terræ partibus collocato, nempe in ipsomet Purgatorio.

Q. *Quale est Purgatorii supplicium?*

R. Concilium Tridentinum, dum nobis credendum proponit, animas in Purgatorio detentas fidelium juvari suffragiis, non definit quæ sit ibi pœnarum ratio, nec alia hujusmodi; in quibus indicandis magnam vult adhiberi cautionem & prudentiam; prohibetque, *ne incerta, vel specie falsi laborantia* a quopiam *evulgentur*.

Colligi tamen potest ex Scriptura & Patribus, duplici pœna animas puniri, scilicet pœna sensus, & pęna damni.

Prima consistere videtur in dolore quem ex igne percipiunt.

Secunda in privatione visionis Dei, quantumvis ad tempus.

Q. *Suntne graves illæ pœnæ?*

R. Gravissimæ sunt. *Eodem igne*, dicit Sanctus Gregorius, *crematur damnatus, & purgatur electus*, in 3. Psal. pęnit.

Audiatur insuper S. Cyrillus Alexandrinus, citatus ab Auctore *Hortuli sententiarum*. *Mallet*, inquit, *quilibet viventium usque ad finem mundi omnibus simul excruciari pœnis, quas omnes homines* ab Adam hucusque tulerunt, *quam uno die in Purgatorio morari*.

In eadem sententia videtur esse S. Augustinus, dum ait: *Gravior est ille ignis* Purgatorii, *quam quidquid potest homo pati in hac vita*, in Psal. 37.

Aliqui Scriptores eo progressi sunt, ut dicere ausi sint, nullam esse differentiam inter pęnas Inferni, & Purgatorii, nisi quod primæ sint æternæ, aliæ vero temporales.

At S. Bonaventura in misericordia Dei magis confidens, credit aliquam Purgatorii pęnam minus esse posse gravem, quam sit aliqua hujusce vitæ pęna, v. g. si anima quædam unicum leve peccatum veniale purgandum haberet, hæc Sancto Doctori non videtur mereri crudelissimam illa pęnam, quæ in hoc mundo excogitari potest, in 4. distin. 20. art. 1. quæst. 2.

Q. *Exeuntne animæ non plene purgatæ quandoque ex Purgatorii loco?*

R. Non omnes de hoc conveniunt.

Qui-

Quidam censent, apparitiones defunctorum, de quibus tot & tam mira narrantur, esse *dæmonum apparitiones*, qui sic fingunt se esse tales, quales oculis intuentium se præbent.

Communis & verior Doctorum opinio est, quod animæ ex Purgatorio ad nos interdum veniant, sic volente Deo, auxilium nostrum, seu suffragia imploraturæ, vel etiam ut in nostris propriis necessitatibus & periculis nobis succurrant. Id quod declaratur ex multis apparitionibus a S. Gregorio relatis, lib. 4. Dial. c. 40.

Q. *Quibus mediis adjuvari possunt fideles defuncti?*

R. Precibus, eleemosynis, jejuniis, peregrinationibus, & quibuslibet operibus pœnalibus, & satisfactoriis, indulgentiis etiam, & maxime Sacratissimo Missæ Sacrificio.

Juvantur autem per ista, ob arctissimam unionem quam habent inter se membra unius corporis, qualia membra sunt nobiscum illi, qui in charitate defuncti sunt. Ex hac charitate fit, ut unum membrum possit alterum adjuvare.

Q. *Quæ differentia est inter Indulgentias vivis & defunctis concessas?*

R. Hæc est, quod Indulgentia vivis concedatur per modum *absolutionis* ab auctoritatem, & jurisdictionem habente, qualis est Papa. Defunctis vero per modum *solutionis*, seu *suffragii*, quando nempe Pontifex ex thesauro Ecclesiæ pro defunctis sufficientem satisfactionem Deo offert pro pœnis debitis in Purgatorio.

Satisfactiones enim Christi & Sanctorum applicantur defunctis, tanquam ea quibus possumus illis opitulari.

Q. *Qui Missam celebraret, aut celebrari curaret pro anima Petri v. g. ad Altare privilegiatum, cui annexa est Indulgentia Plenaria pro defunctis, certone illa subito a Purgatorio liberaretur?*

R. Non est omnino certum & infallibile: alias non posset sacerdos stipendium recipere pro pluribus Missis, *in Altari* privilegiato *celebrandis*, pro requie ejusdem animæ.

Contingere enim potest ut anima illa pro qua sacrificium offertur, forte de illarum numero sit, quæ hic non meruerunt, ut hujusmodi Indulgentiæ illis prodessent.

Tum quia non constat, an hujusmodi Indulgentia acceptata sit a Deo pro illa anima.

Pontifex siquidem offert Deo Indulgentias per modum *suffragii*, idest per modum *deprecationis*, *impetrationis* & *solutionis*, ut Deus ex misericordia dignetur acceptare subsidium quod pro ea applicatur: sed non constat, quod a Deo acceptetur, liberum enim est ipsi acceptare, & non acceptare.

Sicut si Princeps, qui cupit aliquem in vinculis alterius Principis detentum liberari, offerat Principi condignam satisfactionem; liberum est Principi, sub cujus ditione reus detinetur, satisfactionem & compensationem ab alio Principe oblatam acceptare.

Unde Layman, & cum ipso multi Doctores expresse tenent, Indulgentiam pro defunctis concessam non habere effectum certum & infallibilem: sed tantum prodesse per modum *suffragii*, & *impetrationis*, secundum liberalem Dei acceptantis voluntatem.

Hujusce rei ratio in promptu est, quia *Judex supremus non tenetur commutationem pœnæ sibi debitæ admittere, nisi ad id se promissione aliqua obligarit, sed Christus supremus Judex non obligavit se ad acceptandas satisfactiones ab Ecclesia oblatas pro liberatione defunctorum.* Quia promissio illa Matthæi 26. *Quidquid solveris super terram* &c. ad vivos tantum referri videtur, *cum his verbis judiciaria potestas Sancto Petro & successoribus ejus tradita sit*, *sicut judicat* Tridentinum, *sess.* 14. *cap.* 6. *Qualem potestatem in* Defunctos *competere non posse demonstratum est*. Laym. lib. 5. tr. 7. c. 7.

Mul-

Multum igitur consultum est, *plures Missas* in eodem *Altari Privilegiato* celebrare, aut celebrari curare pro eadem anima, cum non constet quod Deus totum acceptet, quod singulis animabus applicatur.

TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS.

Q. QUid *est Resurrectio*?

R. Resurrectio est reunio animæ ad corpus.

Q. *Qua virtute Christus resurrexit*?

R. Certe non alicujus Sancti meritis vel precibus, sed seipsum suscitavit a mortuis virtute sua divina, sicut ipse Judæos præmonuerat, dicens: *Solvite Templum hoc*, corpus suum designans, *& in tribus diebus suscitabo illud*, Joan. 20.

Q. *Si propria virtute resurrexit Christus, quomodo ergo intelligendi sunt textus illi, in quibus a Patre suscitatum legimus*?

R. Hoc ad eum ut *hominem* referendum est, sicut ad eum ut *Deum* spectant textus alii, quibus significatur eum *propria virtute* resurrexisse ut: *salvavit sibi dextera ejus*, Psal. 97. *Ego dormivi & exurrexi* &c. Psal. 3. prout explicat Concilii Tridentini Catechismus.

Præterea cum Dei Filius sit a Patre genitus, est enim *Deus de Deo*, omnia sua Patri accepta refert: *Omnia mea*, inquit, *tua sunt*, Joan. 7.

Q. *Cur Scriptura dicit, Christum esse primogenitum mortuorum, cum multi ante illum fuerint resuscitati*?

R. Quia illi, qui fuerunt ante illum suscitati, sive per Prophetas, sive per ipsummet Christum, ita revixerunt, ut eis iterum moriendum esset: unde completa & perfecta Resurrectio dici non poterat. At Dominus Jesus Christus ita resurrexit *devicta morte* ut mori amplius non posset.

Christus resurgens a mortuis, inquit Doctor gentium, *jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur*, Rom. 6.

Q. *Quo die, & qua hora Christus resurrexit*?

R. Quantum ad diem; censetur communiter ipsum resurrexisse die Dominica, vigesima septima Martii, tertia post mortem, prout ipse prædixerat: *capit Jesus ostendere discipulis, quia oportet eum ire Jerosolymam, & occidi, & tertia die resurgere*, Matth. 16. Sanctus Paulus etiam testimonium perhibet Corinthiis, quod Christus resurrexit tertia die *secundum Scripturas*, 1. Corinth. 15. numerando, ut jam diximus, primum diem ab ultima parte, & *tertium* a prima.

Quantum ad *horam*, in dubio res est. Aliqui dicunt paulo post mediam noctem, alii melius circa diluculum, seu initium auroræ; quod confirmat Ecclesia in Hymno Dominicæ in albis: *Aurora Cœlum purpurat: Rex ille dum fortissimus, de mortis inferno specu &c.*

Unde Matth. c. 28. dicitur: *surgens mane prima Sabbati*, id est prima die post Sabbatum, quæ nunc dicitur *Dominica*. Et talis vocari cœpit ab initio Ecclesiæ ob memoriam Resurrectionis Dominicæ.

Q. *Quare Christus non expectavit diem Judicii ad resurgendum*?

R. Conveniens certe non erat, ut ipsius Resurrectio tamdiu dilata foret. Cito resurrexit, ad fidem de veritate ejus divinitatis confirmandam: nec tamen statim post mortem, ad confirmandam veritatem de morte ipsius. Tridui autem spatium ad veram mortem comprobandam satis fuit.

Q. *Eratne necessaria Christi Resurrectio*?

R. Maxime.

1. Ut qui se profundissime humiliaverat, nobilissime per Resurrectionem exaltaretur. Hanc causam etiam Apostolus attulit: *Humiliavit semetipsum, propter quod & Deus exaltavit illum*, ad Philip. 2.

2. Ad fidem nostram confirmandam: Resurrectio enim Christi præcipuum Christianæ Religionis est fundamentum. Hoc articulo admisso facile alii creduntur, v. g. Resurrectio plane convincit, eum qui resurrexit *virtute propria* non fuisse purum hominem, sed *Deum*. Quod homo vivens *divinitus adjutus* mortuum suscitaverit, non erat novum apud Hebræos: At quod homo mortuus excitarit *se ipsum*, inauditum erat ante Christi Resurrectionem. Deinde *si Christus non resurrexit*, inquit Apostolus, *vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris*, 1. Corinth. 15. Et hoc recte sequitur: si nequivit Christus sua Resurrectione vincere mortem, ergo neque peccatum.

3. Resurrectio Christi causa est justificationis nostræ: Sublata ergo Resurrectione tollitur nostra justificatio, & consequenter adhuc manemus in peccatis nostris pristinis.

4. Necessaria fuit Resurrectio Christi propter spem nostram; Si enim resurrexit caput nostrum, certa spe nitimur fore, ut & nos resurgamus: Siquidem membra capitis sui conditionem consequantur, necesse est. Unde Job cap. 19. *Scio quod Redemptor meus vivit.... Et in novissimo die de terra surrecturus sum, reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Et Apostolus scribens ad Thessalonicenses, ait: *Si enim credimus quod Jesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Jesum adducet cum eo*. Et Princeps Apostolorum: *Benedictus Deus qui regeneravit nos in spem vivam per Resurrectionem Jesu-Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem*, &c. 1. Petri cap. 1.

5. Oportuit Christum resurgere propter justificationem nostram, & ad fidelium vitam informandam, secundum Apostolum: *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*, ad Rom. 4. Et cap 6. ait: *Ut quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.... Christus resurgens a mortuis jam non moritur... Quod autem vivit, vivit Deo; ita & vos, existimate vos mortuos esse peccato, viventes autem Deo... Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus &c.*

Duo itaque a Christi Resurrectione exempla petere debemus, juxta Concilii Tridentini Catechismum. Unum est, ut postquam peccati maculas eluimus, novum vitæ genus instituamus, in quo morum integritas, innocentia, sanctitas, modestia, justitia, beneficentia, humilitas, fervor in oratione, & Dei obsequio eluceant.

Alterum est, ut in eo vitæ instituto ita perseveremus, ut ab observantia mandatorum Dei non deflectamus.

Q. *Cur Jesus Christus post suam Resurrectionem plagarum cicatrices retinere voluit?*

R. Variis de causis.

1. Ut ostenderet idem esse numero corpus redivivum, quod fuerat crucifixum.

2. Ut suos cultores ad similia perferenda inflammaret.

3. In perenne suæ victoriæ triumphique monumentum.

4. Ut eas Patri Æterno incessanter exhiberet pro nostra reconciliatione.

5. Tandem vulnerum insignia servavit, ut per ea impietatem Judæorum & Christianorum, qui tantam misericordiam neglexerunt, in die judicii arguat, quasi dicens: *Ecce hominem quem crucifixistis; videtis vulnera quæ inflixistis; agnoscitis latus quod pupugistis; per vos, & propter vos apertum est, & intrare noluistis* &c. S. Th. 3. p. q. 54. n. 4.

Q. Cui

Q. *Cui primo apparuit Christus post Resurrectionem?*

R. Ad comprobandam suæ Resurrectionis veritatem quinquies apparuisse Jesum-Christum ipsa die suæ Resurrectionis, testatur Evangelium. Primo, Mariæ Magdalenæ. 2. Piis mulieribus redeuntibus e sepulchro. 3. Petro. 4. Duobus discipulis iter facientibus in Emmaus. 5. Omnibus discipulis in cęnaculo.

Q. *Sed numquid etiam apparuit Mariæ Virgini Matri suæ?*

R. Apostoli & Evangelistæ nihil de hac re dixerunt: sed Sanctus Ambrosius, S. Bonaventura & multi alii censent Christum prius præ cæteris apparuisse Beatæ Virgini ad ipsius consolationem. Et certe ratio, pietas, conditioque filii hanc erga matrem dilectam visitationem exigere videntur.

Q. *Quare ejus apparitionis non meminerunt Evangelistæ?*

R. Quia Beata Virgo non erat idonea ad persuadendam Resurrectionem; suspectum facile fuisset in causa filii testimonium matris.

Q. *Cur apparuit Christus mulieribus prius quam viris?*

R. Quia sicut fęmina viro primum detulerat mortis nuntium; ita quoque quoque conveniens fuit, ut Jesus-Christus suæ gloriosæ Resurrectionis, vitæque immortalis fęminæ deferret nuntium. Aliæ rationes adferri possunt, at cum hæc quæstio curiosa magis sit, quam proficua, illam prætereundam censemus.

Q. *Sanguis Christi effusus resurrexitne cum ejus corpore, ita ut nequidem guttula remanserit super terram?*

R. Cum Sanguis Christi effusus in horto, in prætorio, in cruce, & quo aspersa sunt flagella, clavi, spinæ, sudarium &c. cum, inquam, Sanguis ille ad veritatem & integritatem naturæ humanæ pertineat, in Corpore Christi resurrexit: & idem credendum est de partibus omnibus ad integritatem naturæ humanæ pertinentibus.

Unde dicunt nonnulli, quod si Venetiis, in Ecclesia nostra *Fratrum Minorum Conventualium*, & in aliquibus aliis conservari dicatur Sanguis Christi, non veri illius ac prætiosi Sanguinis portio est, qui ex Christi corpore in ejus circumcisione, aut passione, vel ex ejusdem nostri Salvatoris latere manavit; sed Sanguis aliunde formatus, qui ex aliqua forte imagine ab impiis percussa, Dei supra naturæ vires ac leges operantis auxilio, manavit. Ita discurrit *Natalis Alexander* in sua Theol. Dogm. lib. 1. pag. 100.

Verum sententia opposita certior est, & amplectenda; nempe in terris remansisse guttas Sanguinis Domini Nostri Jesu-Christi, cum plurimi Summi Pontifices, *Leo III: Pius II. Julius II.* ejusmodi Reliquias comprobarint, *uti verum Domini Sanguinem in terris relictum*.

Hinc Baronius ad annum Christi 804. ait: hanc veritatem a pluribus Romanis Pontificibus esse diu examinatam, *& per plura diplomata approbatam*, ut de ea nullus remaneat ambigendi locus.

Q. *Sanguis ille relictus in terra estne cultu latriæ adorandus?*

R. Magna fuit olim controversia tempore Pii secundi inter Fratres Prædicatores, & Fratres Minores, *utrum Sanguis Christi a corpore separatus divinitati unitus permanserit*: Asserebant Prædicatores, Minoribus negantibus.

Rationes utriusque partis refert noster P. Rodulphus lib. 1. pag. 108. & rem indecisam a præfato Pontifice relictam fuisse asserit.

Minores inter alias rationes hanc proponebant. Si Sanguis separatus retinuisset unionem, haudquaquam fuisset corruptus, & esset *cultu latriæ* adorandus. Ostenditur autem, *ajebant*, in Laterano, Venetiis, & Mantuæ, & in

aliis locis incineratus, atque corruptus, non ergo retinuit unionem. Admissa hac sententia, si quid veri Sanguinis remansit in terra, non erit *cultu latriæ* adorandus nisi *respective* ad Christum, sicuti vera Crux adoratur; sed inferiori, bene vero in sententia Prædicatorum. Circa hoc adhærendum est decisioni Ecclesiæ. Quid vero decreverit non reperi.

Q. *Quandonam celebratur Festum Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi?*

R. In Paschate. Pascha autem in prima sua significatione *transitum* Hebræorum ex Ægypto significat, ob cujus transitus memoriam recolendam hoc Festum institutum est.

Christianorum vero Pascha a Christo originem habet, dum una cum Apostolis cænans, Corpus suum comedendum, & Sanguinem hauriendum sub panis & vini speciebus ministravit.

Paschalis agnus a Judæis jugulatus, & pro cibo adhibitus, & cujus sanguine ab Angeli exterminatoris furore liberabantur, Salvatoris nostri mortem & passionem præfigurabat.

Q. *Quo mense, & quo die celebratur Festum Paschatis?*

R. Relictis erroribus variis circa celebrationem Paschæ olim exortis, Festum istud universalis Ecclesiæ decreto solemnissime celebratur Dominica die proxima lunæ quartæ decimæ post æquinoctium vernum: idest post decimam quartam diem lunæ mensis Martii.

Q. *Cur hoc Festum tanta cum exultatione & lætitia celebratur?*

R. Quia dies Domini est, quam fecit Dominus, in qua de morte triumphavit, & plenus decore & lumine, tanquam sol novus super terram ascendit, ejusdem nos gloriæ participes effecturus.

Quia Christo resurgente fuit communis cęlo & terræ lætitia, *Angelis*, qui in candidis vestibus apparent; *Patribus* in Limbo divinæ essentiæ visione; *Beatissimæ Virgini*, quæ sicut summum dolorem in morte filii receperat, ita extremum gaudium de ejus Resurrectione habuit: *Apostolis*, quorum tristitia in lætitiam commutata est, &c.

Q. *Qua ratione Ecclesia toto tempore Paschali frequentat hanc vocem* Alleluja *in divinis Officiis?*

R. Quia hæc vox *Alleluja* vox est lætitiæ & laudis. Sanctus Joannes in Apocalypsi, cap. 19. v. 1. & 3. plures tubas in cęlo *Alleluja* concinentes se audivisse testatur. Unde cum Ecclesia tempore Paschali repræsentet tempus æternitatis, in quo perenne gaudium, laus & benedictio erunt; idcirco resonare facit *Alleluja*, cujus usus temporibus pęnitentiæ constitutis, & cæremoniis funebribus interdictus est. Hinc nec tempore Quadragesimæ, nec in defunctorum solemnibus canitur.

ASCENDIT AD COELOS,

Sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.

Q. *Ascenditne Christus in cœlum qua Homo, vel qua Deus?*

R. Cum a cœlo nunquam abfuerit secundum deitatem, qua æqualis est Patri, & ubique præsens, non nisi qua *Homo* in cęlum corpore & anima ascendere potuit.

Q. *Qualiter in cœlum Christus ascendit?*

R. Cum magna exultatione, jubilo & triumpho, stipantibus & plaudentibus Angelis. Virtute propria ascendit, non aliena vi sublatus est, ut *Elias*, *Abacuc*, & *Philippus*, qui divina virtute per aerem delati longinqua terrarum spatia permearunt, sicut & de Beata Virgine dicitur, quod assumpta sit in cęlum: quia & si creaturarum omnium

nium dignissima, non propria tamen virtute, sed divina ad Regnum cęlorum assumpta est.

Q. *Si Christus propria virtute ascendit ad cœlos, cur in Evangelio & in actibus Apostolorum assumptus dicitur?*

R. Ratio istius est, quod divinitas virtute cujus ascendit communis est tribus Personis: ideo recte dicitur a Patre assumptus, & a Spiritu Sancto: imo potest ipse Filius dici exaltasse corpus suum ad cęlum.

Q. *Ex quo loco ascendisse dicitur?*

R. Ex Monte Oliveti, mille circiter passibus ab Jerusalem dissito. Sic divina providentia factum est, ut mons ille, quem toties lacrimis subinde & sanguine suo irrigarat, qui & initium dederat passioni, jam quoque initium fecerit cęlesti ipsius triumpho.

Q. *Ascenditne ad cœlum statim a sua Resurrectione?*

R. Nequaquam; conveniens enim erat ut multis argumentis Resurrectionem suam probaret, ne ludificatio putaretur: ideo per quadraginta dies discipulis suis se spectandum præbuit, cibum cum illis, potumque gustavit, ostenditque se verum corpus solidum, ac idem numero habere: *palpate & videte, quia ego ipse sum*. Sic Resurrectionem suam indubitatam eis reddens.

Deinde per quadraginta dies a sua Resurrectione cum Apostolis suis conversatus est, ad eorum informationem pleniorem: Tunc docuit illos quomodo Ecclesiam formarent, regerent, perficerent, materias, formas, ritusque Sacramentorum & alias traditiones, quas Ecclesia hucusque servavit, &c.

Q. *Ascenditne secreto, an manifeste?*

R. Cum tempus advenisset, quo debebat redire ad Patrem, congregatis discipulis ascendit ad cęlos die Jovis, circa horam primam post meridiem coram omnibus ipsis, scriptum cum sit *videntibus illis elevatus est*. Act. 1.

Dixi circa horam primam post meridiem, quod colligitur ex eo, quod finito cum discipulis prandio, ordinarie enim *circa meridiem* fit commestio, in prædictum Oliveti montem eos conduxit: vale omnibus dicto, benedictioneque impertita, sensim a terra elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Non statim evanuit sicut *Elias & Henoc*, sed pedetentim, ut diutius pasceret oculos intuentium. Unde Apostoli diu illum obtutu prosecuti sunt. Sic manifestissime cęlos penetravit.

Q. *Ascenditne solus, an cum aliquo comitatu?*

R. Maxima cum gloria & majestate in supremum evectus est cęlum Empireum, comitantibus miriadibus Sanctorum, quos e Limbo secum eduxerat, & Angelis omnibus honoris causa Domino, Regique suo occurrentibus, summo triumpho deductus est ad solium cęlestis Patris, ad cujus dexteram residet cęli & terræ Dominus.

SEDET AD DEXTERAM DEI Patris Omnipotentis.

Q. *Sedetne revera Christus in cœlo?*

R. Sciendum, *sedere* hoc loco non situm & figuram corporis, nec membrorum positionem, sed judiciariam designare potestatem. Unde cum dicitur *sedere*, putare non debemus hoc fieri flexis poplitibus, super quoddam scamnum seu thronum; sed metaphorice *sedere* usurpandum est pro regiæ summæque potestatis, ac gloriæ firma & stabili possessione, quæ nulli creatæ naturæ convenire potest.

Q. *Sedetne saltem ibi Corpus Christi?*

R. Videtur potius stare quam sedere; situs enim ille est homini magis naturalis: unde Sanctus Stephanus: *vividit Filium hominis stantem a dextris virtutis*

tis Dei, Act. 7. stantem non sedentem; sedere imbecillitatis est, quæ in corpus gloriosum non cadit.

Q. *Habetne Deus Pater dexteram?*

R. Cum Deus Pater sit Spiritus, nec dexterum, nec sinistrum latus habet. Quia tamen in humanis rebus ei majorem honorem tribui existimamus, qui ad dexteram collocatus est; eamdem rem ad celestia etiam transferentes, ad explicandam Christi gloriam eum in dextera Patris esse confitemur, unde electi a dexteris, reprobi a sinistris Dei in supremo judicio collocabuntur.

Ad dexteram Dei Patris Christum esse dictum est, eo quod in supremo Gloriæ gradu, in summa Beatitudine, ubi justitia, & pax, & omne gaudium est, collocatus sit.

Q. *Quæ sunt Ascensionis Christi causæ?*

R. Multæ assignantur. 1. Ut regnum suum non esse de hoc mundo demonstraret. Mundi regna terrena & fluxa sunt: Christi vero regnum spirituale & æternum: *Et regni ejus non erit finis*. Luc. 1.

2. Ut nos illuc reveheret, ac Deo Patri naturæ nostræ primitias offerret. Hinc Psalmo 23. dicitur: *Attollite portas Principes vestras, & introibit Rex gloriæ*.

Portas celi non modo aperiri, sed attolli postulat, quasi major rediret Christus quam exierat a Patre, ut veniret in mundum: nequaquam tamen major secundum deitatem, in qua Patri semper æqualis; sed quia redibat cum carne victrice, gloriosa, immortali &c.

3. Ascendit in celum, ut iter nobis pararet: *vado parare vobis locum, ut ibi sum ego, & vos sitis*, Joan. 14.

4. Ad celos ascendit, ut ea quæ ad salutem nostram pertinent curaret: *semper vivens ad interpellandum pro nobis*, Hebr. 7.

5. Ut nos eum ascendentem mente & desiderio prosequeremur. Sicut morte & surrectione sua nobis exemplum reliquit moriendi peccato, & resurgendi seu vivendi justitiæ & Deo; ita ascensione sua docet, ut in celum nos peregrinos & hospites, cogitatione & affectu totos conferamus. *Nostra*, inquit Apostolus, *conversatio in cœlis est*, Philip. 3.

Christum igitur ascendentem sequamur mysticis virtutum omnium gradibus, memores quod cum Christo, id est, humilitatis magistro, non ascendit *superbia*; nec cum bonitatis auctore, *malitia*; nec cum pacis amico, *discordia*; nec cum Filio Virginis, *libido* atque *luxuria*. Non ascendunt *vitia* post virtutum parentem; nec *peccata* post justum, S. Hilarius Serm. de Ascensione Domini.

INDE VENTURUS EST

Judicare Vivos & Mortuos.

Q. QUotuplex est Dei judicium finale?

R. Duplex. Particulare, & universale. Particulare ac privativum, quod & occultum dicitur, fit immediate post mortem: anima enim ante tribunal Dei subito sistitur, de omnibus quæ, aut egerit, aut dixerit, aut cogitaverit, cum hic mortalem vitam ageret, rationem redditura. De isto scribit Apostolus: *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc judicium*. Hebr. 9.

Q. *Ubi fit hoc judicium particulare?*

R. Aliqui volunt fieri in eodem loco ubi homo moritur. Alii dicunt quod anima in exitu e corpore statim deducatur in celum, sententiam receptura. Nonnulli, quod Jesus Christus descendat, compareatque morituro instar crucifixi.

Melius dicendum est quod in ipso mortis instanti anima per intellectum elevetur ad audiendam judicis senten-

tiam,

tiam. Et hoc est stare ante tribunal judicis.

Q. *Quid est judicium universale seu publicum?*

R. Illud est, quod fiet in fine mundi, in quodam loco, ubi supremus Judex adstantibus omnibus hominibus, sententiam jam prius in singulos latam repetet, confirmabitque &c. Et de isto ultimo generalique judicio, Symboli Apostolici septimus articulus est.

Q. *Estne de fide futurum illud judicium universale?*

R. Maxime, & probatur multis Sacræ Scripturæ locis: *Dico vobis, Tiro & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis* (Judæis) .... *Viri Ninivitæ surgent in judicio contra generationem istam, & condemnabunt eam*, Matth. 12.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, 2. Corinth. 5.

Similes locutiones habentur in Veteri Testamento. *Dominus ad judicium veniet cum Principibus ejus*, Isa. 3. *Thronus ejus flammæ ignis, judicium sedit, & libri aperti sunt*, Dan. 7. *Et veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo*, Zach. 14.

Ex quibus & aliis manifeste deducitur judicium universale in fine mundi futurum.

Hæc veritas habetur in Symbolis Apostolorum, Niceno, & S. Athanasii, & definita est pluribus in Conciliis.

Q. *Judicium universale fieri cum debeat in fine mundi, quandonam finietur mundus?*

R. Utiliter ignoramus, ut bene viventes non solum non timeamus illum diem, sed & amemus: *expectantes beatam spem & adventum Salvatoris nostri Jesu Christi*, 1. Tit. 2.

Interrogatus insuper ab Apostolis Jesus-Christus respondit eis: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, Act. 1. Et alibi: *De die autem & hora nemo scit, neque Angeli, nisi solus Pater*, Matth. 24. *Vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit*, Marci 13.

Q. *Si anima in exitu de corpore sit judicata, & sententia irrevocabilis in ipsam lata, ad quid ergo universale illud judicium?*

R. Necessarium fuit judicium universale.

1. Ad exercitium & ostensionem divinæ justitiæ in præmiatione bonorum, & punitione malorum: quia, etsi in judiciis quæ fiunt circa singulas personas in morte sit justitia, non tamen omnibus manifesta: rationabile ergo est, quod Deus habeat judicium generale in quo manifestetur sententia, quam exercuit in judiciis particularibus.

2. Sæpe contingit ut piorum fama lædatur; impii vero innocentiæ laude commendentur: quamobrem divinæ justitiæ ratio postulat, ut pii eam existimationem, quam injuste, apud homines amiserant in publico recuperent. Cum Christus Judex *illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium, tunc laus erit unicuique a Deo*. Justi siquidem tunc summo afficientur honore: Mali vero induentur confusione, peccatis suis in publicam lucem productis.

3. Quia in hac vita, ob arcanas, licet adorandas rationes, justi ut plurimum infœliciter vivunt; fœliciter autem improbi & scelesti homines, quos potentes opibus, honoribus florentes, viri etiam Sancti non sine indignatione videtunt. *Zelavi*, inquit Propheta Regius, *pacem peccatorum videns. Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias*, Psalm. 72.

Et hoc patet in Divite Epulone & Lazaro: *Recordare fili, quod recepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala: Nunc ergo hic consolatur, tu vero cruciaris*, Luc. 16. Opus est igitur ut hæc occulta Divinæ Providentiæ ratio manifestetur, ut constet malos recepis-

se bona in remunerationem quorumdam bonorum operum: econtra vero bonos mala recepisse, vel ut eis magis proficerent ob eorum tolerantiam, vel ut pro levioribus culpis, aut temporalibus pœnis satisfacerent.

4. Altera ratio futuri universalis Judicii est, ut illius metu peccatores ad meliorem frugem revocentur; Pii vero ejus expectatione recreentur, nec in adversis rebus deficiant. Hinc illud Sapientis divinum oraculum: *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, Eccl. 7.

Q. In quo loco fiet judicium universale.

R. Communis sententia est, locum illum esse vallem *Josaphat*, quæ jacet inter Jerosolymam urbem, & montem Oliveti, quod satis expresse deducitur ex Propheta dicente: *Congregabo omnes gentes, & deducam eos in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis*, Joel. cap. 3.

Q. *Quomodo Vallis illa parva, ut referunt Peregrini, tantam judicandorum multitudinem continere poterit?*

R. Aliqui respondent judicium in valle Josaphat esse quidem faciendum, non tamen eo sensu, quasi omnes judicandi intra ambitum vallis illius comprehendi debeant; sed quod in ea, & circa eam judicandi consistent, cum hoc tamen discrimine, quod Electi non manebunt in terra, *sed rapientur*, ut ait Paulus, *in nubibus cum Christo in aera*, 1. Thess. 4. Reprobi autem in terra.

DE SIGNIS UNIVERSALIS JUDICII.

Q. Quæ signa præcedent judicium universale?

R. Alia sunt signa generalia, alia particularia. Generalia sunt, quæ diversis temporibus accidunt in Ecclesia Dei, & jam acciderunt. *Audituri estis prælia & seditiones &c. Surget gens contra gentem; erunt pestilentiæ & fames, & terræmotus*, Matth. 24.

Alia sunt signa particularia, & magis propria illius diei, de quibus dixit Christus: *Cum videritis hæc fieri, scitote quia prope est in januis*, Matth. 24.

1. Signum approximationis judicii est prædicatio Evangelii in toto orbe, ut Apostolis declaravit Christus: *Et prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio*, Matth. 24.

2. *Romani imperii abolitio*, quod intelligendum est de totali; quia jam multum diminutum est, cum non nisi in Germania extet: Et Anti-Christi adventus, juxta illud; *nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c.* 1. Thessal. 1.

Q. Cum Christus præcursorem habuerit Joannem Baptistam, habebitne pariter secundi sui adventus quemdam præcursorem?

R. Certissime. Præcursores Christi ad judicium venturi futuros esse Eliam & Enochum Scriptura testatur: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*, Malachiæ 4. Quæ verba de secundo adventu *justitiæ* sunt intelligenda, non de primo, qui fuit adventus *misericordiæ & redemptionis*.

Deinde in Apocalipsi legitur: *Tunc Deus dabit spiritum suum duobus testi-*

bus

bus, Enocho nempe & Eliæ, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis... Cum finierint testimonium suum, Bestia, idest Anti-Christus *quæ ascendit de abisso, faciet adversus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum jacebunt in plateis Civitatis magnæ... Ubi & Dominus eorum crucifixus est*, Apocal. cap. 11.

Q. Numquid Elias & Enochus mortem jam gustarunt, sicut cæteri hominum?

R. Minime. Elias transvectus est in cœlum in igneo curru, igneis equis ducto. Idem de Enocho asserit S. Paulus: *Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit eum Deus*, Heb. cap. 11. v. 5.

Quem in locum translati sint hi duo Prophetæ, certo non constat. Non desunt qui credant, translatos esse in Paradisum Terrestrem, ex quo in exitu mundi adversus Anti-Christum prodibunt. Ipsos igitur adhuc vivere, non a Christianis tantum, sed & a Judæorum vulgo creditur.

DE
ANTI-CHRISTO.

Q. QUis erit Anti Christus, & cujus nationis?

R. Erit Judæus origine, ex Tribu Dan, & in Babilone nascetur ex fornicaria muliere, juxta Prophetiam Jacob: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*, Gen. 49.

Q. Cujus conditionis erit? an dives, & potens?

R. Ab initio vilis quidem erit, sed postea magicis artibus, blanditiis, hipocrisi, eloquentia, fictis miraculis, aliisque fraudibus regiam dignitatem obtinebit: Et ob hanc causam Sancti Patres existimant Sanctum Joannem in Apocalypsi *Tribum Dan* omisisse in odium Anti-Christi.

Q. Quales erunt ipsius mores?

R. Erit omnium hominum, qui unquam fuerunt nequissimus, turpissimam vitam agens in libidinibus & concupiscentiis fœminarum. Magnus erit politicus & se humanum quidem demonstrabit in regni sui præludiis, & Legis Moysis zelatorem, ut Judæos alliciat: At quamvis exterius insignis futurus sit hipocrita, & pietatis simulator, interius tamen erit atheus, impius, blasphemus in Deum & Sanctos, occulte Diabolum adorans, cujus virtute signa faciet mirabilia ac prodigia, falsa quidem ad fidelium animos expugnandos, &c. Cum autem rerum potitus fuerit, Ecclesiam Dei persequetur, perversitatemque suam depromet.

Q. Qualis erit ejus doctrina?

R. Primum ejus Doctrinæ fundamentum erit, Jesum-Christum verum Messiam non fuisse, nec Filium Dei, nec Salvatorem mundi, & totam ejus Religionem esse vanam superstitionem, ac proinde Moysis legem esse resumendam, & circumcisionem retinendam: hac enim ratione dicitur Anti Christus. *Quis est mendax? nisi qui negat Jesum esse Christum, & hic est Anti-Christus*, 1. Joann. 2.

Q. Qualem se esse prædicabit?

R. Excluso vero Messia Judæis persuadebit se esse Messiam in lege promissum: Et hoc intelligunt Patres significasse Christum illis verbis: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*, Joann. 5. Et idem significatur illis verbis: *Si dixerint vobis: ecce hic est Christus, nolite credere*, Matth. 24. Docebit pariter, ac persuadebit hominibus, ut credant nullum esse verum Deum præter ipsum:

Etc

Et hoc expreſſe colligitur ex Epiſtola ſecunda Beati Pauli, ad Theſſalonicenſes cap. 2. *Extolletur ſuper omne id quod dicitur Deus; ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.*

Tandem uſque adeo crudeliter perſequetur Chriſtianos, ut eorum major pars ei ceſſura ſit.

Q. Quot annis regnabit?

R. Per fraudes obtenta regia dignitate, pugnabit contra decem reges, qui deleto Romano Imperio tunc omnes illius regiones occupabunt, omneſque expugnabit, & horum etiam tres occidet, atque ita fiet Monarcha orbis: Et hoc aperte colligitur ex Daniele Propheta cap. 7. *Cornua decem decem reges erunt, & alter conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit.*

Quantum vero ſpectat ad finem regni ejus, & excidium, tantum regnabit per tres annos cum dimidio, & tandem occidetur in Jeruſalem, ubi ſedem fixerat, in monte Oliveti. Occidetur autem vel immediate per ſpiritum, ſeu virtutem Chriſti, vel opera Michaelis Archangeli, cum ſuperbiſſime in illo monte conſederit tanquam inde conſcenſurus in cœlum, ut fuſe probat noſter Cardinalis de Laurea Lib. de 4. Noviſſimis.

CONTROVERSIA.

DE ANTI-CHRISTO.

Q. EStne Romanus Pontifex Anti-Chriſtus, ut buccinant Hæretici?

R. Quam cæci ſint, & quam a veritate aberrent, comparatione utriuſque demonſtrabitur.

1. Anti-Chriſtus venturus eſt in fine mundi.

Summus Pontifex jam a mille ſeptingentis annis & ultra, Eccleſiam gubernat per cotinuam nullatenus interruptam ſucceſſionem a Petro uſque ad Benedictum XIV. modernum fæliciter regnantem.

2. Anti-Chriſtus erit ſingularis homo, *filius perditionis* appellatus.

Summi Pontifices excedunt numerum ducentorum, & inter eos multi Sancti.

3. Anti-Chriſtus ſe Chriſtum & Meſſiam venditabit.

Papa dicit ſe Chriſti Vicarium.

4. Anti-Chriſtus extollet ſe ſupra omne quod dicitur Deus.

Pontifex nominat ſe ſervum ſervorum Dei.

5. Anti-Chriſtus veniet abrogato Imperio Romano.

Necdum eſt omnino abrogatum.

6. Anti-Chriſtus ſedem Monarchiæ ſuæ figet Jeroſolymis. Et ibi adorabitur ut Deus, idque per tres annos cum dimidio, ibique Eliam, & Henoc alioſque Chriſtianos occidet.

Quis Pontificum Romanorum illa fecit?

7. Anti Chriſtus legem Moyſis reſtituet.

Hoc nullus Pontificum fecit.

Ergo Papa non eſt Anti-Chriſtus.

Q. Quomodo intelligendus eſt S. Joannes, qui in prima ſua Epiſtola, cap. 4. ait: Anti-Chriſtum jam ſuo tempore veniſſe, & in mundo etiam nunc eſſe?

R. Loquitur S. Joannes de quibuſdam impoſtoribus, ſeductoribus, & hoſtibus Chriſti, uti fuerunt *Ebion*, *Cerinthus*, & alii, quos Anti-Chriſtos vocat.

Quantum autem ad iſtum nefandum hominem, qui præcedet judicium univerſale, licet dicat quod jam venerit, poteſt dici quod jam venerit, non in propria perſona, ſed in ſpiritu, puta

in

in suis præcursoribus, quales sunt Hæretici.

DE

FORMA JUDICII.

Q. EXtincto *Anti-Christo*, *finitaque ejus persecutione*, *quid fiet?*

R. Christus ipse Salvator noster postquam prædixit maximam illam mundi vexationem per Anti-Christum, subdit.

Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum. & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur, & tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo. Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate, Matth. 24.

Addit Sanctus Lucas: *Erunt terræ motus magni per loca, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum: ingens ubique pavor, arescentibus hominibus præ timore: Tunc ignis inflammabit universum orbem. Et tuba terribilis suscitabit mortuos; Et tunc descendet justus Judex cum potestate & majestate magna.*

Q. Quale erit signum illud Filii hominis?

R. Sanctus Chrysostomus putat signum illud seu vexillum, ipsissimam fore Crucem, cui affixus fuit Christus, ministerio Angelorum ante conspectum advenientis judicis præferendam, una cum columna, flagellis, spinea corona, clavis, lancea est Unde Ecclesia canit in die Sanctæ Crucis: *Hoc signum erit in cœlo cum Dominus ad judicandum venerit*. Quamvis enim modo instrumenta illa in fragmentorum miriades parita sint, per divinam tamen potentiam in integrum restituentur.

Q. Eritne horribile valde illud judicium?

R. Horribilissimum erit, maxime reprobis. Superius erit Judex iratus; subtus horrendum chaos; a dextris peccata accusantia; a sinistris dæmonia ad supplicium trahentia. Heu miser peccator! quo effugies? latere erit impossibile; apparere erit intolerabile. Ibi vix justus salvabitur.

Q. Quis erit Judex in isto Judicio?

R. Dogma fidei est Christum Dominum futurum supremum Judicem: *cum venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabunt ante eum omnes gentes*, Matth. 25.

Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, Joann. 5.

Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ad Corinth. cap. 5.

Ipse est, qui constitutus est Judex vivorum & mortuorum, Act. cap. 10.

Hæc assertio habetur in Simbolo: *qui venturus est judicare vivos & mortuos.*

Q. *Eruntne cum Christo alii conjudices in hoc ultimo judicio?*

R. Est de fide Sanctos esse cum Christo sessuros ac judicaturos, cum hoc expresse doceat Scriptura: *Amen amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel*, Matth. 10.

Idem habetur Lucæ 20. & alibi frequenter, ut Sapientiæ 3. *judicabunt nationes & dominabuntur populis.*

Q. *Si solus Christus constitutus sit Judex vivorum & mortuorum, quomodo Sancti judices esse poterunt?*

R. Sciendum quod judex in aliquo dicitur duplici ratione; aut quia ipsius est ferre sententiam, aut quia assistit ferenti. Qui fert sententiam, ille est judex principalis, & talis est solus Chri-

Christus. Qui assistunt, etiam nomen & dignitatem judicantis sortiuntur: Et tales sunt Apostoli principaliter.

Assistentia tamen illa non erit ad consulendum, cum Dominus consilio non indigeat, sed erit tanquam ad quemdam honorem, & appropinquationem ad judicem, cujus sententiam ut justam approbabunt, & malorum vitam sua comparatione condemnabunt.

Q. *Angeli eruntne etiam ipsi judices in judicio?*

R. Noster Cardinalis Laurea credit quod Angeli etiam assistent in Judicio, & ut assessores judicabunt, quod probari putat ex illo Matthæi cap. 16, *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis.*

Communis tamen sententia est, quod Angeli potius erunt ministri in hoc judicio, quam judices. Neque enim legitur quod sint cum supremo Judice Christo consessuri. Quod si judicaturi sint, non nisi consentiendo, & approbando sententiam judicis, id quod omnibus Electis commune erit.

Q. *Quinam sint judicandi in Judicio?*

R. Omnes homines, adulti, parvuli, electi, reprobi, fideles, infideles &c. Quod deducitur ex Scriptura: *Congregabo omnes gentes, ut deducam eos in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis*, Joel. 3. *Congregabuntur ante eum omnes gentes*, Matth. 25. *Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni*, Apocal. 3.

At non solum homines comparebunt in judicio universali, sed omnes etiam aderunt Angeli sive boni, sive mali. De bonis quidem patet ex loco Matthæi citato 25. *Cum venerit Filius hominis, & omnes Angeli ejus cum eo.* De malis etiam patet: *Nescitis quia Angelos judicabimus*, 1. Corinth. 6.

Q. *Peccata justorum remissa sunt ne in judicio propalanda?*

R. Aliqui Patres dicunt quod non; quia promisit Deus, quod *si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabitur amplius*, Ezech. 18. Et Psalmo 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata.* Et ratio id suadet, quia talis peccatorum propalatio in Electis ruborem & confusionem causaret, quæ eorum statui repugnat; & Sancti in die judicii honorandi sunt & præmiandi, non infamandi.

Probabilius tamen est secundum Sanctum Thomam, & S. Bonaventuram omnia justorum peccata, & præsertim mortalia esse in judicio manifestanda: si enim de *verbo otioso reddenda erit ratio*, Matth. 12. per verbum autem otiosum intelligitur peccatum levissimum & frequentissimum, multo magis de aliis gravioribus reddenda erit ratio.

Et hæc est sententia Augustini, in libro Meditationum capite quarto dicentis: *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simulque locutionum.*

Et quidem hoc etiam ipsa ratio suadet: Nam ut constet Christi judicantis & Sanctos prœmiantis justam esse sententiam, non sufficit ut eorum merita manifestentur, sed constare etiam oportet, illa quoque viva permansisse, & omnia impedimenta fuisse sublata, & peccata, si quæ commissa fuerunt, per pœnitentiam sufficienter fuisse purgata atque remissa.

Nec ulla in Electis ex eorum manifestatione orietur confusio, nec tristitia; quia per pœnitentiam peccata eorum deleta videbuntur.

Ad id quod dictum est, quod peccatorum remissorum non recordabitur Deus, subintelligitur, *ut puniat.*

DE

DE QUIBUS HOMINES JUDICABUNTUR.

Q. *De quibus rebus ratio exigetur in judicio?*

R. De omnibus omnium hominum cogitationibus, verbis, & operibus, commissis & omissis &c.

De *cogitationibus* habetur in Epistola prima ad Corinthios cap. 4. *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*

De *verbis* dicit Christus: *omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii*, Matth. cap. 12.

De *operibus commissis* loquitur Paulus: *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*, 2. Corinth. 5.

De *operibus omissis* patet ex sententia judicis: *Esurivi enim & non dedistis mihi manducare*, Matth. 15.

Q. *Institueturne etiam examen de operibus bonis?*

R. Ita. Pensabitur ibi qua intentione, & qua perfectione facta fuerint: *si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinget me*, Job. cap. 9.

Q. *Si de his omnibus reddenda sit ratio, quare in sententia fit tantum mentio operum misericordiæ & omissionis eorum?*

R. 1. Ut sciant homines fidem solam non sufficere, sed charitatem & opera requiri.

2. Ut intelligant nullum adeo esse grve peccatum, quod charitas non operiat; ac proinde juste damnandi sint, qui peccata sua operibus misericordiæ non redemerint.

Q. *Quinam erunt in isto extremo Judicio accusatores, & qui testes?*

R. Christus ipse accusator & testis erit: *Ego sum judex & testis*, Jerem. 29. Et Psalmo 49. *Arguam te & statuam contra faciem tuam.*

2. Angeli boni impios accusabunt, quod eorum monitis acquiescere noluerunt.

3. Dæmones etiam accusatores erunt, de quibus dicitur: *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabit illos ante conspectum Dei nostri*, Apocal. cap. 12.

4. Accusabuntur peccatores ab iis, quibus fuerunt causa, seu occasio damnationis.

5. Præcipuus tamen reproborum ac proborum accusator erit ipsamet eorum conscientia, ut Paulus testatur his verbis: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis ... testimonium reddente illis conscientia ipsorum in die cum judicabit Deus occulta hominum*, Rom. 2.

VIVOS ET MORTUOS.

Q. *Quid intelligendum per vivos & mortuos? nonne omnes homines mortui erunt, cum Dominus ad judicandum venerit?*

R. Per vivos intelligi debent ii, qui adveniente Christo eadem ipsa die adhuc vivi reperientur, & nihilominus in uno instanti, in ictu oculi, canente tuba, id est imperante Deo, morientur omnes, & quasi subito resurgent ad vitam immortalem. Et ita intelligendus est textus Pauli: *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus, obviam Christo in aera*, 1. Thesal. 4.

Quia ergo brevissimo tempore mortui manebunt, *viventes* vocantur. Et sic Christus dicitur judicaturus vivos & mortuos.

Per *mortuos* vero intelligi debent, qui

qui pridem fuerunt mortui, & inter mortuos jacuerunt ſepulti.

Q. Erimuſne omnes ante tribunal Chriſti mixtim & ſine ordine?

R. Non. *Mittet Deus Angelos ſuos cum tuba & voce magna: ſurgite mortui, venite ad judicium;* mox Angeli ſeparabunt malos de medio juſtorum. Mali in terra relinquentur, & juſti ſtabunt in aere ante Chriſtum.

Q. *Eritne acerba ſeparatio ejuſmodi ab invicem?*

R. Acerbiſſima, & ſupra quam dici poteſt amariſſima. Numquid enim pudendum erit, eum qui multis nominibus præcellere cœteros videbatur, ad ſiniſtram cum hædis ſtatui; cœteros ad dexteram cum ovibus collocari? filium a patre, matrem a natis dividi, quos ingenti dolore peperit, ubere lactavit, amantiſſime educavit? Parochum a ſubditis ſuis, ipſum Prædicatorem ab auditoribus, diſcipulos a magiſtris, a quibus eruditi ſunt ſeparari, æternum, æternum ſeparari?

Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, & præ anguſtia ſpiritus gementes: hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperii: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt: Ergo erravimus a via veritatis... laſſati ſumus in via iniquitatis: ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus: quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra &c.

Q. Diſcuſſis ſingulorum meritis & demeritis, quid fiet?

R. Tunc vertens ſe Chriſtus ad eos, qui a dextris erunt, hanc ſententiam dicet: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi: eſurivi enim & dediſtis mihi manducare* &c. Matth. 25.

Venite de tenebris ad lucem, de labore ad requiem perennem, de morte ad vitam, de malorum ſocietate ad Angelorum conſortium, de loco tentationum ad cœlorum æterna gaudia.

Q. Quænam ſententia feretur contra reprobos?

R. *Diſcedite a me maledicti, ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus: eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare &c.*

Diſcedite a me, hæc eſt pœna damni. A *me*, quem vulneraſtis, quem crucifixiſtis, cui obtemperare, & ad quem venire noluiſtis &c.

Ite maledicti, recedite operarii iniquitatis, *ite in ignem æternum*. Hæc eſt pœna ſenſus. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum.*

Q. *Quæ pœna erit gravior, pœna ſenſus, an pœna damni?*

R. Reſpondet Chryſoſtomus: multi timent ſolum ignis acerbitatem, ſed privatio viſionis Dei longe gravior erit & acerbior. Ignis eſt intolerabilis, ſed ſi mihi mille ignes propones, non tanti æſtimo, ac privari illa Beatitudine, gloria, præſentia Chriſti, *Parenæſi*, 1. *ad Theodorum.*

Q. *Parvuli ſolo originali infecti, comprehendenturne ſub hac ſententia condemnatoria?*

R. Affirmant aliqui, dicentes illos puniendos eſſe, non ſolum pœna damni, ſeu privatione viſionis Dei, ſed etiam pœna ſenſus, ex igne provenienre, mitiori tamen quam adultos, quia peccatum actuale non habuerunt.

Alii communius & verius id negant, quod conſtare dicunt ex ratione quam Chriſtus reddet proferens ſententiam: Tota enim in actualibus peccatis nititur, ut conſtat ex textu: *Eſurivi, & non dediſti mihi manducare*, Matth. 25.

Attamen cum parvuli cum ſolo origi-

ginali decedentes a sinistris futuri sint, dici potest, quod partim comprehendentur sub sententia condemnatoria, & partim non. Comprehendentur quidem sub illis verbis: *Discedite a me*, solam pœnam damni significantibus: sub aliis vero: *ite in ignem æternum*, pœnam sensus significantibus, non comprehendentur, quia propria voluntate non deliquerunt.

Quod autem parvuli pœnam damni sint passuri, seu conspectu Dei perpetuo cerituri, constat ex illo Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Q. *Cur pueri decedentes cum originali pœnam sensus non patientur?*

R. Quia nemo punitur pœna positiva & sensibili, nisi propter peccatum actuale propria voluntate commissum, etiam si aliquem habeat actualem defectum: quamvis enim Princeps juste possit ab aliquo officio reiicere ut indignum, quem novit carere habitu justitiæ, aut pronum ad furtum; non tamen juste ob id illum punire potest; sed tantum quando reipsa furatur. Sic igitur pariter in proposito, quamvis parvuli possint a cœlorum regno excludi, ut indigni, ob gratiæ defectum, & habituale, seu originale peccatum; non propterea positiva pœna, & sensibili debent puniri, quia propria voluntate nihil commiserunt.

Oppositam sententiam valde duram appellat S. Bonaventura, quod hac ratione probat; quia acerbitas pœnæ, quantitati delectationis correspondet, juxta illud Apocalypsis cap. 18. *Quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*: Sed parvuli nullam delectationem inordinatam habuerunt, nec in spiritu, nec in carne; ergo nec ullum tormentum, aut pœnam sensus pati debent.

Q. *Pueri patientes pœnam damni habebuntne ex ea aliquem dolorem vel tristitiam?*

R. Respondet Augustinus lib. de peccat. meritis & remiss. cap. 27. infantes in Limbo nec tristari nec dolorem pati, quia divinæ voluntati sunt perfecte submissi. Imo, secundum Sanctum Bonaventuram, causas potius solatii habebunt, quæ omnem tristitiam impedient: V. G. quod non peccaverint peccato actionis ex una parte; Et ex alia quod non patiantur pœnam ignis, ut damnati in inferno. Pro quo rationem satis idoneam affert Sanct. Doctor, *in 4. dist. 3. art. 1. quæst. 1.* Quia nimirum infantes constituti sunt a Deo in statu quodam medio inter damnatos, & Beatos: Quare opus fuit, ut ex una parte Beatitudine carerent, sicut damnati: & ex altera nullum haberent dolorem, sicut Beati. Ex quo fit, ut licet agnoscant se carere Beatitudine ad quam fuerant ordinati, & ex hac parte magnam haberent tristitiæ occasionem; quia tamen simul agnoscunt se evasisse gravissimas inferni pœnas, & peccata mortalia; ita quasi in æquilibrio sunt constituti, ut non doleant de ea Beatitudinis amissione, sed potius gaudeant de pœnarum inferni evasione.

Q. *Prolata sententia dissolveturne statim Judicium?*

R. Certe. Cum sententia sit veluti ultima judicii forma, hac prolata nihil aliud superest agendum; Tum quia licet prolatio sententiæ, ac ejus executio distingui possint: tamen cum sententia Christi sit efficax, statim sine mora executioni mandabitur, & per modum efficacis imperii ab eo proferetur, *ite maledicti &c.* & *venite benedicti*, &c.

Statim ergo ad vocem & imperium Christi judicis aperietur terra, ut damnatos devoret, & corpora damnatorum in infernum descendant. Cum enim

nim corpora illa dote ſubtilitatis non ſint affecta, quæ eſt propria Beatorum, terram penetrare non poterunt, atque ideo maximus terræ hiatus tunc aperietur ad illa recipienda.

Ex alia parte Chriſtus eodem tempore cum omnibus Electis, eadem, vel ſi fieri poteſt majori gloria & triumpho in cœlum redibit, unde judicaturus deſcenderat, ut ibi perpetuo cum illis regnet.

Q. *Quid faciendum eſt antequam adveniat dies ille magnus, & terribilis, ut ſecure comparere poſſimus ante tribunal Chriſti?*

R. Facere debemus fructus dignos penitentiæ, prout ipſe Chriſtus declarat in Evangelio: *Attendite vobis*, inquit, *ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis.* Verba ſunt Chriſti Domini. Luc. 21.

Q. *Deſiderantne pii diem Judicii?*

R. Maxime. Propheta Regius deſiderium ſuum ita exprimit: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini?* Pſalm. 41.

Et Sanctus Joannes: *in hoc*, inquit, *eſt perfecta charitas vobiſcum, ut fiduciam habeamus in die Judicii.*

Dies Judicii ſpes eſt Chriſtianorum, qui diligentes Deum, & Chriſto ſincere ſervientes, cum fiducia dicere poſſunt: *Adveniat regnum tuum.*

Q. *Eſtne utilis Judicii univerſalis meditatio?*

R. Præpotentiſſima eſt ad refrænandos paſſionum noſtrarum motus, & ad ſuperandas Dæmonum tentationes.

Scribit Dionyſius Carthuſianus, *Lib. de Remediis tentationum, art. 2.* Viros ſanctos, eorum, quæ in noviſſimo judicio futura ſunt, conſideratione frequenter compunctos, viriliter omnibus tentationibus reſtitiſſe, & præſertim Hieronymum ejuſdem judicii terrore perculſum fuiſſe.

Horum, inquit, *conſideratione Sancti viri frequenter compuncti fuerunt ac territi, reſiſtentes fortiſſime omni tentationi ac pravitati.*

Unde Sanctus fatetur Hieronymus: *quoties diem illum conſidero, toto corpore contremiſco.* Sive enim comedo, ſive bibo, ſive aliud aliquid facio, *ſemper mihi videtur tuba illa terribilis* ſonare in auribus meis: *Surgite mortui, venite ad Judicium.*

De ſe fatetur Auguſtinus Lib. 16. Confeſſ. cap. 16. Nullum ſibi fuiſſe fortius retinaculum a præcipitio carnalium voluptatum, quam mortis & judicii ultimi recordationem.

Nec me, inquit, *revocabat a profundiore carnalium voluptatum gurgite, niſi metus mortis*, & futuri judicii tui, *qui per varias quidem opiniones nunquam tamen receſſit de pectore meo.*

Placeat hic etiam audire S. Bernardum: *Utinam ſaperes quæ Dei ſunt; intelligeres quæ mundi ſunt, provideres quæ inferni ſunt, profecto inferna horreres; ſuperna appeteres, quæ ſunt mundi contemneres*, Epiſt. 292.

CREDO IN SPIRITUM SANCTUM.

Q. *Quid debemus intelligere per Spiritum Sanctum?*

R. Spiritus Sanctus æque de Patre & Filio dici poteſt, uterque enim Spiritus eſt & Sanctus, imò & de Angelis & Animabus Beatis qui & Spiritus & Sancti ſunt. In hoc tamen Simboli arti-

articulo Spiritus Sancti nomine *tertia Trinitatis Persona* intelligenda est.

Q. *Cur hæc tertia Persona seu Spiritus, potius Sanctus dicitur, quam Filius?*

R. Inde oritur, quod procedat per amorem & voluntatem, unde omnis *sanctitas*, sicut & *malitia* originem habet; Filius autem per intellectum, adeoque per motum naturalem, circa quem non attenditur sanctitas. Vel etiam dicitur *Sanctus*, quia peculialiter ad ipsum pertinet homines & Angelos sanctificare.

Q. *Quare proprium nomen non habet, sicut Pater & Filius?*

R. Hoc non provenit ex imperfectione ipsius tertiæ Personæ, sed ex ignorantia nostra. Nomina quippe quæ Deo tribuuntur, a rebus creatis mutuari cogimur: & quia apud nos qui generat dicitur *Pater*, & qui generatur *Filius*, & in Deo est generatio, non *corporalis*, sed *intellectualis & purissima*, ideo prima quæ generat dicitur *Pater*; & secunda quæ generatur dicitur *Filius*. Tertia vero quæ procedit a prima & secunda per productionem nobis incognitam, non habet proprium nomen, sed relinquitur ei nomen commune *Spiritus Sanctus*.

Sic discurrunt non pauci Theologi. Dicendum tamen istud nomen impositum esse ex *divina institutione* tertiæ Personæ, velut *proprium* ejus, ex eo quod procedat a Patre & Filio per viam voluntatis, & per modum amoris, & per actum, qui dicitur *spiratio*; unde merito *Spiritus Sanctus* appellatur. *Spiritus in rebus corporeis*, inquit S. Thom. *impulsionem quamdam & motionem significare videtur; nam flatum & ventum nominamus. Est autem amoris quod moveat & impellat voluntatem in amatum*, 1. part. quæst. 36. art. 1.

Idcirco Christus daturus Spiritum insufflavit in discipulos, & in die Pentecostes, adveniente Spiritu Sancto, *factus* scribitur a Luca *repente de cœlo sonus tanquam advenientis Spiritus vehementis*.

Q. *Estne Spiritus Sanctus verus Deus?*

R. Imò, æqualis Patri & Filio, & simul cum ipsis adorandus & conglorificandus. Hæc veritas confirmatur ex Sacris Litteris. Cum Sanctus Petrus dixisset Ananiæ: *cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto*; mox subdit: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*, Act. 5. Ergo Spiritus Sanctus est Deus.

2. Solus Deus est ubique: & tamen de Spiritu Sancto dicitur: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, Sap. 1.

3 Solus Deus novit omnia; & de Spiritu Sancto dicit Apostolus: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*, 1. Corinth. 2.

4. Formula Baptismi idem probat: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. *In nomine*, non in nominibus: Ubi unum nomen audis, unus est Deus. Si Spiritus Sanctus non esset Deus, nullum ex Baptismo perciperemus fructum. Cum igitur in nomine Spiritus Sancti baptizemur, eum esse Deum credendum est.

Q. *Spiritus Sanctus proceditne a Patre & Filio?*

R. Pluribus in Conciliis definitum fuit ab utroque procedere; & quotidie canit Ecclesia in Symbolo, quod inter Missarum solemnia recitatur: Qui a Patre Filioque procedit.

Olim negarunt Græci; sed convicti in Conciliis Generalibus Lugdunensi, cui interfuit S. Bonaventura sub Gregorio X. & Florentino sub Eugenio IV. luculentis & perspicuis testimoniis, *Processionem* Spiritus Sancti *a Patre & Filio* cum Latinis Patribus professi sunt.

Ipsis tamen indultum est, ut Simbolum Nicœnum in suis Ecclesiis absque ulla additione canerent & legerent, post-

quam id sibi concedi enixe rogaverunt: sed paulo post, pro levitate ingenii hujus nationis, in pristinum prolapsi sunt errorem.

Q. *Differtne Symbolum Nicanum a Constantinopolitano?*

R. Non differre nisi penes minorem & majorem explicationem apertum est. Unde passim pro eodem sumuntur. Simbolum autem, quod in Missa canitur, est Symbolum Constantinopolitanum.

Q. *Qualiter demonstrari potest Spiritum Sanctum a Filio sicut a Patre procedere?*

R. Hoc dogma Catholicum ex variis probatur Sacræ Scripturæ locis. Christus loquens de Spir. Sanct. ait: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet: omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet*, Joa: 16. Ex quibus verbis sic ratiocinandum est: Si quæ Patris sunt, Filii sint, quidquid a Patre accipit Spiritus Sanctus, a Filio accipit, essentiam, potestatem, scientiam, quæ omnia in Deo unum sunt.

Deinde Spiritus Sanctus nonnunquam Spiritus Christi dicitur, ut ad Galatas cap. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.*

Similiter modo a Patre, modo a Filio mitti dicitur, ut æque a Patre & Filio procedere, tanquam ab uno principio, significetur: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*, Matth. 10.

Ex hoc enim quod mittitur a Filio Spirius Sanctus, procedit ab illo; quia in Divinis nulla Persona mittitur ab alia, nisi procedat ab ea.

Unde Pater nunquam dicitur *mitti*, quia a nulla Persona procedit: Filius vero dicitur mitti a Patre, non a Spiritu Sancto, quia a Patre procedit, & non a Spiritu Sancto: Ergo si Spiritus Sanctus mittitur a Patre & Filio, a Patre etiam, Filioque procedit, ut ab uno spirationis principio.

Quod si Christus loquens de eo, a quo procedit Spiritus Sanctus, solius Patris expresse meminerit, & non sui, hoc fuit, quia ordinarie omnia refert in Patrem, a quo ipsemet procedit, & vim spirandi accepit: Unde Joa: 7. asserit: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris.*

Q. *Quæ nomina tribuuntur Spiritui Sancto?*

R. Plurima, quæ refert & explicat S. Bonaventura lib. 1. Compendii Theologici, cap. 9.

Dicitur 1. *Paraclitus*, id est *consolator*: quia *consolatur nos in omni tribulatione nostra*, Joann. 15.

2. *Advocatus*, quia *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Rom. 3.

3. *Fons vivus*, quia muudat nos a peccatis nostris, & irrigat ariditatem animæ nostræ, ad fructificandum, & proficiendum in virtutibus.

4. *Ignis*, quia affectum in nobis accendit.

5. *Charitas*, non tantum quia amor est Patris & Filii, sed quia nos amantes facit.

6. *Spiritualis unctio*, quia omnes tribulationes mundanas suaves facit, & mundas, secundum quod in Rythmo canit Ecclesia: *in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.*

7. *Donum Dei Altissimi*, ut habetur Actorum 2. *accipietis donum Spiritus Sancti*. Nomen *Doni*, quatenus est personale, proprium est Spiritus Sancti, quia ille solus vi suæ processionis procedit a Patre & Filio *ut amor*. Amor igitur primum donum est, per quod cætera donantur: ideo enim dona largimur alicui, quia ipsum amamus. Unde Scotus in 1. dist. 18. n. 7. *Nihil habet*, inquit, *rationem doni, nisi in quantum cadit sub actu amoris*; *ab amore enim procedit omne donum.*

Si fiat respectus ad creaturas, Spiritus

ritus Sanctus, etiam donum vocatur, quia Pater & Filius, a quibus procedit, cum nobis liberaliter donarunt: *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctum, qui datus est vobis*, Rom. 3. *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum... apud vos manebit & in vobis erit*, Joann. cap. 14. & 16.

Q. *Possuntne etiam aliae Personae Divinae dici Donum?*

R. Ita: quia singulae possunt nobis se ipsas donare, juxta illud Joannis: *ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*. Quod de tota Trinitate dicitur.

Q. *Ad quid Spiritus Sanctus nobis datur?*

R. Ut nos vita gratiae vivificet atque sanctificet. Hinc Deus per Prophetam: *dabo*, inquit, *vobis Spiritum, & vivetis*. Unde Sancti Patres vocant Spiritum Sanctum sanctificationis originem. Anima nostra charitate vivit: Vita enim animae est Deus, *Deus autem charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*.

DE

DONIS SPIRITUS SANCTI.

Q. QUae sunt Spiritus Sancti dona?

R. Septem enumerantur, quae super Christum requievisse Propheta testatur, ut donum sapientiae, intellectus, consilii, scientiae, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini, Isaiae 11.

Q. *Quae differentia inter virtutes & Spiritus Sancti dona?*

R. Virtutes docent recte operari, dona vero expedite & facilius, per ea enim quasi per gradus ad perfectionem ascendimus.

Q. *Cur haec Dona Spiritus Sancti dicuntur?*

R. Quia ea omnia, quae ex charitate Dei in nos emanant, Spiritui Sancto tribuuntur, licet sint toti Trinitati communia.

Q. *Quid est Timor Domini?*

R. Est Spiritus Sancti donum, quo peccator timore justitiae divinae salubriter concutitur ad conversionem. Unde Psalmista ajebat: *Confige timore tuo carnes meas*, Psalm. 118. & Sapiens: *in timore Domini declinatur a malo*, Prov. 16. Item Ecclesiasticus: *qui sine timore est non poterit justificari*, cap. 1.

Q. *Quare incipis a timore Dei, & non a sapientia?*

R. Quia *initium sapientiae timor Domini*, Psal. 110. Non enim a sapientia ad timorem Domini pervenitur, sed a timore Domini ad sapientiam ascenditur. Nec refert quod Propheta *sapientiam* primo nominarit, quia ipse quasi per scalam de coelo ad nos descendit; unde primus gradus respectu eorum qui ascendere volunt, est *timor Domini*.

Q. *Quotuplex est timor?*

R. Duplex, servilis, & filialis. *Primus* est, quo peccatum vitatur, ne poena incurratur.

Secundus est, quo quis amore Dei, ne ab ejus divina gratia excidat, desistit a peccato; nam filiorum est timere offensam patris, & non committere id quod ei displicet. Et hic dicitur castus, reverentialis, & sanctus.

Q. *Estne bonus & utilis timor servilis.*

R. Quis dubitat, cum a Christo commendetur: *Timete*, inquit, *eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*, Luc. 12. Et Tridentinum, sess. 14. cap. 4. docet timorem illum ad justificationem in Sacramento obtinendam disponere. Igitur bonus est & utilis.

Et hic fuit acerrimus stimulus Apostolis, & Martyribus ad generose superandum equuleos, ignes, leones, & quaevis alia tormenta ab ingeniosa tiram-

rannorum crudelitate inventa, ut Christi sequaces a vera fide averterent, aut revocarent.

Q. *Habuitne Christus timorem Domini?*

R. Ita, sed plane filialem, ex intimo amore & reverentia Dei procedentem.

Q. *Quibus mediis pervenitur ad Dei timorem?*

R. Plurima exhibent Sancti Patres, sed præcipua sunt meditatio frequens novissimorum, maxime *Judicii & Inferni*.

2. Præsentia Dei, hoc est semper Deum habere præ oculis. *Duando comedis*, cogita Deum esse præsentem: *quando irasceris*, quando *rapis*, quando *delitiaris*, & quidquid tandem feceris. *Cogita adesse Deum*, nunquam ad iram accenderis; nunquam aliena furaberis, nunquam &c.

Q. *Qui sunt effectus timoris Domini?*

R. Sequentes enumerat S. Bonaventura *in Dieta salutis*, *tit. 6. de Donis*.

1. Timor Domini curat hominem a culpa perpetrata; quatenus præparat peccatorem ut ad Deum convertatur, juxta illud: *qui timent Dominum præparabunt corda*, Eccli. 2. Et instar antidoti purgat omnes peccatorum fæces: *Timor Domini expellit peccatum*, Eccles. 1.

Secundo, timor Domini custodit hominem a culpa futura, juxta illud: *Ut probaret vos, venit Dominus, & ut timor illius esset in vobis, & non peccaretis*, Exod. 20.

Tertio, timor Domini contemnit & sustinet temporalia mala, ut evadat æterna; Unde dicitur: *Timenti Dominum non occurrent mala*, Eccl. 35.

Tandem timor Domini hominem humiliat, & sic ad gloriam exaltat, quia secundum regulam Salvatoris: *qui se humiliat exaltabitur*, Luc. 14. Hinc Psalmista ait: *Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum*, Psal. 61. & 111. *Beatus vir qui timet Dominum.*

Q. *Quid est donum pietatis?*

R. Est donum Spiritus Sancti, quo is, qui timore Domini jam correptus, est & infernum perhorrescit, statuit deinceps voluntatem Dei, & mandata ejus adimplere. Sic per timorem fugit a castris Diaboli, & per pietatis donum accedit ad partes Dei. *Pietas*, inquit Apostolus, *ad omnia utilis est*, *promissionem habens vitæ*, *quæ nunc est*, *& futuræ*, 1. Tim. 4. v. 8.

Q. *Quid est donum fortitudinis?*

R. Est donum Dei, quo quis resolvit deinceps strenue Domino servire, ejusque voluntatem perficere, & confortatus omnem difficultatem superat, quæ in exercitiis pietatis occurrit: *Expecta Dominum*, *viriliter age*, *et confortetur cor tuum*, *et sustine Dominum*, Psal. 26. Et alibi: *Fortitudo mea*, *et laus mea Dominus*, *et factus est mihi in salutem*.

Q. *In quo sita est hæc fortitudo?*

R. In eo, ut te ipsum vincas. *Qui dominatur animo suo*, *fortior est expugnatore urbium*, Prov. 16. Pulchre S. Gregorius: *Fortitudo justorum est carnem vincere*, *propriis voluptatibus contraire*, *delectationem vitæ præsentis extinguere*, *hujus mundi aspera pro æternis præmiis amare*, *prosperitatis blandimenta contemnere*, *adversitatis metum in corde superare*, Lib. 8. Moral.

Q. *Quid est donum scientiæ?*

R. Est Spiritus Sancti donum, quo quis scientiam nanciscitur rerum Divinarum & humanarum, ad iis recte utendum ad salutem.

Si quis, ait Isidorus, *accepta scientia non ad Dei gloriam*, *sed ad suam laudem utitur*, *peccat*, *ubi peccata emendare debuerat*, Lib. 3. de Summo Bono.

Et Sanctus Bernardus: sunt qui scire volunt, eo fine tantum ut sciant; *Et turpis curiositas est*.

Et

Et sunt qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, v. g, pro pecunia, pro officiis & honoribus adipiscendis; *& turpis quaestus est*.

Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi; *& turpis vanitas est*.

Et sunt qui scire volunt, ut ardentius aedificent; *& pia charitas est*.

Et sunt qui scire volunt, ut aedificentur, & *sancta prudentia est*. Serm. 6. Super. Cant.

Et alibi: Vides quod non probat multum scientes, si modum sciendi nescierunt... Vide quo ordine, quo studio, quo fine, unumquodque scire oporteat.

Quo ordine? Ut illud prius, quod maturius movet ad salutem.

Quo Studio? Ut illud ardentius, quo vehementius ad amorem.

Quo fine? Ut non ad inanem gloriam & ostentationem; sed ad tuam & aliorum salutem, Serm. 36.

Vana igitur scientia est, quae non servit ad bene & pie vivendum.

Qui Christum noscit, sat scit, si caetera nescit.

Qui Christum nescit, nil scit, si caetera noscit.

Hinc Sanctus Paulus de se ipso dicebat: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum-Christum, & hunc Crucifixum*, 1. Corinth. 1.

Q. *Quid est donum consilii*?

R. Est Spiritus Sancti donum, quo Deus nos illuminat ad detegendas fraudes Diaboli, qui saepe sub *specie boni*, incautos decipit, v.g. sub honesto praetextu oeconomiae ad avaritiam inducit, &c.

Cum igitur in dubio haeremus, nec scimus quid agendum, aut eligendum sit; adeamus magni consilii Angelum: *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*, 2. Paral. 20. *Quis enim cognovit sensum Domini? Et quae Dei sunt, nisi Spiritus Dei*, 2. Corint. 2.

Q. *Quid est donum intellectus*?

R. Est donum, quo quis penetrat obscura, maxime Scripturarum, seu sustollitur ad contemplationem & intelligentiam mysteriorum Dei. *Da mihi intellectum, ut discam mandata sua*, Psalm. 118. Quod saepe repetit David, imo sibimetipsi gratulatur hoc donum obtinuisse: *incerta & occulta sapientiae tuae manifestasti mihi*, Psal. 50.

Q. *Qua ratione poterit homo impetrare hoc pretiosum donum intellectus*?

R. 1. Oratione: *Da mihi intellectum*, Psal. 118.

2. Fide: *Nisi credideritis, non intelligetis*.

3. Sui ipsius dimissione: *Intellectum dat parvulis*, Psalm. 118.

Q. *Quid est donum sapientiae*?

R. Est donum: quo qui Deum cognoscit, & per donum intellectus abdita mysteriorum ejus penetrat, omnes suas actiones in Deum dirigit tanquam ad finem suum.

Invenisti Sapientiam, *ait Bernardus*, si prioris vitae peccata defleas; si hujus saeculi desideria parvipendis, si aeternam Beatitudinem toto desiderio concupiscas, si Deum super omnia diligas, &c.

Q. *Potestne haec sapientia acquiri per studium*?

R. Cum S. Jacobus dicat: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo*, Epist. cap. 1. videtur quod haberi non possit nisi per inspirationem divinam.

DE

FRUCTIBUS SPIRITUS SANCTI.

Q. *Quot sunt fructus Spiritus Sancti?*

R. Duodecim, *Charitas*, *Gaudium*, *Pax*, *Patientia*, *Benignitas*, *Bonitas*, *Longanimitas*, *Mansuetudo*, *Fides*, *Modestia*, *Continentia*, *Castitas*.

Dicuntur fructus, quia sunt effectus diversarum virtutum, & quamdam suavitatem in cujuscumque hominis ex illis operantis animam instillant, quemadmodum fructus arboris in ore comedentis. Quo fit ut homo suaviter & delitiose currat in viam mandatorum Dei. Et sicut ex fructibus arborem cognoscimus, ita ex his Spiritus Sancti fructibus hominum bonitatem.

Q. *Quid est Charitas?*

R. Est virtus infusa in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum qui datus est nobis, qua *Deum* amamus super omnia, & *Proximum* sicut nos ipsos. Charitas summopore commendatur in Evangelio: *Bene Magister cum veritate dixisti, quia unus est Deus, & non est alius præter eum, ut diligatur Deus ex toto corde*, Marci 12.

In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; Et nos debemus pro *fratribus animam ponere*, 1. Joann. 4.

Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est, ibid.

Q. *Quæ charitas perfecta dici potest?*

R. Ea, quam describit Apostolus, dicens: *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*, 1. Corinth. 13.

Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, aut cimbalum tinniens.

Et si habuero omnem fiduciam, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, nihil mihi prodest.

Et si habuero omnem fiduciam, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: Et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, nihil mihi prodest.

Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, Ibid.

Q. *Qua ratione veri Christiani a falsis internosci possunt?*

R. Charitate, tum erga Deum, tum erga Proximum. Quæcumque alia signa aut falsa sunt, aut multum æquivoca. Hinc poeta quidam pius ita loquitur.

Non mihi Christicolas, jejunia longa, laborque,
Non mihi cum lachrymis vota, precesque notant,
Christicolam est aliud signum quod probat aperte
Christicolas veros exprimit unus amor.

Q. *Quid est Gaudium?*

R. Est fructus Spiritus Sancti, qui oritur ex conscientia purgata a peccatis, vitiis, & animi perturbationibus: Unde Apostolus vult, *ut semper in Domino gaudeamus*, ad Philip. 4. Et ante ipsum Propheta Regius ad idem invitat: *Lætamini in Domino, & exultate justi*, Psal. 33.

Q. *Potestne ergo homo semper gaudere in hac lacrymarum valle?*

R.

R. Quidni? si semper bene vixerit. *Cognovi*, inquit Salomon, *quod non esset melius, nisi lætari & facere bene in vita sua*, Eccles. 3. Et alibi *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum*, Eccl. 1. Idcirco Martyres læti properabant ad mortem.

Q. *Quid dicis de gaudio mundanorum hominum?*

R. Dico illud non esse verum gaudium, sed breve, instabile, & transitorium: *Laus impiorum brevis*, ait Job, *& gaudium hypocritæ ad instar puncti*, cap. 20. Ipsi siquidem, si vera vellent loqui, gaudium eorum innumeris amaritudinibus respersum confiterentur. *Plus cruciat remorsus conscientiæ, quam delectat dulcedo jucunditatis mundanæ*, S. Bonav. Dicta Sal. lib. 8.

„ Illud est verum gaudium, quod „ non de creatura, sed de Creatore „ concipitur; quod cum acceperis, nemo tollet a te; cui aliunde comparata omnis jucunditas *mæror est*; „ omnis suavitas *dolor est*; omne dulce *amarum est*, &c. S. Bern. serm. 6.

Q. *Quid est Pax?*

R. Est animæ tranquillitas, quam Spiritus Sanctus impertitur iis, qui ab omni peccatorum onere liberati, facti sunt participes gratiæ & amicitiæ Dei. Hanc pacem reliquit Christus Apostolis, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, Joann. 14. Quam suavis sit hic fructus Spiritus Sancti, declarat Paulus; *exuperat*, ait, *omnem sensum*, sive omnem intellectum. Suavitate hac & dulcedine non gaudent qui sibi male conscii sunt, quia *non est pax impiis, dicit Dominus*, Isa. 48.

Ipsi enim sequuntur suas cupiditates, quæ mille bella & in ipsa anima, & in rebus publicis generant; atque justo Dei judicio, dum seminant *iniquitates*, metunt *dolores*.

Nulla igitur eis fides adhibenda est, dum asserunt, aut persuadere aliis conantur se bonis hujusce mundi gaudere, cum tota animi tranquillitate: Hoc enim impossibile est. Pax illa, quam se habere jactitant, cum conscientia semper litigat, rixatur intrinsecus, & cum hostem non habeat, secum decertat.

Q. *Quid est Patientia?*

R. Est fructus Spiritus Sancti, quo adversa quæque hujus vitæ, & maxime mores aliorum difformes sæpe & inconditos æquanimiter ferimus.

Patientia, inquit Paulus, *vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem*, Hebr. 10. id est gloriam fortiter dimicantibus promissam. Unde Christus ait: *in patientia vestra possidebitis animas vestras*, Luc. 13.

Q. *Quid est Benignitas?*

R. Est fructus S. Spiritus, qui hominem comem, suavem, & benignum efficit, tam in conversando & benefaciendo, quam in loquendo & respondendo.

Unde potest aliquis esse bonus & beneficus, qui non sit *benignus*; cujus scilicet natura & modus agendi sit rudis, rusticus, & asper. Contra quæ militat *Benignitas*, ut naturam & conversationem flectat ad urbanitatem & dulcedinem verborum & morum.

Q. *Quid est Bonitas?*

R. Est fructus Spiritus Sancti, reddens hominem beneficum, liberalem, clementem, pronum ad succurrendum Proximo, & cuivis benefaciendum. De Christo dicitur, quod *pertransibat benefaciendo, & sanando omnes oppressos a Diabolo*, Act. 10.

Q. *Quid est Mansuetudo?*

R. Est fructus Spiritus Sancti, quo, quis mansuetus dicitur, patiens, tractabilis, qui alienas iniquitates tolerat, nec aliquem gravare præsumit.

Opponitur iræ & animositati, quæ nihil vult pati, nullius jugum aut mores ferre, sed statim se vindicare.

Mites sunt, inquit Augustinus, *qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum*, De Serm. Domini in monte.

Q. *Habesne mansuetudinis exempla?*

R. Præclarissimum habemus in Christo Jesu, qui *quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, non aperuit os suum*, Jerem. 11. Et Apostolus Petrus de eodem Salvatore loquens: *qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur*, 2. Pet. 2.

Q. *Quid est Fides?*

R. Est fructus Spiritus Sancti, quo quis fidelis & verax invenitur in suis verbis & promissis. Opponitur hæc fides fraudi & mendacio, quæ humanam societatem destruunt.

Fides quando promittitur, etiam *hostibus* servanda est, contra quos bellum geritur. Si fides abrogatur, omnis humana societas tollitur.

Q. *Quid est Modestia?*

R. Est fructus Spiritus Sancti, seu virtus quæ moderatur omnes actiones exteriores, scilicet incessum, vestitum, sermonem, risum, lusum, ac totum hominem exterius componit: provenitque ex interna mentis & passionum moderatione: Hinc Sapiens: *Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.*

Hæc Virtus S. Bernardino singularis fuit; adhuc *puer* ita moribus compositus erat, ut *senex* videretur, & discipulos omnes ad modestiam & gravitatem attraheret.

Q. *Quid est Continentia?*

R. Est fructus Spiritus Sancti, sive generalis virtus, qua quis vitiorum omnes illecebras & tentationes frænat, ac cohibet, cerniturque non solum in castitate, sed etiam in potu & cibo; in ira quoque & vexatione mentis; in linguæ refrænatione, & detrahendi libidine: adeoque hæc virtus est veluti compendium omnium virtutum, qua homo a vitiis & peccatis abstinet. *Continens*, inquit S. Gregorius Magnus lib. 2. Moral. cap. 6. *quoniam malas esse cupiditates intelligit, eas ratione ductus non sequitur.*

Q. *Quid est Castitas?*

R. Est virtus, concupiscentiam castigans, omnesque inhonestos motus cohibens, & rationi subdens. Habet rationem virtutis in quantum secundum rationem est operans; in quantum autem habet delectationem in suo actu, connumeratur inter fructus Spiritus Sancti, dicente Paulo: *fructus spiritus est charitas, continentia, castitas*, Gal. 5.

Q. *Estne magnifacienda castitas?*

R. Ita; sine ipsa enim aliæ virtutes corruant quasi, necesse est, teste S. Hieronymo. *Quacumque virtute polleas*, ait Sanctus Doctor, *quibuscumque operibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahes.*

Deinde scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matth. cap. 13.

Sanctus Cyprianus de castitate loquens, ait: *ipsa est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus Religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amica*. De 12. Abus.

DE
FESTO PENTECOSTES.

Q. *Cui consecratus est hic dies festus Pentecostes?*

R. *Spiritui Sancto*, eo quod tali die post ascensionem Christi, super discipulos effulsit in modum ignis, dispertitis linguis.

Q. *Quid illa vox Pentecostes significat?*

R.

R. Quinquagesimum diem a festo Paschæ, seu Resurrectionis Christi. Sicut enim annus quinquagesimus in veteri Testamento *Jubilæum* erat, in quo servi fiebant liberi, omnesque redibant ad avitas hæreditates, etiamsi millies fuissent divenditæ: ita per Spiritum Sanctum redimus ad gratiam, & ad hæreditatem regni cœlorum.

Q. *Celebrarruntne etiam Judæi diem Pentecostes?*

R. Sic est, & quidem duabus de causis.

1. Ob memoriam acceptæ illo die legis divinæ per Moysen in monte Sinai, *Exod. 19.*

Secundo, in gratiarum actionem pro novis anni præsentis frugibus, quarum primitias, puta duos panes, debebant eodem die in templo offerre. Erant hæc typus Christianæ Pentecostes, qua promulgata est lex nova Christi per *Petrum*, & reliquos Apostolos, & qua primitiæ fidelium, nempe tria millia Judæorum, oblatæ & dicatæ sunt Deo, Act. 1.

Q. *Qualiter descendit Spiritus Sanctus?*

„ R. Cum essent congregati discipu-
„ li cum mulieribus, & Maria matre
„ Jesu, & perseverarent in oratione,
„ factus est repente de cęlo sonus tan-
„ quam advenientis spiritus vehemen-
„ tis, & replevit totam domum ubi
„ erant sedentes. Et apparuerunt illis
„ dispertitæ linguæ tanquam ignis, se-
„ ditque super singulos eorum. Et re-
„ pleti sunt Spiritu Sancto, Act. 2.

Q. *Qualis fuit ille sonus?*

R. Fuit fragor ingens instar tonitrui, & ventorum procellæ, qui omnes terrore corripuit, disposuitque, ut pia animi dimissione, & religionis fervore, ad cęleste donum excipiendum sese compararent.

Q. *Quare Spiritus Sanctus apparuit in linguis igneis?*

R. Ad denotandam eloquentiam, sapientiam, & charitatem quam Apostolis donavit ad conversionem totius orbis; siquidem figura linguæ *eloquentiam*; splendor ignis *sapientiam*; ardor ejusdem ignis *charitatem* significat. *Omnes quos replevit*, ait S. Gregorius, *ardentes pariter & eloquentes fecit. Linguas igneas Doctores habent, quia dum Deum amandum prædicant, corda audientium inflammant*, Homil. 30. in Evang.

Q. *Receperuntne Apostoli cum donis ipsammet personam Spiritus Sancti?*

R. Non solum dona, gratias, & virtutes, sed ipsam quoque personam Spiritus Sancti receperunt, per effectivam unionem: cum Spiritus Dei non moveatur de loco in locum, receperunt, *inquam*, juxta promissionem Christi: *Alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.... apud vos manebit, & in vobis erit*, Joann. 14. Quæ verba veram & realem inhabitationem denotant, per quæ tamen non excluduntur Pater & Filius.

Q. *Quæ sunt præcipuæ dispositiones ad accipiendum Spiritum Sanctum?*

R. Prima & necessaria est *expiatio conscientiæ per pœnitentiam ferventem*; quod ignis simbolo significatum est.

Secunda dispositio ad recipiendum Spiritum Sanctum est *humilitas; Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, Jac. 4. *Quid est*, dat gratiam? *Dat Spiritum Sanctum, implet humiles, quia capaces invenit*. Verba sunt S. Augustini, *Serm. 22.*

Tertia est *castitas mentis & corporis*. Spiritus enim Sanctus non habitat in anima coinquinata, & in corpore subdito peccatis. Et constans est illa Domini sententia: *Non permanebit Spiritus* meus *in homine in æternum, quia caro est*, Gen. 6.

Quarta dispositio ad recipiendum Spiritum Sanctum est *Oratio*. Apostoli post Ascensionem Christi *erant perseverantes unanimiter in oratione*, Act. 1. Ut ad Spiritus Sancti adventum se præpararent:

rent: Et quoties Spiritum Sanctum aliis impetrare voluerunt, toties orationem adhibuerunt: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum*, Act. 8.

Quinta est *charitas*, seu amor Dei. *Si quis diligit me*, inquit Christus, *sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, Joan. 14. Qui enim amat mundum, qui *totus in maligno positus est*, Spiritum Sanctum a se ablegat. *Spiritum veritatis mundus non potest accipere*, (inquit Christus) Joann. 14. nomine autem mundi dilectores mundi intelligit, ut exponunt Interpretes.

Q. *Quid igitur de Spiritu Sancto nobis credendum proponit Ecclesia?*

R. Ipsum esse Dominum, & vivificantem, *qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & glorificatur, qui locutus est per Prophetas.*

Q. *Quare hæc verba addita fuerunt Symbolo Apostolorum?*

R. Ad excludendos tres errores. Primus error est *Macedonii*, qui dicebat Spiritum Sanctum non esse *Deum*; sed esse servum Patris & Filii: Et idcirco hic dicitur, *Dominus & vivificans*, & quod eodem honore & cultu, quo Pater & Filius, glorificari debeat.

Secundus error est *Photii & Græcorum*, qui dicunt Spiritum Sanctum a solo Patre procedere: contra quos dicitur: *Qui a Patre Filioque procedit.*

Tertius error est *Montani*, & quorundam aliorum, qui dicebant Prophetas locutos fuisse sicut phantasticos, sine nexu & ordine. Contra quos dicitur Spiritus Sanctus per eos locutus fuisse: *Qui locutus est per Prophetas.*

CREDO SANCTAM ECCLESIAM

Catholicam; Sanctorum Communionem.

Q. *Quid est Ecclesia?*

R. Ecclesia est nomen Græcum, *convocationem significans.* Multipliciter autem sumi potest hoc nomen, & 1. pro *domo materiali*, divinis laudibus dicata, in qua fideles adunari solent. 2. pro *Prælatis*, qui præsident in Ecclesia: ut cum dixit Christus: *dic Ecclesiæ*, Matth. 18. 3. pro *subditis* fidelibus quomodo dicitur; *Oratio fiebat ab Ecclesia pro eo, nempe Petro*, Act. 12.

Dividitur etiam Ecclesia in *Triumphantem*, Patientem, & Militantem. Ecclesia *Triumphans* est cœtus hominum & Angelorum in cœlis regnantium. *Patiens* est congregatio hominum in igne Purgatorio existentium. *Militans*, de qua agitur in hoc Simboli articulo, est *societas visibilis baptizatorum, Christi fidem atque doctrinam profitentium sub uno capite Christo in cœlis, & ejus Vicario Pontifice Romano in terris?*

Q. *Quare Ecclesia hæc dicitur militans?*

R. Quia certamen continuum habet contra tres potentissimos hostes, *mundum, carnem*, & *diabolum*, quorum molestiis & pugnis liberi sunt cælites omnes, qui de ipsis triumpharunt.

Q. *Estne Ecclesia visibilis?*

R. Negant Lutherani, sed visibilem esse multis constat argumentis. Christus remittit ad Ecclesiam: *dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit* &c. Matth. 18. Quomodo autem adimpleretur præceptum hoc, si Ecclesia foret invisibilis? *Præterea posuit Spiritus S. Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Act. 2. Et Paulus dicitur persecutus *Ecclesiam Dei*. 1. Corinth. 15. Nota igitur est illa Ecclesia quam regunt Episcopi, & quam perse-

cutus

cutus est Paulus, ac proinde non est invisibilis. Deinde *Ecclesia Soli comparatur*, Pr. 18. Et dicitur, *supra montem posita*, Matth. 5. Oportet ergo ut cæcus sit, quemadmodum inquit S. Augustinus, *qui tam lucidum solem, & tam magnum montem non videt*, Tract. 2. in Epist. Joan.

Q. *Si quod fide credimus non est visibile: fides enim, secundum Apostolum, est rerum non apparentium, & credimus Ecclesiam, non est ergo visibilis.* Quid ad hoc?

R. Aliud videmus, & aliud credimus. Videmus Ecclesiam, quia munia sua visibiliter exercet, prædicat, administrat Sacramenta, gubernat suos subditos, docet, hortatur; corrigit peccatores; contumaces excommunicat, &c. Credimus Ecclesiæ veritatem, quod extra illam non detur salus, quod regatur a Spiritu Sancto: credimus vera esse omnia quæ ex Scripturis nobis proponit &c. Sic Apostoli videbant Christum hominem, qui est Filius Dei vivi; sed hunc hominem esse Filium Dei non videbant, sed credebant.

Q. *Pagani, Turcæ, Judæi suntne membra Ecclesiæ?*

R. Nequaquam. Baptismus est veluti janua per quam intratur in Ecclesiam, illi autem non sunt baptizati. Quinimo nec Catechumeni, qui necdum ad Baptismum pervenerunt, sunt membra Ecclesiæ.

Q. *Quid dicis de Hæreticis & Schismaticis?*

R. Neque illi sunt membra Ecclesiæ. *Hæretici* dicuntur illi, qui post susceptum Baptismum *cum pertinacia tuentur errorem ab Ecclesia Catholica damnatum*. Schismatici sunt qui se ipsos ab Ecclesiæ corpore præciderunt, nolentes obedire, aut subesse Summo Pontifici.

Et primo de Hæreticis S. Paulus dicit, illos *naufragasse circa fidem*, Tim. 1. Non sunt ergo amplius in navi Ecclesiæ. Et scribens ad Titum vult, ut *hominem hæreticum devitet*; quem potius curare deberet, si foret adhuc in Ecclesia. Præterea Concilium Nicænum cap. 8. ordinans, *ut hæretici ad Ecclesiam redeuntes recipiantur*, supponit non esse actu in Ecclesia. Deinde Hæretici non habent veram fidem, quæ una est, quia non credunt omnes articulos a Deo revelatos, ac proinde &c.

Quantum ad *Schismaticos*, cum supremo Ecclesiæ visibili capiti in terris Christi Vicario subdi nolint, extra Ecclesiam sunt.

Nullum enim membrum divisum est in corpore, sed Hæretici & Schismatici sunt membra divisa. Unde Ecclesia in die Parasceves orat, ut Deus dignetur eos ad Ecclesiam revocare.

Q. *Si Hæretici sunt extra Ecclesiam, qua ratione potest ipsos judicare & punire, cum Paulus dicat; quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* 1. Cor. 5.

R. Ad hoc respondeo, quod licet actu sint extra Ecclesiam, fuerunt tamen in ea per Baptismum, & in ea perseverare debuissent, unde illos potest Ecclesia judicare & punire, sicut Rex punit desertores. Numquid potest pastor oves procul a grege suo errantes, virga pastorali retrahere? Tales sunt Hæretici; potest igitur Ecclesia illos compellere ut ad ovile unde exierunt, redeant.

Q. *Peccatores, ut avari, maledici, impudici, & alii male viventes, imo & reprobi, pertinentne etiam ipsi ad Ecclesiam?*

R. Ita, cum ipsi possint fidem Christi profiteri sub uno capite. Non enim sequitur quod aliquis committens furtum, homicidium, &c. rejiciat propterea Christianam fidem, aut Ecclesiæ subjectionem.

Unde Christus comparat Ecclesiam *decem Virginibus*, ex quibus quinque *prudentes*, & quinque *fatuæ*; *Arcæ Noe*, in qua claudebantur animalia munda & immunda; *Ovili*, in quo sunt oves,

& hæ-

& hædi; *Agro*, in quo est bonum semen & zizania; per quas figuras significantur, boni & mali, prædestinati & reprobi.

Non tamen intelliguntur hæretici, quia non sunt partes componentes; non enim componunt eumdem ordinem fidelium, cum in fide dissentiant. Quod si aliqui Patres videantur illos comprehendere in præcitatis comparationibus, non nisi tanquam partes putridas & rebellantes habuerunt.

Q. *Estne licitum Catholicis disputare cum Hæreticis super materiis fidei controversis.*

R. Cum res sit plena periculi & absque utilitate, ut constans experientia docuit, satius est a similibus disputationibus abstinere, nisi quis doctus ex mandato superioris certamen cum eis ineat, ut de errore convincti convertantur, aut ne errores longius serpant. Laicis vero similes cum hæreticis congressus prohibiti sunt, Cap. *quicumque* de hæret. in 6. Unde hæretici fugiendi sunt, & execrandi tanquam pestes exitiales, secundum præceptum Apostoli: *Hæreticum hominem devita*, Epist. ad Titum cap. 3.

Q. *Unde proveniunt ordinarie hæreses?*

R. Ex mala vita. Nunquam enim hæresis est primum peccatum, sed oritur vel ex ambitione, vel ex avaritia, vel ex libidine, & desinit nonnunquam in *Atheismum*. Perversi homines, ut libere suis vitiis & voluptatibus indulgeant, aut negant Deum, aut futura bona & mala, aliaque dogmata fidei, quæ Dei metum & peccati horrorem eis injicere solent.

Q. *Estne illicitum legere, vel penes se retinere libros hæreticos?*

R. Certe, & quidem grave peccatum est, cum habeat *excommunicationem* annexam per Bullam *Cœnæ*. Prohibitio legendi, & retinendi libros prædictos rationabilis est ob subversionis periculum. Quod etiam si respectu aliquorum abesset, Ecclesia ulterius eos prohibet, in detestationem, & pœnam hæreticis debitam. *Constantinus Magnus* sub pœna mortis jussit Arianorum libros comburi. Ita *Trip. Leg.* 1. *cap.* 15. Idem sanxit Theodorus, *L.* 16.

Q. *Quæ differentia est inter Hæreticum, & Apostatam?*

R. In hoc, quod primus erret in uno aut in altero dogmate, secundus vero totam fidem abjiciat. Quamvis jam usus invaluerit, ut Catholicus amplectens Lutheranismum, aut sectam similem dicatur *Apostata*.

Q. *Quis potest absolvere ab hæresi?*

R. Si sit manifesta & externa, solus Papa potest absolvere. Et hoc patet ex Bulla *Cœnæ*. Si autem sit occulta, possunt Episcopi, & Regularium Superiores in ordine ad suos subditos, ut declarat Concilium Tridentinum sess. 24. c. 6. de Reform.

Q. *Quænam sunt pœnæ hæreticorum?*

R. De pœnis civilibus, aut corporalibus ad nos non pertinet inquirere. Pœnæ autem eorum spirituales sunt hæc. 1. Excommunicatio major ipso facto incurrenda. 2. Irregularitas. 3. Infamia juris. 4. Privatio bonorum Ecclesiasticorum, 5. Privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, &c. Quæ pœnæ saltem aliquæ ad fautores, receptores, & defensores hæreticorum extenduntur. Vid. Bul. *Cœnæ*.

Q. *Potestne Ecclesia deficere, seu desinere esse?*

R. Defecisse circa finem sexti sæculi usque ad *Lutheri* tempora, ubi successit Ecclesia reformata, clamitant hæretici.

Quod defecerit quoad aliquam partem, nos non negamus. Vera enim Ecclesia desiit in pluribus locis *Germaniæ*, in *Anglia*, in *Hollandia* &c. sed an tota simul deficere possit, ut nullus amplius supersit fidelis, dicimus quod non. Est de fide.

Probatur ex S. Scriptura: De Ecclesia legitur: *Deus fundavit eam in æternum*,

Psal.

Psal. 47. *suscitavit Deus regnum quod in æternum non dissipabitur*, Dan. 2. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, Matth. 16. Atqui si defecisset, aut deficere posset, portæ inferi prævaluissent, aut eam vincere possent.

Deinde Christus Apostolos & discipulos Ecclesiam componentes alloquens, ait: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, Matth. 28. Quomodo autem deficere potest, cui ne deficiat semper assistit Christus?

Q. *Potestne saltem errare in materia fidei?*

R. Cum deficere non possit, bene sequitur quod etiam non possit errare: unde quæ credenda nobis proponit tanquam de fide, sunt revera de fide. Responsio hæc firmatur iisdem citatis textibus; quibus addere possumus sequentes.

Christus ait; *spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, Joann. 16. Sciens autem omnem veritatem non potest errores docere, nisi ex pura malitia, quod de Sancta Ecclesia dici nequit.

Et alio in loco vult, *ut qui Ecclesiam non audierit, sit sicut ethnicus*, Matth. 18. Cur vero habendus esset tanquam ethnicus, si Ecclesia foret fallibilis, possetque errores proponere? Quomodo Ecclesia, juxta Apostolum, esset *columna & firmamentum veritatis*, 1. Tim. 3. si errori foret obnoxia.

Deinde Salvator noster Ecclesiæ Pastores alloquens, ait: *qui vos audit, me audit*, Luc. 10. sed si omnes simul errare possent, qui eos audiret errantes, non Christum audiret, errorem proponendi incapacem. Alias probationes vide apud Theologos.

Advertendum tamen est, quod quando legitur in Scriptura, omnes errasse, omnes dereliquisse Dominum, ab ore omnium ablatam esse fidem &c. *omnes* accipitur pro *multis*. Sæpe enim in Scriptura quod parti convenit attribuitur toti.

Q. *Ecclesia hæc quæ in fide errare non potest, estne Ecclesia Romana?*

R. Ipsissima est, a Christo & Apostolis fundata, quam primis quingentis sæculis *Calvinistæ & Lutherani* fatentur fuisse veram Christi Ecclesiam. *Ecclesia* enim *Romana* retinet nunc eamdem fidei doctrinam quam habuit ab initio. Tunc enim tenebat Deum non esse auctorem peccati. 2. Baptismum esse infantibus necessarium ad salutem. 3. septem esse Sacramenta, 4. confessionem peccatorum mortalium coram sacerdote faciendam, esse jure divino præceptam. 5. Christum realiter esse præsentem in Eucharistia. 6. Missam esse verum legis novæ sacrificium. 7. Sanctos pie & utiliter a fidelibus invocari. 8. venerandas esse Christi, Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum imagines. 9. dari Purgatorium. 10. legem Dei non esse impossibilem. 11. neminem Deum damnare, nisi propter peccata.

Ista & alia, quæ primitiva Ecclesia a Christo instituta tenuit, modo adhuc tenet Ecclesia Romana; igitur ipsa est eadem Ecclesia quam diximus errare non posse, & contra quam portæ inferi non prævalebunt in æternum.

DE
NOTIS VERÆ ECCLESIÆ.

Q. QUot & quæ sunt notæ quibus Ecclesia Christi ab aliis Satanæ conventiculis discerni potest?

R. Plures assignantur a Doctoribus Catholicis: attamen eas ad quatuor illustriores in Simbolo Constantinopolitano assignatas revocabimus; videlicet, quod sit *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apostolica*.

Q. Una-

Q. *Unde colligitur quod Ecclesia sit Una?*

R. Ex variis Sacræ Scripturæ locis, in quibus passim vocatur in singulari: *Una familia*, Matth. 24. *Una vinea*, Matth. 21. *Unum ovile*, Joan. 10. *Unum corpus*, Ephes. 4. *Una sponsa*, *Una columba* &c.

Q. *In quo consistit hæc Unitas?*

R. In unione omnium membrorum tam inter se, quam cum capite suo. Sicut enim unum est ovile, ita est *unus Pastor*, Joann. 10. 2. In eadem omnino doctrina fidei, & usurpatione eorumdem mediorum ad vitam æternam. *Unum Baptisma*, *Unus Deus*, *Una Fides* &c. 1. Cor. 14. Ubicumque terrarum reperitur Ecclesia, unam eamdemque retinet fidem, eadem Sacramenta, eosdem ritus, unum totius ovilis legitimum supremum pastorem Romanum Pontificem, *qui idcirco unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio*, S. Hier. Lib. 1. contra Jovin.

DE SANCTITATE ECCLESIÆ.

Q. *Ecclesia Catholica Romana, potestne dici Sancta?*

R. Revera talis est, & talis esse debet. Et est secunda nota, qua ab aliis sectis distinguitur. Quod sit Sancta, constat ex Epistola Pauli ad Ephesios: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret*, Eph. 1. Unde fideles *genus electum, & gens sancta appellantur*, 1. Petr. 2. omnibus qui *sunt Romæ vocatis sanctis*, Rom. 1.

Q. *Quas ob causas Sancta est?*

R. 1. Quia Deo consecrata & dedicata est. Sic quæ divino cultui dicata sunt, ut vestes sacerdotales, vasa, altaria &c. *sancta* dicuntur.

2. Ecclesia dicitur *Sancta*, propter sponsum Christum, qui est *Sanctus Sanctorum*, & omnis sanctitatis fons & origo, eam in dies donis & gratiis mundans & sanctificans, *ut exhibeat sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam.... sed ut sit sancta & immaculata*, Ephes. 5.

3. *Sancta* est; quia in ea sola reperitur verus Dei cultus, verum sacrificium, & Sacramenta, per quæ Deus in nobis veram sanctitatem operatur.

4. *Sancta* dicitur, quia habet leges sanctissimas, consilia optima; virtutes omnes amplectitur, & vitia nulla probat. Nihil tradit rectæ rationi contrarium, nihil falsum, nihil injustum. *Lex Domini immaculata* &c. Psal. 118. omnes ritus, cœremoniæ omnes, officia ejus publica non nisi sanctitatem redolent.

Q. *Si Ecclesia Sancta sit ob rationes adductas, numquid posset etiam dici iniqua, ratione impiorum in ea viventium?*

R. Licet aliqualiter nigra sit *in malis, in se* tamen tota pulchra & formosa est, nec malorum criminibus maculatur, cum eis non consentiat, illos reprehendat, damnet, corrigat sanctis exhortationibus, exemplis, disciplina &c.

Deinde *sancta* vocatur, ut diximus, a capite quod *sanctum* est, a doctrina, quæ *sancta* est, a sanctis membris, quæ licet sint in minori numero, tamen principaliores & honorabiliores partes sunt, juxta illud: *melior est unus timens Deum; quam mille filii impii*, Eccle. 16.

Et tandem quia extra Ecclesiam non est sanctitas.

DE

DE CATHOLICITATE ECCLESIÆ.

Q. *Estne Ecclesia Christi Catholica?* R. De fide est esse Catholicam, ut habetur in simbolo, id est universalem. *Catholicum* enim nomen est Græcum, Latine idem sonans ac *universale*. Christus ipsemet prædixit Ecclesiam suam per universum orbem diffundi debere: *Prædicabitur Evangelium hoc in universo orbe*, Matth. 24. *In omnem terram exivit sonus eorum*, Psal. 18. *Euntes in mundum universum* &c. Marci 16.

Est igitur universalis primo ratione loci.

2. Est universalis ratione personarum, quia vocat, & complectitur omnes omnino nationes; non enim est distinctio Judæi & Græci &c. *Prædicate*, inquit Jesus discipulis suis, *Evangelium omni creaturæ; quicumque crediderit &c. salvus erit*, Marci 16.

3. Est universalis ratione *doctrinæ*; quia proponit omnia credenda, docet omnia facienda, & prohibet omnia vitanda.

4. Ratione durationis, quia semper durabit: *Suscitabit Deus regnum, quod in æternum non dissipabitur*, Daniel. 2. &c.

Sed quæ secta, quæve Religio præter unam Romanam id sibi ausit arrogare?

Q. *Numquid sunt ubique sectæ erroneæ, seu Religiones a Romana distinctæ?*

R. Verum est, sed non sunt eædem: aliæ enim sunt in Oriente, aliæ in Occidente, aliæ in Germania, aliæ in Anglia, aliæ in Hollandia, & in iisdem quidem provinciis multæ sectæ sunt inter se dissectæ, ut una aliam hæreticam vocet, & nihil aut parum inter se commune habeant.

Ecclesia autem Romana ubique dispersa eamdem doctrinam, eadem præcepta, eadem Sacramenta, eamdem fidem, eosdem ritus, eosdem modos agendi & regendi habet.

ECCLESIA EST APOSTOLICA.

Q. *Quid intelligitur per esse Apostolicum?*

R. Nomen Apostolicum Græcum est, derivatum ab *Apo*, quod est *desuper*; & *Stolon*, quod est *Missus*, unde *Apostolus* idem est ac *desuper missus*: Et hoc modo nomen *Apostolus* non solum competit illis quos Christus elegit, sed etiam ipsi Christo Domino, qui dicitur *Apostolus confessionis nostræ*, Heb. 3. & merito, nam Christus dicitur *missus*: *sicut misit me vivens Pater*, & Joann. 20.

Q. *Estne ergo Ecclesia Apostolica?*

R. Pro certo.

1. Quia est desuper missa: *Vidi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cælo a Deo paratam*, Apoc. 20. *&* *consequenter Apostolica*.

2. Quia a Christo, *Apostolo confessionis* nostræ, fundata est.

3. Quia ab *Apostolis* propagata, roborata verbo prædicationis, miraculis, sanctitatis exemplis, & eorum sanguine purpurata: Unde dicuntur fideles *superædificati super fundamentum Apostolorum*, Eph. 2.

4. Quia ab ipsis Apostolis usque ad nos descendit successio Pontificum *a Petro* usque ad præsentem *Benedictum XIV*. Quod adeo manifestum est, ut mentis compos hoc negare non valeat.

In Ecclesia me tenet, inquit Augustinus, *ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum*, Lib. contra Epist. Fundam. cap. 4.

Q. *Num-*

Q. *Numquid ſectæ Lutheranorum & Calviniſtarum ab Apoſtolis deſcendunt?*

R. Nequaquam. Interrogemus eos cum Tertuliano, lib. de præſcript. Hæret. *Qui eſtis vos? unde & quando veniſtis? ubi tamdiu latuiſtis?* &c. Unde igitur veniſtis o *Calviniſtæ*? Reſpondere poterunt, *Calvinum* eſſe ipſorum Patrem, nec priorem habere. Et vos, o *Lutherani*, unde exiſtis? Reſpondent a *Luthero*. Quis eſt iſte *Lutherus*? unde venit? Monachus erat in Eccleſia Romana. Itaque apoſtata fuit.

Videant igitur ſi poterunt ſicut Romana Eccleſia per viam regiam aſcendere uſque ad *Petrum*, & uſque ad *Chriſtum Filium Dei*. Sectæ autem quando cœperint, optime ſcimus, & a quibus, & qua de cauſa.

Q. *Undenam Eccleſia* Catholica *Romana vocatur?*

R. A ſummo Pontifice Romano Chriſti Vicario viſibili in terris, qui eam regit & gubernat. Catholicam fidem ætate S. Hieronimi *Romanam* vulgo appellari *ſolitam*, ipſe teſtatur, apologia prima adverſus Rufinum: *ſi Romanam fidem tenemus, ergo*, inquit, *Catholici ſumus*.

DE SACRAMENTIS
Eccleſiæ Catholicæ.

NOſtri inſtituti non eſt pertractare hic de omnibus quæ Sacramenta concernunt in genere, & in ſpecie, & prout fuſe traduntur a Theologis Scholaſticis, & Moralibus, quorum libri pene innumeri ſunt, & omnes replent, & ornant Bibliothecas; ſed ſolum clare & paucis verbis exponere ea quæ de Sacramentis potiſſimum fide credenda ſunt, & ab hæreticis ſemper Eccleſiæ Romanæ infenſis oppugnantur, hinc ſequentes proponimus quæſtiones, & primo.

Q. *Quid eſt Sacramentum?*

R. Eſt ſignum ſenſibile gratiam Dei, vel ejus effectum gratuitum efficaciter ſignificans, ex inſtitutione divina ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.

Dicitur *ſignum ſenſibile*, quia cum inſtitutum ſit pro hominibus, debet eſſe ſignum illis accommodatum, quale non eſſet, niſi in aliqua *re ſenſibili* conſiſteret: nequit enim homo venire naturaliter in cognitionem ſpiritualium, niſi per res externas, & ſenſibiles. Deinde cum Eccleſia ſit ſenſibilis, ſenſibiles debet habere cæremonias.

Dicitur *gratiam Dei ſignificans*, quia omnia Sacramenta gratiam nobis collatam ſignificant: alia gratiam ſubſtantialem, & ſubſiſtentem ſignificant, ſcilicet Euchariſtia, quæ ſignificat Chriſtum, quem continet: alia ſignificant gratiam inhærentem, & habitualem, quæ inhæret animabus fidelium, qui Sacramenta recipiunt.

Dicitur, *vel effectum ejus gratuitum*, majoris explicationis cauſa propter *Euchariſtiam*, quæ *per ſe primo* non eſt ſignum gratiæ, ſed *Corporis Chriſti* poſiti ſub ſpeciebus panis &c.

Dicitur *efficaciter ſignificans*, ad diſtinctionem Sacramentorum veteris legis, quæ tantum gratiam ſignificabant, non vero conferebant, noſtra vero *efficaciter*, ideſt *certitudinaliter* gratiam conferunt.

Dixi *certitudinaliter*, non vero *ſimpliciter*, & abſolute, quia poteſt impediri, ut *inquit Scotus*. Poteſt enim eſſe indiſpoſitio ex parte illius, cui applicatur Sacramentum, quo caſu non *efficaciter* ſe habet reſpectu ſignati.

Dicitur *ex inſtitutione divina*, quia ſolus Chriſtus Deus & homo inſtituit Sacramenta; nulla enim res ſenſibilis poteſt ex natura ſua, vel ex hominum inſtituto ſignificare gratiam habitualem, ſicut nec producere: quare cum Sacramentum ejuſmodi gratiam ſignificet, oportet ut ea ſignificatio illi competat

ex

ex voluntate & institutione Dei, qui solus *virtute propria* gratiam conferre potest.

Dicitur *ad salutem hominis viatoris ordinatum*, per quod designatur causa finalis ejus, quæ est hominum justificatio.

Q. *Quotuplex est signum, & quale est Sacramentum?*

R. Triplex est signum, scilicet rememorativum, pronosticum, & demonstrativum.

Rememorativum respectu præteriti, *pronosticum* respectu futuri, & *demonstrativum* respectu præsentis.

Tribus istis modis Sacramentum est signum; scilicet rememorativum *Passionis Christi:* demonstrativum *gratiæ præsentis*, & pronosticum *gloriæ futuræ*.

Q. *Quot sunt Sacramenta in Ecclesia Romana?*

R. Septem, nec plura, nec pauciora numerantur, quæ sunt, *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Pœnitentia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, *Matrimonium*.

Et hoc de fide esse declaratum est in Concilio Tridentino, sess. 7. can. 10. & antea in Concilio Florentino sess. ult. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis esse plura, aut pauciora, quam septem, anathema sit.*

Q. *Quis est Auctor horum Sacramentorum?*

R. Jesus Christus Dominus, & Salvator noster, ipse est omnium horum Sacramentorum institutor: & hoc de fide est, ut declararunt Patres Concilii Tridentini: *Si quis dixerit omnia & singula Sacramenta novæ legis non fuisse a Domino nostro Jesu Christo instituta*, anathema sit, ibid.

Q. *Potestne probari hic septenarius Sacramentorum numerus ex Sacra Scriptura?*

R. Id negant Hæretici, qui tantum duo, aut tria Sacramenta admittunt, ut *Calvinistæ*, qui Baptismum, & Cœnam, seu Eucharistiam, vera solum esse Sacramenta contendunt. Verum facile est, si assentiri vellent, eos de errore convincere. Non diffiteor Sacram Scripturam non designare *verbis expressis* septem esse Sacramenta. At cum septem exprimat ritus, quibus annexa est gratiæ promissio, *implicite* saltem septem esse Sacramenta demonstrat; Sacramentum enim definitur: *signum sensibile gratiam Dei, vel ejus effectum gratuitum efficaciter significans, ex institutione divina ordinatum ad salutem hominis viatoris.*

Q. *Qui sunt illi Sacræ Scripturæ textus, ex quibus certo colligi potest septem esse Sacramenta?*

R. Sequentes communiter assignantur.

I.

Pro Baptismo.

N*Isi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, Joan. 3. v. 5.

Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Matth. 28, v. 18.

II.

Pro Confirmatione.

H*Is auditis baptizati sunt in nomine Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus, & loquebantur linguis, & prophetabant*, Act. 19. v. 5.

Tunc imponebant super illos manus, & accipiebant Spiritum Sanctum, Act. 2. v. 14.

III.

Pro Eucharistia.

Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite, & comedite, Hoc est Corpus meum.

Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes.

Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, Matth. 26. v. 26.

Ego sunt panis vivus, qui de Cœlo lo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, Joan. 6. v. 51.

IV.

Pro Pœnitentia.

Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt, Joan. 20. v. 22.

Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo, Matth. 18. v. 18.

V.

Pro Extrema-Unctione.

Ungebant oleo multos ægros, & sanabant, Marci 6. v. 13.

Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei, Jacobi 5. v. 14.

VI.

Pro Ordine.

Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, Joan. 20. v. 21.

Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum, 2. Tim. 1. v. 6.

Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos, Act. 13. v. 3.

Constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi, Tit. 1. v. 5.

VII.

Pro Matrimonio.

Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet, Matth. 19. v. 3.

Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, Ephes. 5. v. 32.

Illa omnia esse Sacramenta, evidentius patebit, dum de quolibet contra Hæreticos erit sermo.

Q. *Quare Sacramenta sunt septem, & non plura?*

R. Ratio, seu potius congruentia cur septem fuerint instituta, petitur ex proportione, & comparatione vitæ spiritualis cum corporali.

Homo concipi potest dupliciter, vel in *ordine ad se*, vel in ordine ad *Rempublicam*, cujus est membrum. Si in *ordine ad se*, indiget 1. generatione, per quam incipit esse, 2. augmentatione, seu roboratione, 3. nutritione, 4. restauratione, seu medicina, qua vires in infirmitate amissæ recuperentur, 5. indiget remedio contra reliquias morbi

ad

ad refocillationem virium debilitatarum, & ista pertinent ad utilitatem privatam. Si autem consideretur, ut est *membrum Reipublicæ*, Respublica duo requirit, 1. magistratus, quorum imperio, & auctoritate populi regantur, 2. legitimam sobolis propagationem, qua genus humanum, & respublica conservetur.

Q. *Quomodo septem Sacramenta hæc omnia præstant?*

R. Singula Sacramenta unum horum efficiunt.

1. Per *Baptismum* spiritualiter renascimur.

2. Per *Confirmationem* augemur in gratia, roburque accipimus pro fide tuenda contra hostes Ecclesiæ Christi.

3. Per *Eucharistiam*, in qua manducamus Corpus Domini, & bibimus Sanguinem ejus, spirituali hoc cibo nutrimur.

4. Per *Pœnitentiam* a peccatorum ægritudine spiritualiter sanamur.

5. Per *Extremam-Unctionem* spiritualiter etiam a reliquiis peccatorum purgamur, & corporaliter etiam prout expedit animæ nostræ, sanamur.

6. Per *Ordinem* populus Christianus gubernatur & ministri Ecclesiæ digni & habiles redduntur ad functiones Ecclesiasticas obeundas.

7. Per *Matrimonium* Ecclesia corporaliter augetur: sanctificantur enim conjugati, & ad prolem suscipiendam, & religiose educandam idonei redduntur.

Q. *Ista Sacramenta suntne omnia singulis necessaria eodem modo?*

R. Notandum, quod dupliciter aliquid potest esse necessarium respectu finis. Uno modo sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitæ humanæ: & hoc est *simpliciter* necessarium ad finem.

Alio modo dicitur necessarium id, sine quo non habetur finis, ita convenienter, sicut equus necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem.

Primo modo necessitatis necessaria sunt duo Sacramenta, videlicet Baptismus, & Pœnitentia. Baptismus simpliciter & absolute necessarius est respectu cujuscumque personæ, cum ad originale delendum institutus sit, sine quo nemo nascitur. Pœnitentia vero cum in ordine tantum ad actualia peccata instituta sit, iis tantummodo est necessaria, qui post susceptum Baptismum in aliquod mortale peccatum lapsi fuerint. Ista duo igitur Sacramenta necessaria sunt *necessitate medii*, vel in re, vel in voto.

Ordo, & Matrimonium sunt etiam toti Ecclesiæ communitati *simpliciter necessaria*, vage tamen, non determinando personas. Necessarium enim est, ut in Ecclesia sint ministri, qui Sacramenta conficiant, & administrent. Item necessaria est humani generis propagatio, sine qua Ecclesia diu subsistere nequit: ergo *Sacramenta* Ordinis, & Matrimonii sunt *simpliciter necessaria*, ita ut aliqui ex tota communitate Sacramenta illa sumere debeant, licet nullus in particulari teneatur.

Alia Sacramenta sunt tantum necessaria necessitate præcepti, ut determinavit Concilium Florentinum in decreto unionis.

Q. *Si Baptismus necessarius est necessitate medii, nonne Eucharistia ita erit necessaria, cum eodem modo de utroque Sacramento loquatur Christus?*

R. Verum quidem est, Christum dixisse: *nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, Sicut dixit; *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cœlorum*. Sed verba illa Christi intelligenda sunt de manducatione *spirituali*, & non de sola *Sacramentali, & reali*. Sine Eucharistia, per solum Baptismum peccati originalis remissio-

nem, & gratiam sanctificantem consequi possumus, *Deique filii, & hæredes fieri*, & nullum est aliud medium a Christo institutum: quamobrem non est Eucharistia *æquo jure* necessaria.

Nec refert dicere, quod sicut cibus corporalis est simpliciter necessarius ad vitam corporalem: ita cibus spiritualis ad vitam spiritualem: quia Eucharistia non comparatur cibo materiali quoad necessitatem vitæ simpliciter, quæ habetur per Baptismum; sed tantum quoad augmentum vitæ, & ejus conservationem: quæ vita non nisi per actionem malam voluntariam deperditur. Unde cibus Eucharisticus non est simpliciter necessarius, sicut cibus materialis ad vitam corporalem.

DE BAPTISMO.

Q. *Quid est Baptismus?*

R. Baptismus nomen Græcum est, quod *lavare* significat; bene describitur a Scoto: *Sacramentum ablutionis animæ a peccato, consistens in ablutione hominis, aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, cum certis verbis debita cum intentione prolatis*. Dicitur Sacramentum consistens *in ablutione*, ad distinctionem aliorum Sacramentorum in aliis actionibus consistentium. *Hominis aliqualiter consentientis*; nam si invitus ablueretur esset invalidus Baptismus. Debet ergo consentire vel per se, si est adultus, vel per alios, ut parvuli. *Ab alio facta*, quia si seipsum ablueret, non valeret. *In aqua*; quia non valet in alio liquore. *Cum certis verbis, cum debita intentione prolatis*: quia si per jocum, vel ex prava intentione proferrentur, non fieret Sacramentum. *Ablutio animæ a peccato*, ut melius significetur ejus effectus proprius; nam alia Sacramenta non sic abluunt animam; nequidem Pœnitentia, quæ significat recessum animæ a peccato, potius quam ablutionem propriam.

Brevius in Catechismo Romano Baptismus dicitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*.

Q. *Estne Baptismus omnibus hominibus ad salutem necessarius?*

R. De fide est, Baptismum necessarium esse omnibus cujuscumque status, conditionis & sexus, quidquid dixerint olim plurimi hæretici, & adhuc hodiedum *Anabaptistæ*, volentes Baptismum nihil prodesse parvulis usu rationis carentibus.

Quod ergo Baptismus *in re vel in voto* omnibus, & singulis hominibus sit absolute necessarius, probatur primo ex sacra Scriptura: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, Joann. 3. v. 3. Item: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, Matth. 28. Secundo ex Florentino in decreto unionis: *nisi ex aqua & Spiritu Sancto renascimur, non possumus in regnum cælorum introire*; & Tridentino sess. 7. can. 5. ubi habetur: *si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit*.

Ex his clare deducitur Baptismum omnibus, & singulis necessarium esse ad salutem consequendam, cum nullum excipiat nec adultum, nec infantem.

Q. *Qua ratione parvuli Baptismo indigent?*

R. Quia peccatum originale contraxerunt: *omnes enim in Adam peccaverunt: nascimur omnes filii iræ*: ergo absolute necessarium est ipsis, sicut adultis, remedium aliquod, quo tollatur illud peccatum, & quo renascantur spiritualiter; illud autem est Baptismus, qui *lavacrum regenerationis, & renovationis vocatur* ab Apostolo, Tim. 3. & cujus necessitatem esse omnibus, & singu-

gulis communem declarat Chriſtus, dicens: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*, Joan. 3. Præterea circumciſio conferebatur parvulis; ergo & baptiſmus, qui multo dignior eſt circumciſione, iiſdem conferri poteſt, & debet, ut docet Innocentius III. in cap. *Majores* de Baptiſmo, dicens: *cum circumciſio tam adultis, quam parvulis ex præcepto Domini conferretur: ne baptiſmus..... minoris videatur effectus, tam adultis, quam parvulis eſt conferendus.*

Q. *Poteſtne probari ex Sacra Scriptura Apoſtolos baptizaſſe aliquos pueros?*

R. Certe, colligi poteſt ex pluribus locis, & primo, Act. 16. habetur: *cum autem baptizata eſſet* Lydia, *& domus ejus tota.* Secundo, de cuſtode carceris in quo recluſus fuerat Paulus, ibidem dicitur v. 33. *Baptizatus eſt ipſe & omnis domus ejus continuo.* Tertio 1. Corint. 1. v. 16. Paulus ait: *Baptizavi autem & Stephanæ domum.*

Ex his locis facile infertur plures parvulos fuiſſe rite ac valide ab Apoſtolis baptizatos; non enim credibile eſt, in iſtis familiis *univerſim baptizatis* defuiſſe *parvulos*; ac proinde nullus dubitare poteſt de validitate Baptiſmi, parvulis collati. Hinc eſt quod Chriſtus ait: *Sinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum*: Quod certe non dixiſſet, ſi non eſſent capaces Baptiſmi; quia ſine Baptiſmo nullus poteſt regnum illud conſequi.

Firmatur hæc veritas ex perpetua traditione Eccleſiæ, quæ pueris recenter natis Baptiſmum conferri jubet.

Q. *Si filii parentum fidelium ſancti naſcantur, ut ait Apoſtolus, quid illis prodeſt Baptiſmus?*

R. Hæretici falſam ſuam opinionem fundant ſuper hunc textum Pauli, 1. Corinth. 7. *Sanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent; nunc autem ſancti ſunt.*

At hæc auctoritas nullo modo eis favet, quia intelligenda eſt de aliqua ſanctificatione externa, & legali, *in facie Eccleſiæ legitimantis matrimonium*, quo fit ut non ſpurii, ſed legitimi ſint, non vero de *ſanctificatione interna*, quæ fit per *gratiam*; cum ex eodem Apoſtolo, ut jam dictum eſt, *naſcamur omnes filii iræ*, & per Baptiſmum renaſcamur *filii dilectionis*.

Similiter dum Apoſtolus ait: *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem*, non eſt intelligendus de ſanctitate proprie dicta: ſed remota, quatenus mulier fidelis inducere poteſt virum, ut fidem amplectatur, pietatem ſectetur, viam ſalutis ingrediatur, exemplo ſuo a vitiis deſiſtat, & precibus ſuis ejus converſionem a Deo promereri.

Idem dicendum de filiis, quod ſi mulier fidelis a viro infideli diſcederet; filii patris infidelitatem ſequerentur; at remanendo, docebit eos falſos Deos ſpernere, Deum agnoſcere, amare Chriſtianam Religionem, ad Eccleſiam accedere; atque ita *ſancti* ſunt: id eſt, *ſancti fient*, aut fieri poſſunt.

Q. *Si parvuli non ſint capaces fidei, & doctrinæ, requiſitæ a Chriſto ante ſuſceptionem Baptiſmi, quomodo valide, & licite eis confertur.*

R. Hæc eſt objectio *Anabaptiſtarum*, quam invincibilem exiſtimant; Dicunt, enim quod Chriſtus Apoſtolos ſuos docens de his, quæ poſt Aſcenſionem ſuam acturi erant, dixit: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*, Marc. 16. v. 16. Ex quo, *inquiunt*, ſequitur Baptiſmum non poſſe conferri *niſi credentibus*; infantes autem non *credunt*, nec poſſunt *credere*, cum ſint rationis expertes, igitur non poſſunt valide baptizari.

Sed multum errant à veritate, quia Christus loquitur de adultis, quos instrui volebat de rebus Fidei, priusquam baptizarentur: & hoc patet ex verbis præcedentibus: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ;* quæ intelligenda sunt de solis adultis; alioquin Christus præcepisset Apostolis prædicare Evangelium *infantibus octo dierum*, quod est falsum: Igitur hæc verba quæ sequuntur: *qui crediderit, & baptizatus fuerit* &c. intelligenda sunt de illis *adultis*, quibus Apostoli debebant prædicare Evangelium, nullatenus de infantibus.

DE

CONFIRMATIONE.

Q. Quid est Confirmatio?

R. Ex Scoto, Confirmatio, seu Sacramentum Confirmationis *est unctio hominis aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquam usi, facta in fronte in figura Crucis, cum chrismate sanctificato; & hoc a ministro idoneo, simul cum intentione debita inungente, & verba certa proferente, significans efficaciter ex institutione divina unctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum constantia fidem Christi*, in 4. dist. 4. q. 1.

Q. Quotuplex est materia Confirmationis?

R. Duplex, proxima scilicet, & remota. *Materia proxima* est unctio facta in fronte in figura Crucis cum Chrismate sanctificato.

Materia remota est Chrisma compositum ex oleo olivæ & balsamo, sanctificatum specialiter ab Episcopo, vel ab alio, cui talis sanctificatio committi potest.

Q. Quanam est forma talis Sacramenti?

R. Est hæc: Signo, *vel consigno te signo Crucis, confirmo te Chrismate salutis, vel santificationis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Amen, Scot. ibid.

Q. Estne Confirmatio verum Sacramentum?

R. Negarunt multi ex antiquis hæreticis, inter quos numerantur *Novatus* Ecclesiæ Romanæ *Præsbyter* circa annum 255. *Arius*, & *Donatus*, de cujus discipulis narratur, quod ampullam vitream sacri Chrismatis e fenestra projecerint, quæ cum divinitus illæsa servata fuisset, ex eo facto Chrisma sanctum esse dignoscere potuerunt.

Tandem, ut cæteros omittam, Lutherus & Calvinus asseruere *Confirmationem* esse cæremoniam pure humanam, ab Ecclesiasticis excogitatam, & a Summis Pontificibus receptam.

Contra quos sic procedere fas est, & demonstrare ex Sacra Scriptura, Conciliis, Patribus, & ratione, Confirmationem vere, & proprie esse Sacramentum.

Primo in Actibus Apostolorum cap. 14. legitur: *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolimis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu; tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

Item Act. 6. habetur, quod cum Saulus manus imponeret super fideles baptizatos, illi accipiebant Spiritum Sanctum.

Secundò, Concilium Florentinum, & præcipue Tridentinum sess. 1. can. 1. id aperte docent: *Si quis dixerit Confirmationem non esse verum, & proprie dictum Sacramentum, Anathema sit.*

Tertio S. Dionisius Apostolorum contem-

temporaneus, lib. 2. *de cœlesti Hierarchia cap.* 4. S. Cyprianus, Tertullianus, Chrysostomus, Augustinus, & alii, quos videre licet apud Auctores, communiter affirmant, Confirmationem esse novæ legis Sacramentum.

Q. *Potestne ratione probari Confirmationem esse Sacramentum?*

R. Certissime, & quidem tali ratione, qua convinci possent hæretici, si vellent veritatem agnoscere.

Ad Sacramentum tria requiruntur, scilicet promissio gratiæ, signum sensibile, & præceptum, quo jubeatur tale signum ministrari: hæc autem sunt in Confirmatione. Primo siquidem habetur promissio gratiæ, Act. 1. *accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos.* Secundo adest signum sensibile, manuum scilicet impositio: *imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Tertio Christi præceptum aderat, alioquin Apostoli eo ritu non fuissent usi ad conferendam gratiam; talis siquidem ritus non erat in eorum potestate, cum solius Christi sit instituere cæremonias, quibus Spiritus Sanctus certo possit conferri. Igitur Confirmatio verum est Ecclesiæ Sacramentum.

Q. *Hæc vox* Confirmatio *reperiturne in S. Scriptura?* Et Apostoli *usi ne sunt Chrismate, & signo Crucis dum Sacramentum hoc administrabant?*

R. Hæc quæstio tria continet, quæ expresse leguntur in Epistola secunda Pauli ad Corinthios, cap. 1. his verbis: *Qui confirmat vos nobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.*

In hoc textu habentur *Confirmatio*, *unctio, & signum Crucis*, quod format Episcopus in fronte confirmandorum, ut fidem facit traditio omnium sæculorum usque ad præsentem diem: Et omnia verba Pauli adducta perfecte designant hanc fuisse praxim Ecclesiæ Catholicæ in administratione dicti Sacramenti; quam & observarunt Apostoli, quamvis *clare, & expresse* non habeatur in Scriptura, ipsos *semper* usos fuisse *unctione Chrismatis*, a qua potuit Christus dispensare in principio Ecclesiæ; maxime quia in Confirmatione ab Apostolis collata erant aliqua signa sensibilia, puta descensus Spiritus Sancti super confirmatos, & donum linguarum: sed cessantibus ipsis miraculis, ministri debuerunt hanc materiam, & formam servare, quam ipse illos docuerat: Unde fit quod Sancti Patres *Confirmationem* vocarint *Sacramentum Chrismatis*, Sacramentum *unguenti &c.*

DE

RITIBUS HUJUS SACRAMENTI.

Q. *Quare confirmati in fronte unguntur?*

R. Ex Catechismo Romano, seu Concilii Tridentini, quia metus, ac verecundia maxime in fronte solent apparere: & quia in Confirmatione datur robur, quo dictæ affectiones tolluntur, maxime in fronte unctio fieri debet, ad significandum contra hostes fortiter dimicandum.

Q. *Cur imprimitur signum Crucis in fronte?*

R. Quia Crux est nota, & insigne illud, quo Christi miles a cœteris debet distingui; ideo in illustriori corporis parte imprimi debet.

Q. *Cur in die Pentecostes præcipue confertur?*

R. Quia tunc Apostoli robore Spiritus Sancti confirmati sunt, ex quo fideles, quanta sint mysteria in hac sacra unctione intelligere possunt.

Q. *Quare Episcopus confirmatum manu leviter cædit in maxilla?*

R. Ut sic meminerit se tanquam fortem

tem

tem athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa, mortemque ipſam *invicto animo* pro Chriſti nomine perferendam.

Q. *Quare in fine datur Pax*?

R. Ut intelligat ſe gratiæ cæleſtis plenitudinem, & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, conſequutum eſſe; pacemque per victoriam, & victoriam per prælium obtineri.

Q. *Quis finis, & effectus Confirmationis*?

R. Finis ejus eſt augmentum, & perfectio vitæ ſpiritualis; effectus vero eſt plenitudo gratiæ, ideſt confirmare, augere, & perficere gratiam baptiſmalem.

Hæc plenitudo gratiæ in Scriptura declaratur ex eo quod evenit Apoſtolis in die Pentecoſtes: qui enim antea timidi erant adeo ut etiam a mulierculis terrerentur, effecti ſunt fortiſſimi, & robuſtiſſimi &c.

Q. *Quo tempore hoc Sacramentum a Chriſto fuit inſtitutum*?

R. Quidam cenſent inſtitutum fuiſſe poſt Chriſti Reſurrectionem, cum Apoſtolis plenitudinem Epiſcopalis poteſtatis contulit, dicens: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*.

Probabilius tamen eſt, quod in nocte Cœnæ fuerit inſtitutum; unde promanavit conſuetudo ſacrum Chriſma conficiendi in die Cœnæ Domini, quæ quidem in Eccleſia ſemper ſervata eſt, & adhuc ſervatur. Hanc ſententiam expreſſe tradidit Fabianus Papa, ſcribens ad Epiſcopos Orientis, Epiſt. 2. cap. 14 *In illa die Dominus Jeſus poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut a Sanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit*. Quo in loco per *Chriſma* Sacramentum *Confirmationis* intelligitur, quod in *Chriſmate* datur, ſicut per *lavacrum* intelligitur *Baptiſmus*, qui per ablutionem datur.

Poteſtatem tamen Sacramentum hoc conferendi non dedit Apoſtolis niſi poſt Reſurrectionem, cum dedit eis plenariam poteſtatem Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis, quando dixit: *accipite Spiritum Sanctum*, Joann. 20.

Q. *Numquid dici poteſt Confirmationem inſtitutam fuiſſe, cum Chriſtus pueris manum imponebat*?

R. S. Matthæus refert cap. 19. quod *oblati ſunt Chriſto parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret ... qui cum impoſuiſſet eis manus, abiit inde*.

Ex his quidam dixere tunc *Confirmationis* Sacramentum fuiſſe inſtitutum; ſed aberrant, cum pueri illi necdum eſſent baptizati, ac proinde nec capaces Confirmationis, cum Baptiſmus ſit *janua* aliorum Sacramentorum.

Si quæratur cur oblati ſint illi pueri, & cur eis manus impoſuerit?

R. Cum Calmeto: Moris fuiſſe creditur, ait hic eruditiſſimus Interpres in hunc locum, puellos ſanctis, & illuſtribus viris ſiſtere, ut divina in illos beneficia e cœlo evocarentur, Jacobi exemplo, qui decumbens morti proximus, manus impoſuit cervicibu Ephraimi, & Manaſſis, liberorum Joſephi, ſupremum bene illis precatus.

Certa perſuaſione credebatur contrectatio manuum Jeſu-Chriſti non niſi utiliſſima eſſe his pueris poſſe, ſive ut divinis illi beneficiis cumularentur, ſive ut immunes eſſent a morbis, quos ille ab adultis eiiciebat.

Noſtris adhuc temporibus videmus pueros deoſculari manus Sacerdotum, ab eiſque benedictionem petere, etiam extra Eccleſiam, & orationibus eorum ſe commendare.

Pueri igitur, ſi Chriſto oblati ſint, non alia de cauſa oblati ſunt, niſi ut manuum impoſitione eis benediceret, ac benedicendo divinam gratiam eis implotaret; oraretque pro eis, ut in viros ſapientes, & ſanctos adoleſcerent.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Q. *QUibus nominibus appellatur hoc Sacramentum?*

R. Cum tanta ſit hujus Sacramenti dignitas, & excellentia, ut uno vocabulo explicari non valeat, Sancti Patres pluribus nominibus illud expreſſerunt.

1. Dicitur *Euchariſtia*. Euchariſtia autem nomen Græcum eſt quod ſignificat bonam gratiam, & gratiarum actionem. Eſt autem Euchariſtia *bona gratia* quia continet Chriſtum, qui eſt fons, & auctor omnis gratiæ. Eſt etiam *gratiarum actio*, quia Chriſtus in inſtitutione hujus Sacramenti *gratias egit*, & quia in hoc Sacramento quotidie *gratiæ aguntur Deo* pro omnibus beneficiis &c.

2. *Sacrificium*, quia in ipſo Chriſtus Deo Patri offertur, & immolatur.

3. *Synaxis*, ideſt Communio, quia per Euchariſtiam participes ſumus Corporis, & Sanguinis Chriſti.

4. Sacramentum *pacis, & charitatis*, quia per ipſum homo copulatur Chriſto, & membris ejus, nempe fidelibus, ut unum corpus fiat cum illis.

5. *Viaticum*, quia eſt cibus ſpiritualis viatorum, & præſertim infirmorum. Quare ex veteri Eccleſiæ inſtituto cavetur, ut nemo fidelium ſine hoc Sacramento e vita excedat.

6. *Cœna*, quia a Chriſto in ultima cœna inſtitutum eſt. Multis aliis titulis inſignitur, ſed modo dicta ſufficiant. Inveſtigare hic breviter oportet, quid illud ſit.

Q. *Quid eſt Sacramentum Euchariſtiæ?*

R. Euchariſtia eſt Sacramentum Corporis Chriſti, & Sanguinis veraciter contenti ſub ſpeciebus panis, & vini, poſt conſecrationem factam a Sacerdote ſub verbis certis, cum debita intentione prolatis, ex inſtitutione divina veraciter ſignificans, Corpus Chriſti, & Sanguinem ſub eis realiter contineri.

Q. *Quæ eſt materia Euchariſtiæ?*

R. Materia Euchariſtiæ ſunt panis, & vinum, & colligitur ex ipſa Euchariſtiæ inſtitutione: *accepit Jeſus panem &c. Hoc eſt Corpus meum. Et accipiens calicem &c.* in quo erat vinum *de vite*, ut conſtat ex ſequentibus verbis: *non bibam amodo de hoc genimine vitis* &c. Matth. 16.

Confirmatur ex perpetua Eccleſiæ traditione, cujus teſtes ſunt Patres univerſi, quos ſuperfluum eſſet recenſere. Unde cum Jeſus juſſerit nos facere quod fecit, dicens: *hoc facite* &c. tenendum eſt hujus Sacramenti materiam eſſe panem, & vinum.

Q. *Cur hoc Sacramentum ſub ſpeciebus panis, & vini inſtitutum fuit?*

R. Nulla, ut arbitror, aſſignari poteſt ratio neceſſaria, quia potuit Chriſtus in quacumque alia materia, ſaltem manducabili, & potabili inſtituere Euchariſtiam. Congruum fuit tamen ut pane, & vino uteretur, ut ſcilicet generationi ſpirituali correſponderet nutritio ſpiritualis, ſicut naturali generationi correſpondet nutritio naturalis, & corporalis.

Baptiſmus eſt ſpiritualis generatio; debet igitur correſpondere ei ſpiritualis nutritio, quæ fit per hoc Sacramentum, quod conſtat ex Corpore, & Sanguine Chriſti. Sicut enim congrua corporis alimenta ſunt *panis, & vinum*, ſic congruum animæ alimentum ſunt *Corpus, & Sanguis Chriſti*, ſub ſpeciebus panis, & vini.

Q. *Debetne panis eſſe azimus, aut fermentatus:*

R. Quamquam Græci ſentiant panem azimum invalidum eſſe ad conſecrationem; tamen uterque eſt materia apta conſecrationis, & ita declaratum eſt in Concilio Florentino in decreto unionis inter

inter Græcos, & Latinos, ubi præcipitur, ut unusquisque servet praxim suæ Ecclesiæ. Græci enim fermentato pane utuntur, Latini azimo, cum inter utrumque nulla sit substantialis differentia. Placet hic referre decretum Patrum: *Definimus in azimo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in alterutro ipsius Domini Corpus conficere debere; unumquemque juxta Ecclesiæ suæ, sive Orientalis, sive Occidentalis consuetudinem.*

Q. *Quo pane usus est Christus.*

R. Cum Christus instituerit hoc Sacramentum primo die azimorum, quo nihil fermenti Judæis habere licebat, & venisset non legem solvere, sed adimplere, manifestum est, eum pane azimo usum fuisse; & probatur contra Græcos sequentibus Evangelii verbis: *Prima autem die azimorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis tibi paremus comedere Pascha?* Matth. 26.

Et primo die azimorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Pascha? Marci 14.

Venit dies azimorum in qua necesse erat comedere Pascha Luc. 22.

Ex his patet quod *prima die azimorum* comedit agnum Paschalem, sed eo ipso die instituit Eucharistiam post cœnam legalem, die scilicet 14. *Lunæ Martii*, ergo azimo usus est, & non fermentato, tunc Judæis prohibito: *In die primo non erit fermentatum in domibus vestris per septem dies*: Exod. 12.

Iste igitur primus dies vocatur primus azimorum: Item: *& edent carnes nocte illa, & azimos panes*, ibid.

Q. *Quid opponunt Græci pro sustinenda eorum opinione de pane fermentato?*

R. Opponunt illum textum Sancti Joannis, in quo habetur, Christum instituisse Eucharistiam *ante diem festum Paschæ*, cap. 13. quo tempore adhuc utebantur Judæi pane fermentato.

Sed facile huic objectioni occuritur, si consideretur, quod illud vespere, in quo Christus comedit agnum Paschalem, erat finis feriæ quintæ, quæ non erat dies festus Paschæ, & erat principium feriæ sextæ, quæ erat *primus dies Paschæ*, & festi azimorum.

Hebræi siquidem incipiebant comedere azimos in vespere Jovis præcedentis. Unde S. Joannes respiciendo ad illud vespere, prout erat finis diei Jovis, dixit: *ante diem festum Paschæ*: sic enim consideratur dies, ut est *naturalis*.

Alii vero Evangelistæ considerantes illud vespere, non ut finem diei naturalis, sed ut initium diei festi, dixerunt: *primo die azimorum*: & sic Joannes alii non contradicit.

Quod autem Pascha inciperet ad vesperam Jovis, habetur in Levitico cap. 23. *Mense primo*, qui erat Martii apud Hæbreos, *prima die mensis, ad Vesperam Phase Domini est, & quinta decima die mensis hujus solemnitas azimorum Domini est.*

Similiter, Ecclesiastico ritu festi dies a primis vesperis inchoantur, & tamen solemnitas diei naturali, qui ab ortu solis incipit, assignatur.

Q. *Estne Corpus Christi in Eucharistia?*

R. De fide est verum Christi Corpus, & verum ejus Sanguinem realiter in Eucharistiæ Sacramento contineri. Est contra *Berengarium*, *Zuinglianos*, & *Calvinistas*, aliosque hæreticos, dicentes Christum non esse in hoc Sacramento nisi figurative, & simbolice.

Q. *Extatne Christus in hoc Sacramento modo naturali?*

R. Talis fuit opinio Capharnaitarum, & quorumdam Protestantium qui nobis falso imponunt, nos credere Corpus Christi esse in Eucharistia *modo naturali*, idest cum omnibus suis carnalibus qualitatibus, extensione locali, mensura,

pon-

pondere & prout erat in ara Crucis: At toto cœlo aberrant, quia nunquam fuit talis Ecclesiæ Catholicæ doctrina: Docet quidem Ecclesia Christum ibi existere vere, realiter, & substantialiter, attamen sine ullis naturalibus qualitatibus, quibus gaudebat in vita sua mortali, sed modo *sacramentali*, *supernaturali*, *spirituali*, *& ineffabili*, instar Spirituum, qui nullum occupant locum; spirituali, *inquam*, quantum ad modum, *reali vero quoad substantiam corporis* substantialiter præsentis; quia in hoc Sacramento non est pondus, extensio localis, & naturalis existentia quoad modum. Quod vero corpus sit spiritualiter præsens in aliquo loco, & nihilominus sit etiam realiter præsens in eodem, declarat S. Paulus, dicens, quod in die Judicii Beatorum corpora futura sint spiritualia: *Surget corpus spirituale*, 1. Corinth. 15. & tamen vere, & realiter erunt præsentia. Eodem modo, etsi Corpus Christi spiritualiter præsens sit in hoc Sacramento, non impedit quominus ibidem *realiter* existat.

Q. *Quibus argumentis probari potest Corpus Christi vere, & realiter esse in Eucharistia modo explicato?*

R. Multis rationibus hæc veritas demonstrari potest.

1. Ex Conciliis, Nicæno, Ephesino, Lateranensi sub Innocentio III. Florentino sub Eugenio IV. Avenionensi, & præsertim Tridentino, in quo sess. 13. Can. 1. habetur: *Si quis negaverit in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri vere, & realiter, ac substantialiter Corpus, & Sanguinem una cum Anima, & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, Anathema sit.*

2. Ex perpetua Ecclesiæ, & omnium sæculorum traditione.

3. Ex Patribus: inter quos audiendi sunt Theophilactus, qui hæc habet: Non dicit, *Christus, hoc est figura, sed hoc est Corpus*, in cap. 26. Matth. Tertullianus: *acceptum panem, & distributum discipulis, Corpus suum illum effecit*: Hoc est Corpus meum, *dicendo*, lib. 4. contra Marcionem Chrysostomus: *neque illi satis fuit hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi, verum & semetipsum nobis commiscet, & non fide tantum, verum* & ipsa re *suum efficit Corpus*; Hom 83.

Omitto alios, quos citant plurimi Auctores per ordinem temporum.

Q. *Potestne hæc veritas colligi ex Sacra Scriptura:*

R. Cum hæretici parvi faciant Ecclesiæ Traditionem, sicut & testimonia Patrum, velintque Christianam fidem in *solis Sacris libris* fundatam esse, necesse est, ut ad eosdem libros recurramus; ex quibus, si aperire oculos vellent, facile realem præsentiam Christi in Eucharistia agnoscerent.

Hæc veritas demonstrari potest triplici argumento, quæ S. Scriptura nobis suppeditat.

Primum ex verbis promissionis: *Panis*, inquit Christus, *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, Joann. 6. Ex hoc loco, præsentia realis luculenter probatur.

Promittit Christus, se daturum in ultima cœna, quod erat quadam die daturus, & sacrificaturus in ara Crucis; sed clarum est, Christum pro nostra salute verum suum proprium Corpus tradidisse, ergo pariter in ultima cœna verum suum Corpus porrexit pro nostra sanctificatione. *Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita*, quasi diceret, quod oblaturus sum pro redemptione mundi, istud ipsum est, quod dabo vobis in ultima cœna.

Argumentum hoc est invincile; cum fateantur Protestantes, Christum non *figuram* sui Corporis, sed *verum suum Corpus* sacrificasse & immolasse in

Cru-

Cruce, sic confiteri debent, *si sincere* loqui velint, Christum in cœna non *figuram*, sed *verum suum Corpus* nobis dedisse, modo explicato.

Q. Estne alius locus, in Joannis Evangelio, quo probetur realitas Corporis Christi in Eucharistia?

R. Maxime, dicente Christo: *panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Verba illa dubium excitarunt gravissimum in animis Judæorum: *litigabant Judæi, ad invicem dicentes: quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* at si solum figuram sui corporis dare discipulis statuisset, procul dubio *ex charitate*, errorem correxisset, ipsos admonendo: *non turbetur cor vestrum, nec scandalizemini*, quod ego vobis dare volo, non est Corpus hoc quod videtis, sed figura hujus *Corporis*, & sic per talem explicationem non solum murmur Capharnaitarum sedasset, verum, & *multos discipulorum suorum, qui abierunt retro*, retinuisset. At tantum abest, ut sic dictum suum explicuerit, quin potius confirmavit, subjungens: *Caro mea vere est cibus:* & quasi interposito juramento dixit illis: *amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Veram, & realem manducationem carnis suæ his verbis imperans.

Q. Quid ulterius observandum in Evangelio Joannis circa hoc punctum?

R. Certe est aliquid notatu dignissimum, quo aperte præsentia realis Corporis Jesu-Christi probatur. Ibi Christus panem, quem daturum se pro mundi vita tam amanter pollicetur, idest *carnem* suam, *manna* opponit, quo qui cibati sunt in deserto, mortui sunt: qui autem hunc panem, idest *carnem Christi*, manducaturus est, vivet in æternum: Hæc sunt verba ejus in eodem cap. vers. 49. & 50. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.*

At si Eucharistia mera figura esset Corporis, & Sanguinis Christi, falsum foret quod esset excellentior manna, misso à Deo de cœlo, & frustra ipsi anteponeretur quoad vim vivificam: nec diverso modo de pane Eucharistico, & de manna loqueretur, cum etiam figura fuerit Corporis Christi, quod tamen veteres justi Israelitæ ea fide percipiebant, quemadmodum se percipere Calvinistæ gloriantur.

Concludendum igitur est, Eucharistiam non esse figuram Corporis Christi, sicut *manna*, sed ipsum Corpus Christi, alioquin non esset nobilior, & perfectior manna, cum non possit esse perfectior, nisi actu contineat, quod ipsum manna significabat.

Q. Adimplevitne Christus quod promisit, dicens: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita?*

R. Certissime, & habetur in Matthæo, Marco, & Luca referentibus hujus Sacramenti institutionem: dicunt enim prefati Evangelistæ, quod in ea nocte, in qua nempe tradebatur, Jesus-Christus acceperit panem, benedixerit, ac fregerit, dederitque discipulis suis, dicens: *accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Et accipiens Calicem, gratias egerit, & dederit illis, dicens: *Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Q. Verba illa, comedite, bibite, suntne intelligenda de manducatione reali, an figurativa, seu spirituali?

R. Verba illa in sensu proprio, & naturali accipienda sunt, & consequenter de *manducatione reali* intelligenda, quod sic probatur: Jesus-Christus dabat Apostolis, quod Patri æterno offerebat pro ipsis, vel erat ut *Pro-*

testan-

teſtantes volunt, oblaturus in arbore Crucis, & illud non erat figura ſui Corporis, ſed verum proprium ſuum Corpus; ergo juxta promiſſum Jeſu-Chriſti concludendum eſt, dediſſe diſcipulis non figuram, ſed verum ſuum Corpus, cum dixit: *accipite, & comedite: Hoc eſt Corpus meum &c.*

Certe verbis magis aptis, magiſque perſpicuis uti non poterat ad ſignificandum ſe veri, propriique Corporis ſui ſubſtantiam tradere.

Q. *Quid opponunt hæretici contra realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia?*

R. Paucis expediam.

1. Allegant Chriſtum monuiſſe verba illa: *Hoc eſt Corpus meum*, intelligenda eſſe ſpiritualiter: dixit enim: *ſpiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam, verba quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt*, Joan. 6. Inde inferunt Chriſtum non eſſe realiter in Euchariſtia, ſed ſpiritualiter tantum, nec ore corporis manducari, ſed cordis.

2. Illud Apoſtoli: *Patres noſtri eamdem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & eumdem potum ſpiritualem biberunt*, 1. Corint. 11. ſed ſola fide illi manducaverunt, & in figura, ergo & nos &c.

3. *Si quis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere*, Matth 4. ergo non eſt credendum iis qui dicunt eſſe in Sacramento.

4. Chriſtus poſtquam calicem porrexit; dixit: *non bibam amodo de hoc genimine vitis*, Lucæ 22. ergo vinum erat in calice, & non Sanguis.

5. Sexies ad minimum poſt Conſecrationem vocatur *panis*, 1. Corint. 11. & alibi, ergo non eſt Corpus Chriſti.

6. Adducunt particulam *eſt* in Scriptura ſacpi pro ſignificat: *ut ſeptem ſpicæ ſunt ſeptem anni*, Gen. 41. *ſemen eſt verbum Dei*, Luc. 3. ideſt, *Significat*.

7. Verba Chriſti Euchariſtiam inſtituentis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 18. ergo Chriſtus non eſt realiter præſens, cum memoria ſit rerum abſentium, & præteritarum.

8. Multos Sanctos Patres citant, qui Euchariſtiam vocant *ſignum*, *figuram*, *ſymbolum* &c.

Q. *Quid iſtis objectionibus reſpondendum?*

R. Ad primum dicendum, verba Chriſti: *caro non prodeſt quidquam*, intelligenda eſſe de carne materialiter ſumpta, quæ dentibus teritur, & in minutiſſimas partes ſcinditur, prout accipiebant Capharnaitæ, credentes Chriſtum velle dare carnem ſuam *diviſam in partes*, prout communiter comeduntur animalia. Quorum errorem ut corrigeret, ſubjunxit: *verba, quæ ego loquor, ſpiritus, & vita ſunt*: ideſt ſpiritualiter intelligenda ſunt, quaſi diceret: nolo putetis carnem meam viſibiliter ſcindendam, & manducandam eſſe, ſed ſpirituali, & *Sacramentali modo*, videlicet ſub ſpeciebus panis, & vini.

Caro non prodeſt quidquam: Caro nude ſumpta, a Divinitate ſejuncta neque ſanctitatem, neque vitam largiri poteſt; at Divinitas cum humanitate conjuncta ſalutem, æternamque vitam affert.

Si enim abſolute caro non prodeſſet quidquam, fruſtra Verbum caro factum eſſet; fruſtra caro Chriſti paſſa, crucifixa, & mortua eſſet, quod abſit.

Ad *ſecundum*: Apoſtolus vult eamdem eſcam eſſe ex parte rei manducatæ, non autem ex parte modi manducandi. *Manna*, quod comederant, Hebræi, Chriſtum Jeſum ſignificabat; & illud fide tantum, & in figura manducaverunt Hebræi in deſerto; nos vero idem manducamus per fidem, & realiter.

Ad *tertium*: Matthæus loquitur de Pſeudo Chriſtis, ſeu de perverſis qui-

busdam hominibus, qui Christi nomen impie sibi usurpabant, non vero loquitur de Christo in Eucharistia.

Ad *quartum*: Christus duabus vicibus calicem accepit. Primo in cœna communi, & pro tunc dixit: *non bibam amodo de genimine vitis*. Secundo accepit calicem quem consecravit: Quod si in isto ultimo calice non dedisset Sanguinem, sed *vinum purum*, ut volunt Calvinistæ, Christus *verum non dixisset*, quod asserere blasphemia est; cum superius Christus protestatus esset, se non amplius bibiturum vinum. Necessario igitur concludendum est Jesum-Christum in illo calice realiter suum proprium Sanguinem dedisse. Et hæc probatio nullam, certo certius admittit instantiam.

Ad *quintum*: Nihil obstat quod Eucharistia vocetur *Panis*, quia Scriptura sæpe appellat aliquid nomine illius ex quo factum est. Sic homo vocatur pulvis, terra, quia ex terra factus est.

Deinde Corpus Christi dicitur panis, quia *Panis* nomine juxta phrasim Hebraicam intelligitur generatim omnis cibus, seu omne id quod nos sustentat, & nutrit, non solum quoad corpus, sed etiam quoad animam. Unde aperte dicit Salvator: *Panis, quem ego dabo caro mea est*, &c.

Dicitur etiam Panis propter ejus accidentia, quæ remanent post consecrationem.

Ad *sextum*: dicendum; quod etsi verbum *Est* aliquando sumatur pro *significat*, in lingua Hebraica; non tamen semper sic usurpari potest; ut quando dicitur: *Verbum caro factum est. Hic est Filius meus dilectus. Tu es Christus Filius Dei vivi.*

Numquid foret hæreticus, qui diceret: Filius Mariæ repræsentat, seu significat Filium Dei. Verbum significat aliquid, quod caro factum sit; Tu repræsentas Christum Filium Dei &c.

Si autem quæratur quandonam particula *Est* sumatur pro *significat*.

Respondendum, tunc solum sic usurpari, quando referuntur, & explicantur visiones, parabolæ, figuræ, similitudines. Parabolæ enim dignoscuntur per applicationem factam in antecedentibus, vel subsequentibus verbis: Nulla autem sunt verba antecedentia, vel subsequentia; quæ indicent Christum loqui parabolice quando dixit: *Hoc est Corpus meum*. Sed quando in uno discursu absoluto dicitur: *Tu es Christus*: *Hoc est Corpus*, tunc vocula *Est*, accipitur per *esse*. Et sic argumentum nihil concludit.

Ad *septimum* dicendum, quod si Christus dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. hoc non debet intelligi quasi Eucharistia sit memoria Christi absentis; sed quia est *repetitio Sacrificii incruenti*, quod fecit Christus. Nos siquidem offerimus in Missa Corpus, & Sanguinem Christi passi, sive in commemorationem Dominicæ Passionis, quæ non est præsens.

Ad *octavum* dicendum, illa epitheta afficere species sacramentales, seu Eucharistiam, quatenus spectatur secundum externam dumtaxat sui partem, quæ oculis corporis observatur; sic *figura* est *signum*, est *mysterium*, est Sacramentum corporis, & Sanguinis Christi: secundum verò rem in ea latentem, *veritas est Corporis, & Sanguinis Christi.*

Q. Si Christus dixit: *semper pauperes habetis vobiscum; me autem non semper habebitis*, Matth. 26. item: *relinquo mundum, & vado ad Patrem*, Joann. 16. nonne bene infertur, ergo non est in Eucharistia?

R. Christus etiam dixit: *Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi*, Matth. ult. Ergo pariter bene infertur, Christus est in Eucharistia.

Ad illud: *relinquo mundum*, loquitur Christus de *præsentia corporali visibili*, hoc est, quod deinceps in mundo futurus

turus non ſit, eo modo quo erat dum familiariter cum diſcipulis verſabatur; at non negat ſe inviſibili, & ineffabili modo ſemper in mundo manſurum: imo eoſdem de ſuo diſceſſu conſolatur his verbis amantiſſimis: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.*

Q. *Remanetne in Euchariſtia ſubſtantia panis & vini?*

R. Hoc dicunt *Lutherus, & diſcipuli ejus*, qui admittunt quidem Corpus, & Sanguinem Chriſti realiter contineri in Euchariſtia, ſed cum ſubſtantia panis, & vini, itaut æqualiter ſint in Euchariſtia panis, & vinum, ac Corpus, & Sanguis Chriſti.

Nos vero dicimus cum Eccleſia Catholica, totam ſubſtantiam panis, & vini converti in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti, ita ut nihil remaneat de pane, & vino, præter ſpecies, & accidentia, ſcilicet quantitatem, colorem, figuram, ſaporem, odorem &c.

Hoc definitum eſt pluribus in Conciliis, præſertim Tridentino, his verbis: *Si quis dixerit in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere* ſubſtantiam panis, & vini, *una cum Corpore, & Sanguine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, negaveritque mirabilem illam, & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini; quam quidem converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime Tranſubſtantiationem appellat, Anathema ſit.*

Hoc dogma Catholicum confirmant Sancti Patres, & probatur ex ipſa Sacramenti inſtitutione. Chriſtus dixit: *Hoc eſt Corpus meum*, ergo non remanet ſubſtantia panis, alias non vere diceretur: *Hoc eſt Corpus meum*; falſum enim eſt, panem eſſe Corpus Chriſti; ſed potius dicendum foret: *Hic eſt Corpus meum.*

Verum quidem eſt pronomen *Hoc*, demonſtrare poſſe tam rem contentam, quam continentem, ſi ea ſit, vel ex natura ſua, vel ex uſu hominum inſtituta ad continendum; ſicut demonſtrato vini dolio, vere dicitur: *hoc eſt vinum*: non tamen quando res non eſt ad alteram continendam inſtituta: Unde ſi ſub pane conderetur aurum, non recte diceretur, demonſtrato pane: *hoc eſt aurum.*

Deinde Chriſtus ait: *Panis quem ego dabo, caro mea eſt*, Joann. 6. Ut autem verba hæc in naturali eorum ſenſu vera ſint, neceſſarium eſt, ut panis in Chriſti carnem mutatus ſit: ergo nihil de pane præter accidentia remanet.

Vetus, & Novum Teſtamentum ſimiles mutationes referunt; Moyſes aquam in Sanguinem, & Jeſus-Chriſtus aquam in vinum convertit. Cur igitur non poterat idem præſtare, panem ſcilicet in Corpus ſuum tranſubſtantiando, dum dixit: *Hoc eſt Corpus meum?*

Altera ratio convincens non extare in Euchariſtia *ſubſtantiam panis* habetur in S. Luca cap. 22. ỳ. 16.

Dico vobis, quia ex hoc non manducabo illud, &c. Et verſ. 19. accepto pane dixit: *Hoc eſt Corpus meum*. Conveniunt ſiquidem omnes, Chriſtum Dominum prius manducaſſe panem hunc jam converſum in Corpus ſuum, & poſtea ſuis Apoſtolis diſtribuiſſe, dicendo: accipite & comedite. Concludendum igitur eſt nihil panis in Euchariſtia remanſiſſe, alias quomodo verificari poſſet quod paulo ante in cœna legali Paſchæ dixerat, ſe amplius non commeſturum?

Q. *Si Euchariſtia poteſt hominem nutrire, ſi poteſt corrumpi, & vermes generare, nonne ſignum eſt remanere ſubſtantiam panis?*

R. Certum eſt, quod poteſt quis pane Euchariſtico alimentari, & ſuſtentari, quia eo ipſo quo corrumperentur ſpecies panis, aut rediret ſubſtantia ejus,

jus, aut Deus aliam substitueret, quæ hunc effectum produceret.

Item, si diutius Eucharistia servetur, possunt species corrumpi, quia Deus illas conservare non decrevit, nisi inquantum subsisterent, si adesset substantia panis. Pariter ex ipsis accidentibus vermes possunt generari, supplente Deo effectum substantiæ. Possunt etiam species a muribus corrodi, & ab animalibus brutis consumi, manente intacto, & illæso Corpore Christi. Possunt insuper species comburi, sed tunc aut Deus reproduceret substantiam panis, aut aliam: quia ignis non producit ignem, nisi in substantia.

D E

EFFECTIBUS EUCHARISTIÆ.

Q. *Qui sunt fructus, sive effectus Sanctissimi hujus Sacramenti?*

R. Sunt illi prope infiniti, & longe præstantissimi.

Primus est, quod per Sacram Eucharistiam intime conjungamur Christo, ut ipse indicat apud Joannem: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*, Joann. 6.

Secundus: Vi hujus Sacramenti, quotidianas animi sordes facile eluimus, vulneribusque inflictis medemur.

Unde Sacerdos populum communicaturus, manu prætendens sacram Hostiam, verba Sancti Joannis Baptistæ dicere consuevit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi &c.*

Tertius: Valet Sacramentum hoc ad coercendos animi motus, & perturbationes. *Mihi crede*, inquit S. Cyrillus, lib. 4. in Joann. cap. 7. *non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.* Unde Joannes Cassianus Collatione 22. docet, Dominici Corporis virtutem valere magnopere *ad cavendas corporis pollutiones*, aliasque dæmonum illusiones.

Quartus: Præservat a lapsu in graviora peccata. Hanc utilitatem tradit S. Bernardus: *Duo*, inquit, *illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum, Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi; gratias agat* Corpori, & Sanguini Domini, *quoniam virtus Sacramenti operatur in eo*, Serm. in cœna Domini.

Quintus: Valet ad expugnandas omnes tentationes dæmonis, & carnis: *Parasti*, inquit Psalmista, *in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me*, Psal. 22.

Sextus: Majorem apud Deum gratiam conciliat. Nec mirum id est, cum Eucharistia a gratia nomenclaturam acceperit.

Septimus: Vehementer accendit ad amorem Dei, & ad ardua quæque pro Christo perferenda. Qua de causa, cum olim a Tyrannis fideles ad tormenta, & mortem propter Christiani nominis confessionem vulgo raperentur; ne illi forte dolorum acerbitate victi, in salutari certamine succumberent, vetus in Ecclesia Catholica mos fuit, ut iis, Dominici Corporis, & Sanguinis Sacramenta præberentur.

Octavus: Magnam affert voluptatem, & consolationem spiritualem pie communicantibus: Unde Ecclesia canit: *O quam suavis est Domine Spiritus tuus! qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis &c.*

Nonus: Dat nobis Sacra Communio pignus futuræ gloriæ, quemadmodum can-

cantat Ecclesia : *O sacrum convivium in quo Christus sumitur &c. & futuræ gloriæ nobis pignus datur* . Dixit Christus Jesus: *Si quis manducaverit ex hoc pane , vivet in æternum : Et qui manducat meam carnem , habet vitam æternam*, Joann. 6. Hinc mirabiliter fulcitur spes nostra, quæ tantis arrhis , & pignore lætatur.

Decimus : Sanitatem etiam corporalem confert . Mulier Evangelica , quæ duodecim annis sanguinis fluxum passa fuerat , solo vestis Christi contactu curata est . Corpus Elisæi exanime talem habuit virtutem, ut solo contactu alterius defuncti corpus suscitaverit . Quidni igitur Christus Dominus , qui vitæ, & mortis habet imperium , corporis, & animæ sanitatem digne communicantibus non conferet?

Undecimus : Sacramentum hoc, quia in eo verum mundi lumen præsens est, illuminat mentem suscipientis, omnesque ab eo tenebras depellit: Hinc mysterium fidei dicitur , quæ est animæ lumen .

Duodecimus: Est viaticum nostræ peregrinationis , ut ad patriam nostram cœlestem pertingamus . Idcirco fideles tunc præcipue Sacra Eucharistia reficiendi sunt cum ad mortem se disponunt , ut virtute illius roborati ad cœlum ascendant .

Quare in Concilio Nicæno jam olim mandatum est, ut nemini morti proximo hoc viaticum negetur . *Quod si quis* , pura conscientia , *susceperit* , *spiritum efflaturus , ab Angelis illius animam , satellitum more , stipantibus , propter assumptum illud Sacramentum hinc recta in Cœlum adducitur*. S. Chrysost. Lib. 6. de Sacerd.

DE INSTITUTIONE FESTI CORPORIS CHRISTI.

Q. *A quo, & quibus de causis solemnitas Corporis Christi instituta est ?*

R. Hæc solemnitas instituta fuit ab *Urbano IV.* circa annum 1264. Qua occasione dicemus postea . Tria autem afferuntur hujus institutionis motiva.

Primo , in memoriam beneficii a Christo Domino , & Salvatore nostro in Christianos collati , per hujus admirabilis Sacramenti institutionem, & ad publicam grati animi significationem , ob tam prætiosum , tam suave , tam delectabile divini in nos amoris pignus .

Secundo , ad confundendam hæreticorum perfidiam , & insaniam , qui tanti mysterii veritatem impugnare ausi sunt, vel etiamnum audent.

Tertio, ad supplendum , & resarciendum publica privataque devotione quidquid toto anni decursu , in Missarum Solemniis , aut alias ex negligentia , vel fragilitate humana, minus plene ad tanti Sacramenti venerationem gestum est.

Hæ rationes exponuntur in Clementina: *Si Dominum* , Tit. de Reliq. & Vener. SS.

Q. *Ad quid inservit institutio Festi hujus particularis, si in die Cænæ ab Ecclesia celebretur?*

R. Respondet Sanctus Thomas: Etsi in die Cænæ, quando Sacramentum Eucharistiæ noscitur institutum, inter Missarum solemnia de institutione ipsius specialis mentio habeatur ; totum tamen residuum ejusdem diei Officium ad Christi Passionem pertinet, circa cujus venerationem Ecclesia *illo tempore* occupatur. Unde, ut integro celebritatis Officio, institutionem tanti Sacramenti

recoleret plebs fidelis, Romanus Pontifex *Urbanus IV.* hujus Sacramenti devotione affectus, pie statuit præfatæ institutionis memoriam, prima *feria quinta* post Octavam Pentecostes, a cunctis fidelibus celebrari; ut qui per totum anni curriculum hoc Sacramento utimur ad salutem, ejus institutionem illo tempore specialiter recolamus, quo *Spiritus Sanctus corda Discipulorum edocuit*, ad plene cognoscenda hujus Sacramenti Mysteria: nam & in eodem tempore cæpit hoc Sacramentum a fidelibus frequentari.

Q. *Qua occasione hoc Festum solemniter celebrari jussit Urbanus?*

R. Liquet id ex ipsa historiæ veritate.

Circa annum Domini 1230. floruit juxta *Leodium* in Monte Cornelio Virgo *Juliana*, quæ ad virtutis, ac scientiæ divinæ culmen pertigit. Inter orandum in extasim rapta vidit lunam in suo splendore, sed cum aliqua sui orbicularis corporis fractione. In se reversa mirabatur, nesciens quid hoc significaret. Tandem divino didicit responso, significari Ecclesiam in luna, in ejus fractione defectum unius festivitatis, quam Deus volebat ad augmentum fidei institui. Accepit verò cælitus præceptum, ut hanc solemnitatem inchoaret, & mundo celebrandam anunciaret.

Sed humilis virgo indignam se tanto negotio reputans, instabat gemitibus apud Deum, ut alteri negotium committeret.

Tandem divinæ voluntati acquiescens rem totam indicavit cuidam viro probo & sancto *Joanni de Lausenna*, Sancti Martini Leodii *Canonico*, rogans ut tacito nomine cum his ageret hac de re, qui clavem scientiæ in Ecclesia Dei tenent.

Exposita fuer: omnia *Jacobo de Trecis*, Archidiacono Leodiensi, qui postea factus est *Episcopus Verdunensis*, deinde *Patriarcha Hierosolymitanus*, demum Pontifex Romanus, dictus *Urbanus IV.* Hic rem contulit cum Hugone Provinciali *Ordinis Prædicatorum*, postea Cardinali, & Guidone, Episcopo Cameracensi, & cum aliis viris celeberrimis, qui negotium promoverunt, & ad Dei gloriam cessurum unanimiter censuerunt.

Postmodum idem fuit revelatum *Isabellæ*, Beghinæ Hoyensi, quam sanctitatem celebrem in sororem Monasterii Montis *Cornelii* recipi curarat, & alteri virgini nomine *Eva* reclusæ ad Sanctum Martinum Leodii.

Audiens *Juliana* Deum qui mysteria sua abscondit a sapientibus, & revelat ea parvulis) etiam has, *Isabellam* scilicet, & *Evam* testes elegisse, exultavit in spiritu, & tandem per *Joannem*, domus suæ patrem, seu directorem, officium componi fecit, quod incipit: *Animarum cibus*, quod a Leodiensibus Theologis probatum fuit, & tamdiu recitatum donec ab Urbano officium Sancti Thomæ publicatum est.

Hac occasione primum festum *Leodii* est celebratum, potissimum a *Collegio Sancti Martini*. Robertus tunc Episcopus Leodiensis in Generali Synodo statuerat solemnitatem Corporis Christi per omnes Diæcesis Ecclesias celebrari, sed morte præventus executionem non vidit.

Cum autem Urbanus ex Patriarcha Hierosolymitano *in Pontificem*, extra Cardinalium collegium, assumptus esset, Festum, quod antea Leodii celebrabatur, universale fecit, anno 1264. anno quarto Pontificatus sui. Cum autem Juliana supremum diem obiisset, misit ad Evam reclusam diploma cum novo S. Thomæ officio, cujus exemplar hic exhibemus.

URBANUS EPISCOPUS

Servus Servorum dei Dilectæ in Christo filiæ Evæ Reclusæ *Sancti Martini* Leodiensis, *salutem & Apostolicam Benedictionem.*

„ SCimus o filia, quod magno desiderio „ desideravit anima tua, ut solemne „ festum Sacratissimi Corporis Domini „ nostri Jesu-Christi institueretur in Ec- „ clesia Dei, & a Christifidelibus perpe- „ tuis temporis celebrandum.

„ Et ideo tibi significamus ad gau- „ dium, quod nos ad *corroborationem* „ *Catholicæ Fidei* digne duximus, & „ statuimus, ut de tam mirabili Sacra- „ mento, præter quotidianam comme- „ morationem, quam de ipso Ecclesia „ facit, *specialior & solemnior memo-* „ *ria* celebretur, certum ad hoc desi- „ gnantes diem, videlicet *feriam quin-* „ *tam* proximam post *octavas festi Pen-* „ *tecostes* proxime sequentem. Ut in „ ipsa feria quinta devotæ Fidelium „ turmæ, propter hoc ad Ecclesias af- „ fectuose concurrant, sitque dies illa „ universis Christicolis nova festivita- „ te jucunda, & ampla jucunditate fe- „ stiva, prout in litteris nostris Apo- „ stolicis, quas per universum Or- „ bem super hoc direximus, plenius „ continetur.

„ Et scias quod nos hujusmodi fe- „ stum cum omnibus fratribus nostris „ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali- „ bus, nec non cum omnibus Archi- „ episcopis, & Episcopis, cæterisque „ Ecclesiarum Prælatis, tunc apud A- „ postolicam Sedem commorantibus, „ *ad hoc videntibus, & audientibus de* „ *tanti festi celebritate salubre præbe-* „ *retur exemplum, diximus celebran-* „ *dum.*

„ *Magnificet igitur anima tua Do-* „ *minum, & exultet spiritus tuus in* „ *Deo salutari tuo: quia viderunt ocu-* „ *li tui salutare tuum, quod paravimus* „ *ante faciem omnium populorum.* Læ- „ tare insuper, quia Omnipotens Deus „ tribuit tibi desiderium cordis tui, „ & voluntate labiorum tuorum non „ fraudavit te cœlestis gratiæ pleni- „ tudo.

„ Et quia quaternium in quo to- „ tum habetur ipsius festi Officium ti- „ bi sub Bulla nostra per præsentium „ latorem destinamus: volumus & A- „ postolico scripto tibi mandamus, „ quatenus Sacrum Officium cum de- „ votione recipias, & ejus copiam per- „ sonis illam petentibus liberaliter ex- „ hibeas.

„ Et instes libenter devotis supplica- „ tionibus apud illum, qui memoriale „ tam salutiferum de seipso reliquit in „ terris, in nobis tribuat ex alto gra- „ tiam commissam nostro regimini u- „ tiliter ad laudem, & gloriam nomi- „ nis sui, & salubriter gubernandi.

„ Datum apud Urbem Veterem Sex- „ to idus Septembris Pontificatus nostri „ anno 4. Christi 1264.

Ex hoc Diplomate constat festum Corporis Christi primo incæptum fuisse *Leodii*, & inde per universum orbem propagatum.

DE

MISSÆ SACRIFICIO.

Q. QUid est Missa?

R. Quidam putant esse nomen Hebraicum significans voluntariam oblationem. Alii tenent esse nomen Latinum a verbo *mitto* derivatum, quia mittuntur orationes populi ante thronum divinæ Majestatis.

Missa autem dicitur quasi *transmissa*, eo quod populus fidelis de suis meritis non præsumens, preces & oblationes, quas Deo omnipotenti offerat

desiderat, per ministerium Sacerdotis ad Deum transmittat. Albinus de Divinis Officiis.

Missa etiam dici potest dimissio, eo quod dimitti solebant Cathecumeni, antequam inchoaretur Sacrificium Missæ, clamante Levita: siquis Catechumenus remansit, exeat foras. Unde ex dimissione eorum, qui Sacramentis Altaris interesse non poterant, Missa etiam dicta est.

Tandem totum Sacrificium *Missa* appellatum fuit. Hoc autem ab initio consistebat in sola oblatione, consecratione, & oratione dominica; cui subinde Apostoli Epistolam & Evangelium adjunxerunt; & postmodum Romani Pontifices & Concilia variis occasionibus diversas orationes, & cæremonias addiderunt.

Quis primus Missam celebravit?

R. Ferunt Sanctum Petrum, post Christum, Missam primo celebrasse in cœnaculo montis Sion, die ipso Pentecostes. Quod si dicatur *cap. Jacobus dist. 1. de Consecratione*: Sanctum Jacobum fuisse primum, qui Missam celebravit; hoc intelligi debet quoad promulgationem; quia scilicet S. Jacobus fuit primus, qui modum celebrandi ab Apostolorum Principe præscriptum evulgavit.

Pisis, quæ civitas est Hetruriæ, celebris est Basilica S. Petro sacra, in qua constanti traditione habetur, eumdem Apostolum Missam celebrasse. In cujus rei testimonium exhibetur vetusta Altaris pars, una cum litteris valde antiquis.

Q. *Quid est Sacrificium*?

R. Sacrificium sic communiter definitur; quod sit Oblatio externa rei sensibilis a legitimo ministro soli Deo facta, in qua substantia oblata perimitur, vel immutatur, ad testandum illius supremum dominium, & nostram in ea subjectionem.

Dicitur *oblatio*, quia in ea offertur Corpus, & Sanguis Christi, & per hoc convenit Sacrificium Missæ cum aliis oblationibus, quæ sacrificia non sunt.

Dicitur *externa & rei sensibilis*, quia species, sub quibus continentur Corpus & Sanguis Christi sensibiles sunt. Et per hoc Sacrificium Missæ differt ab actibus internis virtutum, qui large sacrificia dicuntur. Sic contritio sacrificium dicitur: sacrificium Deo spiritus contribulatus; laudes pariter divinæ sacrificium dicuntur: sacrificium laudis honorificabit me.

Dicitur *a legitimo ministro*, quia in omni lege ad sacrificia offerenda aliqui specialiter delecti & destinati fuerunt. In lege Naturæ erant patresfamilias, & primogeniti, qui Sacerdotio fungebantur; & si quidam alii, ut Abel, Abraham &c. sacrificasse leguntur, ex speciali Dei instinctu id fecerunt.

Dicitur *soli Deo facta*, quia sacrificium est cultus Latriæ, qui soli Deo debetur.

Dicitur in qua substantia aliqua perimitur, vel immutatur; hoc enim significat ipsum sacrificii nomen: unde si res integra & immutata maneat, dici non potest sacrificium.

Dicitur tandem ad testandum &c., quia hæc protestatio supremi Dei dominii est proprius sacrificii finis; de quo omnes conveniunt.

Q. *Quomodo dividitur Sacrificium*?

R. Sacrificium ratione materiæ dividitur in cruentum & incruentum; seu dividitur in Victimam, Immolationem, & Libamen. In victima offerebantur animalia; & hoc erat sacrificium cruentum. Per immolationem offerebantur Deo res inanimatæ solidæ, ut panis, thus, triticum &c. In libamine vero offerebantur res inanimatæ liquidæ, ut vinum, lac, oleum, &c. & hæc omnia effundebantur super Altare.

Sacrificium incruentum illud est

quod

quod offertur in Missa. Dividitur autem hoc Sacrificium ratione finis in Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, & Propitiatorium. Latreuticum solum Dei cultum respicit, quo ejus supremum in nos dominium, & nostram in eum servitutem demonstramus. Eucharisticum illud est, quod fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. Impetratorium quod fit ad aliqua beneficia a Deo obtinenda. Et tandem Propitiatorium, quod ad avertenda quæcumque mala, & pœnas peccatis debitas ordinatur.

Q. *Estne Missa verum Sacrificium*?

R. Negarunt olim Petrobrusiani, & VViclephitæ, quorum errorem renovarunt moderni hæretici, quos non puduit dicere Missam esse summam abominationem a Romanis Præsbyteris diabolo suadente adinventam. Lutherus aperte profitetur, se supra omnes abominationes habere Missam, & nihil magis dolere, quam quod per annos quindecim Missam celebravit Catholicorum more.

Quod autem Missa sit verum Sacrificium, multipliciter probari potest.

Primo sic definitum pluribus in Conciliis, Nicæno primo, Ephesino primo, & maxime Tridentino sess. 22. Can. 1. Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, anathema sit.

Secundo ex vaticinio Malachiæ c. 1. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & offertur nomini meo oblatio munda. Quæ verba de Sacrificiis Judæorum intelligi nequeunt, quia hic repudiantur. Secundo quia singulari numero quasi una oblatio dicitur; Mosaica autem sacrificia plurima erant, & nullum aliud Sacrificium loco illorum legitur institutum, præter illud ex hostia singulariter munda. Tertio quia sacrificia Judæorum non offerebantur in omni loco, cum Judæi intra solos Palestinæ limites clauderentur, & in solo Templo Jerosolymitano sacrificare liceret. Ergo intelligitur de sacrificio novæ legis, quod in universo terrarum orbe Deo Patri exhibetur.

Tertio ex Christi Sacerdotio: Omnes siquidem conveniunt de Christo dicta esse illa verba Psalmi 9. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Sed offerre sacrificium est proprium Sacerdotis munus; ergo necessario dicendum est, Christum aliquando illud obtulisse secundum illum ordinem & ritum, quo Melchisedech offerebat. Atqui Melchisedech obtulit sacrificium incruentum in pane & vino, Genesis cap. 14. ergo etiam Christus illud aliquando obtulit. Nusquam autem illud obtulisse legitur, nisi in ultima cœna, in qua & Apostolis idem faciendum præcepit.

Quarto quia nulla lex aut Religio extare potest sine vero sacrificio, cum solum Sacrificium proprie dictum sit cultus proprius Dei, & quæcumque alia genera honoris præter Sacrificium sint etiam creaturis communia. Cum autem nemo vere Deum colere possit, nisi cultum ei soli debitum adhibeat, necessario dicendum remanet, aut legem & Religionem vere & proprie in Ecclesia Christi non reperiri, aut Sacrificium verum in ea reperiri.

Quinto ex Apostolo dicente, Hebr. 13. Habemus Altare, de quo edere non habent, qui tabernaculo deserviunt. Si igitur Altare, ergo & Sacrificium, quæ sunt relativa: aliud autem Sacrificium in Ecclesia Christi non agnoscitur præter Eucharistiam, quæ offertur in Missa, ergo Missa est verum Sacrificium?

Sexto ex perpetua Ecclesiæ traditione. Id enim apertissime testantur antiquissimæ Liturgiæ, antiquissima Missalia, nec non Patres omnes etiam pri-

morum sæculorum. Quæ omnia cum a Theologis fuse & erudite disputata sint, ad eosdem lectorem remittimus.

Q. Potestne hæc veritas alia ratione comprobari?

R. certissime, & quidem hoc argumento: Omnia quæ requiruntur ad verum Sacrificium, in Missa reperiuntur; ergo ipsa est verum Sacrificium. Primo, *est oblatio externa rei sensibilis*, nempe Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus visibilibus panis & vini. Secundo, *a legitimo ministro*, Sacerdote scilicet, per Dei potestatem ordinato. Tertio, *soli Deo facta*; & hoc constat ex Offertorio, & Canone Missæ. Quarto, *in qua substantia oblata perimitur, vel immutatur*. Quamvis enim Christus non offeratur modo cruento, sed incruento; attamen Consecratio ex vi verborum Corpus & Sanguinem Christi ab invicem separat. Quinto, *ad testandum illius supremum dominum &c.* Ad huc enim finem Missa instituta est. Missa igitur est verum Sacrificium.

Q. Quandonam Christus Missæ Sacrificium instituit?

R. In ultima cœna, priusquam in Cruce pateretur, cum se ipsum Deo Patri obtulit sub speciebus panis & vini. Accepto enim pane gratias agens fregit, & dixit: *Accipite & manducate: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur.* Et accepto calice similiter dixit. *Accipite & bibite: Hic est calix Sanguinis mei &c.* Quæ verba vera esse nequeunt, nisi substantia panis & vini in fine prolationis verborum destruatur, adeoque in Corpus & Sanguinem Domini convertatur. Hæc autem actio, qua ad protestandam divinæ Majestatis gloriam, panis & vini, substantiam destruxit, ac in suum Corpus, & Sanguinem commutavit, fuit verum & proprium Sacrificium, ut patet ex definitione Sacrificii jam allata. Et quia Christus id, quod ipse fecerat, etiam Apostolis, eorumque successoribus in sui memoriam faciendum præcepit; ut liquet ex illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, idest, sacrificate, sicut me sacrificare videtis: Hinc irrefragabiliter evincitur, etiam Sacerdotes novæ lægis in Missa, juxta institutionem Christi, Corpus & Sanguinem ejus legitime, ac proprie offerre.

Q. Quibus rationibus impugnant hæretici hoc Sacrosanctum Missæ Sacrificium?

R. Pluribus argumentis Sacrificium impugnare.

Primo igitur dicunt, Melchisedech non obtulisse panem & vinum in Sacrificium, sed in refectionem Abrahæ, & ejus militum; ergo non bene sequitur Christum sacrificasse, cum panem & vinum consecravit.

Secundo, si Christus in ultima cœna suum Corpus, & Sanguinem Deo Patri obtulisset in Sacrificium, cum fuisset infiniti valoris, superfluum fuisset Sacrificium Crucis.

Tertio, Eucharistiam esse Sacramentum, quod nobis a Deo datur, non vero Sacrificium, quod a nobis Deo offeratur.

Quarto, Christum esse Sacerdotem in æternum; ergo, inquiunt, nulli substitui debent Christo successores; quia Sacerdos succedens supponit mortem prioris.

Quinto, per Missæ Sacrificium injuriam fieri Sacrificio Christi in Cruce, quasi hoc non haberet virtutem infinitam.

Sexto, Christum dixisse Apostolis: *Accipite, & manducate*, non autem *offerte*, adeoque oblationem non esse ex instituto Christi.

Septimo, Christum solum esse Sacerdotem Novi Testamenti, ergo a Sacerdotibus nostris non potest Christus offerri.

Octavo, ad verum sacrificium requiri,

ri, ut victima mactetur, seu occidatur, quod non fit in Missa.

Q. Quomodo evertendæ sunt præfatæ hæreticorum oppositiones?

R. ad *primum*, Melchisedech, cum esset *Sacerdos Altissimi*, Gen. cap. 14. panem & vinum Deo obtulisse, non militibus Abrahæ, qui cum redirent victores ex prælio, cum copiosissima præda, & cibariis, ut loco citato testatur ipse Abraham, pane, & vino Melchisedech non indigebant. Potuit tamen Melchisedech utrumque facere, ut Philoni Judæo placet, qui lib. primo de Abraham circa finem hæc scribit de Melchisedech: *Magnus Pontifex redeuntem Abrahamum conspicatus, & attonitus tanti facinoris magnitudine, manus in cœlum tendens fausta illi precatus, & oblatis pro victoria sacrificiis, splendidum epulum sociis omnibus dedit.*

Ad secundum: licet Christus conficiendo Eucharistiam verum Sacrificium instituerit; non tamen superfluum fuit Crucis Sacrificium, cum a morte Christi Sacrificium Missæ totam suam accipiat virtutem infinitam. Etenim Sacrificium Crucis habet quidem virtutem ad sanctificandum; tamen ut effectus ejus nobis efficaciter applicetur, egemus alio Sacrificio, quod ab eo dependeat, vimque suam ab eo habeat. Unde Christus hujusmodi applicationem prævidens nobis necessariam, per Sacrificium Eucharistiæ utrumque fecit, & obtulit se Deo Patri sub speciebus panis, & vini modo incruento, & pariter obtulit se in Cruce modo visibili & cruento, totum videlicet suum divinum Sanguinem effundendo.

Ad *tertium*: sub diverso respectu Eucharistia Sacramentum est, & Sacrificium; Sacramentum, quatenus est signum visibile invisibilis gratiæ, quæ nobis confertur, dum eam rite sumimus; Est autem victima, & sacrificium, quatenus Deo offertur.

Ad *quartum*: Si sequella vim haberet, probaret pariter Christum nec in officio magistri, pastoris, & ministri Sacramentorum ullos habere coadiutores, & ministros subordinatos, quod ab ipsis hæreticis, etiam *Puritanis* nullo modo admittitur.

Ad *quintum*: Admittimus Crucis Sacrificium cruentum infiniti esse valoris, idest quod sufficiat remittendis infinitorum hominum infinitis culpis. At quemadmodum, ut satisfactio illa etiam superabundans nobis applicetur, necessaria sunt Fides, Baptismus, bona opera &c. ita pariter est necessarium Sacrificium incruentum Altaris, quotidie in Ecclesia offerendum: non quidem ut compleatur nostræ Redemptionis prætium, sed ut illud nobis applicetur.

Ad *sextum*: Oblationem satis indixit Christus per hæc verba: *Hoc facite &c.* scilicet quod Ego feci. Christum autem sacrificasse jam probatum est.

Ad *septimum*: Illatio hæc melior non est, quam ista: Unus est magister Deus; ergo nullus minister verbi potest docere Evangelium. Dicendum igitur est, causas subordinatas non tollere primam causam, & universalem, sed illam supponere. Cum igitur Christus habeat sempiternum Sacerdotium, nec illud per se exerceat, necesse fuit, ut haberet vicarios Sacerdotes, per quos sacrificaret, sicut habet vicarios pastores, & magistros, per quos ovibus, & discipulis suis de congruis pascuis, & doctrinis providet.

Ad *octavum*: Licet Christus in Missa actu & realiter non occidatur, sicut in Cruce; mystice tamen & moraliter mactatur, quatenus vi verborum Consecrationis, corpus separatur a Sanguine; fitque in hoc incruento Missæ Sacrificio mystica effusio Sanguinis *per gladium verborum*, ut inquit Sanctus Cyrillus. Et hinc S. Gaudentius, Tract. 2. in Exodum, Eucharistiam appellat *exemplar passionis Christi*.

Q. *Quanam sunt principales cæremoniæ Missæ, & a quo institutæ?*

R. Plures sunt, de quibus singulis breviter aliqua observanda sunt.

1. Est *Introitus*, sic dictus, quia canitur, dum sacerdos e sacristia ad altare procedit. Cœlestinus Papa jussit, ut introitus in principio Missæ caneretur, cum ante ipsum lectio una Apostoli, & Evangelium tantummodo legerentur ante sacrificium.

Antiquitus totus Psalmus cantabatur, at cum populus conquereretur de Missæ longitudine, Missa abbreviata fuit. Unde unicus modo Psalmi versiculus cum antiphona canitur.

Repræsentat Introitus reiteratas Sanctorum Patrum preces & suspiria pro adventu Messiæ; & ideo bis repetitur.

2. *Kirie eleison*, quod significat, *Domine miserere*; & hoc ordinatum fuit a Sancto Silvestro. Ter dicitur ad Patrem, ter ad Filium, ter ad Spiritum Sanctum. Antequam ergo Sacerdos incipiat orationem, petit a Deo misericordiam tam pro se, quam pro populo.

3. *Gloria in excelsis* &c. Hic hymnus, quantum ad primos versiculos ab Angelis editus fuit in Nativitate Domini Salvatoris. Sanctus Hilarius Episcopus Pictaviensis reliquum confecit. Telesphorus Papa, natione Græcus, ordinavit, ut in Missa caneretur. Symmachus autem postea statuit, ut diebus solum Dominicis, & festivis Sanctorum Martyrum recitaretur.

Tractu temporis varii super hoc præscripti sunt ritus, de quibus legendi Durandus, Guiet, Gavantus, aliique, qui de his fuse differunt.

Omittitur in Missis Defunctorum; Episcopus tamen Bethlehemitanus, ex abusu, ut inquit Durandus lib. 4. cap. 13. omni die, & in omni Missa, etiam pro Defunctis *Gloria in excelsis* decantat; eo quod hymnus ille, Luca testante, primo in Bethlehemitana regione fuerit decantatus.

4. *Epistola*, quæ cantatur in Missa ex traditione Apostolica. Quod si dicatur, Alexandrum Papam esse hujus rei auctorem, intelligi debet, ipsum decreto suo talem usum, qui jam invaluerat, confirmasse.

Dicitur in Missa Epistola, ut per eam, sicut per Evangelium, Deum nobis loquentem audiamus. Per epistolam enim, quæ ex Lege, Prophetis, & Apostolis desumpta est, Deus loquitur nobis in Prophetis, & Sanctis; per Evangelium autem nobis loquitur in Filio.

Diebus Dominicis Epistola est ex novo Testamento, quia dies Dominica Christi Resurrectioni consecrata est, & ut status gratiæ repræsentetur.

5. Graduale, quod est antiphona sic dicta, non quod caneretur super gradus Altaris, ut aliqui autumant, sed quia canebatur, quando Diaconus ascendebat gradus pulpiti, in quo Evangelium decantabatur, nimirum ne otiose transigeretur tempus illud, quod necessario interponendum erat inter Epistolam, & Evangelium, dum se Diaconus ad illud cantandum præparabat.

Graduale admittere diu recusarunt Hispani, quia in Concilio Toletano quarto prohibitum erat quidquam canere inter Epistolam & Evangelium.

Hæc antiphona ad pœnitentiam respicit: unde cantus asper est & gravis; significat enim non requiem remuneratorum, sed laborem operantium. Hinc est, quod tempore Paschali omittitur, quia Paschale tempus symbolum est Beatitudinis. Dicitur tamen in prima hebdomada propter eos, qui recenter baptizati sunt, ut sciant se ad laborem & pugnam vocatos, non ad requiem, & coronam.

6. *Evangelium*, quod bonum nuntium dicitur, repræsentat Christum docentem. Sacerdos lecturus Evangelium a cornu Epistolæ transit ad aliam partem

ad denotandum, quod repudiata a Judæis Christi doctrina, ejus prædicatio ad gentes translata sit, juxta præceptum Domini: Euntes docete omnes gentes.

Fideles assurgere debent, dum legitur, aut cantatur Evangelium, juxta decretum Anastasii Papæ, licet nonnulli velint sic fieri debere ex *traditione Apostolica*, quod etiam nos admittimus. Et hoc ob reverentiam Christi loquentis, & ad demonstrandum se promptos & paratos esse ad Evangelium executioni mandandum.

Signat se sacerdos ante lectionem Evangelii in fronte, in ore, in pectore, ac si dicat: Ego Christi Crucem non erubesco, sed corde credo quod ore prædico.

Similiter & adstantes fideles signant se in fronte, ut demonstrent se non erubescere Crucis mysterium: In ore, ut significent se velle Evangelium confiteri ad salutem: In pectore, ut designent se corde tenere, quod exterius profitentur.

7. Symbolum, quod conversionem gentium ad fidem, ad prædicationem Apostolorum denotat: *Fides enim ex auditu*. Romæ olim symbolum non recitabatur in Missa, ob istius Ecclesiæ firmitatem in fide, qua factum est, ut nunquam erroribus infecta fuerit. Benedictus tamen VIII. ad instantiam Henrici Imperatoris, illud etiam Romæ recitari præcepit.

Alta voce cantatur Symbolum in Missa, ad denotandum publicam esse debere Sanctæ Fidei prædicationem.

8. Offertorium est antiphona quædam, quæ olim cantabatur, dum populus panem & vinum pro sacrificio offerebat, ad imitationem Israelitarum, qui ut legitur in libris Paralipomenon: *cum offerrent holocausta, cœperunt laudes canere*.

Offertorii antiphonæ statutæ fuerunt a S. Gregorio, aut a Cælestino. Non dicitur Offertorium in Missa diei Sabbati Sancti, quia tunc, cum Christus nondum esset resuscitatus, nulla fiebat oblatio.

9. *Præfatio* est oratio illa quæ præcedit canonem, & est quasi præparatio ad sacrificium, estque antiquissima, de qua meminit Sanctus Cyprianus his verbis: *Ideo & Sacerdos ante orationem, præfatione præmissa, præparat fratrum mentes, dicendo: sursum corda*.

Auctorem præfationis aliqui faciunt Sanctum Dionysium; alii vero Sanctum Leonem Papam.

10. Canon, qui est pars illa Missæ, quæ incipit, *Te igitur*, & est quasi regula consecrationis, a qua nullus recedere debet. Canon a Sancto Dionysio *Actio* vocatur, quia ab eo principalis sacrificii actio habetur, & ideo orationes, quæ præcedunt consecrationem, intra Actionem dicuntur.

Vigilius Papa fatetur se recepisse Canonem ab Apostolica traditione. Idem affirmat Innocentius tertius scribens ad Archiepiscopum Lugdunensem, cap. cum Marthæ de celeb. Miss.

Usus nominandi Romanum Pontificem in Canone est antiquissimus; cum Sanctus Clemens lib. 8. Constitutionum Apostolicarum scribat, se hunc ritum observandum jussisse, seque, dum Missam celebraret, solitum fuisse dicere: *Adhuc obsecramus te pro me, qui nihil sum*. Hodie tamen, dum Papa celebrat, dicit: *Una mecum indigno famulo tuo*.

11. *Postcommunio* appellatur oratio illa, quam recitat Sacerdos post sumptionem Corporis, & Sanguinis Christi. Comprehendit hæc oratio non solum celebrantem, sed etiam eos omnes, qui Eucharistiam receperunt in Missa, ut colligitur ex verbis in numero plurali prolatis.

Unde ii Sacerdotes, qui communionem post Missam distribuunt, non operantur juxta ritum ab Ecclesia præscriptum, quia privant communicantes fru-

ctu spirituali præfatarum orationum, & rubricæ contraveniunt, quæ dicit: communio autem populi inter Missam statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, (nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda) cum orationes, quæ in Missa post communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent, Rituale Rom. de Euchar. Sacr.

12. *Ite Missa est*, quibus verbis finita Missa dimittebatur populus. Idem enim est, ac si dicatur: potestis exire; jam preces vestræ, & oblata ad Deum pervenerunt. Mos enim erat antiquitus dandi benedictionem post communionem, & non in fine Missæ prout nunc.

Ite Missa est solum dicebatur diebus festivis, cum supponebatur major concursus populi; diebus vero ferialibus dicebatur: *Benedicamus Domino*, quia ut plurimum non aderant nisi personæ religiosæ, quibus discedendi licentia non dabatur, cum ipsæ aliis divinis officiis interesse deberent. Nunc autem cum Officia & Missæ ut plurimum vel de misteriis occurrentibus, vel de Beata Virgine, vel de Sanctis celebrentur, fere semper dicitur *Ite Missa est*, & solum ommittitur in Dominicis & feriis occurrentibus ab Adventu usque ad Nativitatem Domini, & a Dominica Septuagesimæ usque ad Pascha, quando Officium & Missa vel de Dominica, vel de Feria dicuntur; Et hoc fit ad demonstrandam mæstitiam Ecclesiæ.

In prima Missa diei Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, quæ celebratur media nocte ommittebatur olim *Ite Missa est*, cum populus ad laudes Dei decantandas in Ecclesia remanere deberet; & revera in tali Missa deberet ommitti, ne videatur populus licentiam habere redeundi. Ita Jo. Beleth. cap. 4. Rat. Divin. Offic.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Q. QUid est Sacramentum Pœnitentiæ?

R. Est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis a Sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione divina, efficaciter significans absolutionem animæ a peccato.

Q. *Estne Pœnitentia verum Sacramentum?*

R. De fide est, Pœnitentiam verum esse Sacramentum; Et ita definitum est in Concilio Tridentino contra Lutheranos, & Calvinistas: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia, Pœnitentiam non esse vere, & proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.*

Sic etiam probatur: *Omne signum sensibile significativum, & effectivum gratiæ* est Sacramentum novæ legis proprie dictum; sed remissio peccatorum a Sacerdote pœnitenti verbis legitimis collata est signum sensibile significativum & effectivum gratiæ; ergo est Sacramentum. Hoc autem signum ex institutione Christi gratiam conferre, probant illa Salvatoris verba ad Sanctum Petrum: *Tibi dabo claves regni cœlorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*, Matth. 16. v. 19.

Tum & ad reliquos Apostolos: *quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*, Matth. 18. v. 16. Hanc eamdem potestatem iterum eisdem communicavit post suam Resurrectionem: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, Joan. 20. v. 23.

His

His verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit; & Novatianos potestatem remittendi peccata olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica, *tanquam hæreticos* explosit, atque damnavit.

Q. *Qua ratione Novatiani hæretici potestatem peccata remittendi Ecclesiæ adimebant?*

R. Ex duobus locis Epistolæ Pauli ad Hebræos, cap. 6. in quibus habetur, primo: *impossibile est eos, qui semel sunt illuminati.... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*, secundo: *voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia* &c.

Ex his textibus inferebant homines post baptismum in lethale aliquod peccatum lapsos, nullo Sacramento, aut Ecclesiæ ministerio Deo reconciliari posse.

Q. *Quomodo intelligendi sunt textus Scripturæ a Novatianis adducti?*

R. Prior textus intelligendus est, juxta Sanctos Patres, & Ecclesiæ interpretationem, de renovatione per alium Baptismum, qui vocatur *Pœnitentia*, ad differentiam multiplicis lavacri, quod erat in veteri lege.

Constat enim eis, qui semel baptismate Christi initiati sunt, criminumque veniam impetrarunt, *novum* aquæ *Baptismum* non superesse, cum Baptismus iterari non possit: adeoque plane fieri non posse, ut novam peccatorum expiationem obtineant adeo facilem, pronamque, uti prius, cum per Baptismum intra Christianæ Religionis adita admissi sunt.

Non excludit tamen per hoc Apostolus Baptismum lacrymarum ac Pœnitentiæ, quo commissa *post regenerationem* crimina expientur: ipse enim non semel alibi id commendat, virumque Corinthium, *incesti reum*, qui censura Ecclesiastica mulctari meruit, in Ecclesiam recepit.

Si vero sermo sit de Pœnitentia, dicendum illud *impossibile* idem sonare ac *difficile*. Nullum enim peccati genus est veniæ incapax: aliqua tamen sunt naturæ, & sanctitati Religionis Christianæ adeo opposita, ut Ecclesia plane desperare videatur de emendatione eorum, quibus nequitia tanta fuit, ut in baratrum adeo ingens prolaberentur. Idem responsum dari potest ad secundum textum: *voluntarie peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia*, idest quemadmodum Christus mori iterum non potest, ita & vos ablui *Baptismo*, mortis Christi *symbolo*, non potestis.

Non desunt qui dicant Apostolum loqui de peccato Apostasiæ, qua Religio Christiana prorsus abjicitur, quod indicant hæc verba, *post acceptam notitiam veritatis*. Apostasia siquidem tam grave peccatum est, ut sit quasi irreparabile; non quod vere pœnitenti non pateat locus veniæ per Sanguinem Christi, sed quia vix ad veram pervenit pęnitentiam, qui ex pura malitia sic peccat.

Q. *Quid de peccato in Spiritum Sanctum, quod Christus dicit irremissibile in hoc sæculo, & in futuro?* Matth. 12.

R. Eodem modo respondendum quo superius, quod nempe *multum difficile sit*, ut remittatur, non vero quod *absolute* per Pęnitentiæ Sacramentum remitti non possit.

Nec de omni peccato contra Spiritum Sanctum loquitur Christus, sed de blasphemia, qua manifesta Spiritus Sancti opera Dæmoni tribuuntur. Est enim hæc blasphemia atrocissima, inexcusabilis, & plene venia indigna, ita ut rei hujus peccati vix vere convertantur

ad

ad Deum, quia majorem gratiæ obicem opponunt, omnemque modum perveniendi ad remissionem a se ipsis auferunt. Quemadmodum igitur qui medicinam non admittit, nec cibum, insanabilem dicimus, non quod curari non possit, sed quia non vult: ita de blasphemo, qui resipiscere non vult, & a se abjicit Spiritum Sanctum, a quo solo absolvi, curari, & sanctificari poterat, dicitur *incurabilis*, & peccatum ejus *irremissibile*.

Cum tamen per hoc non claudat manus Deo, potest ipsius misereri, & eum ad se convertere, uti convertit S. Paulum, qui se blasphemum in Deum fuisse confitetur, 1. Tim. 1. v. 13.

Q. *Peccatum illud quod S. Joannes dicit esse ad mortem, & pro quo non intendit ut quis roget, nonne est irremissibile?* Joan. 5. v. 16.

R. Jam dictum est nullum peccatum esse tam grave, quod per Pœnitentiam deleri non possit. Peccatum quod Apostolus dicit *esse ad mortem*, illud est, in quo quis pertinaciter, & malitiose perseverat: talis peccator insuperabiles ferme Dei misericordiæ obices ponit; quamquam, *ut ostensum est*, nihil sit quod omnipotenti Salvatoris gratia superari nequeat: Attamen quia raro pertinacibus, & obstinatis, efficacem conversionis gratiam largitur Deus, peccata eorum dicuntur esse ad mortem.

Potest etiam per *peccatum ad mortem* intelligi Apostasiæ, desertionis, & infidelitatis crimen, aut aliud cum anathemate conjunctum, & æternis cruciatibus dignum. De simili loquitur Joannes cum ait: *Non pro illo dico ut roget quis*, quasi diceret, pro hujusmodi peccati remissione non sufficiunt vulgares unius, aut alterius hominis orationes, *sed universæ Ecclesiæ preces* quærendæ sunt, ut peccatoris hujus conversio impetretur. Opus est etiam, ut ille qui peccavit, assiduis precibus eleemosynas jejunium, & cetera pietatis opera adjiciat, quibus flectatur Dei misericordia. Non prohibet tamen absolute, ne pro hujusmodi peccati venia Deus ullo modo exoretur.

Q. *Christus, & Apostoli administraruntne Sacramentum Pœnitentiæ?*

R. Non legitur in Evangelio Christum hoc Sacramentum administrasse, quia ipse ex potestate divina qua pollebat, sine Sacramentis peccata remittebat, ut fecit Magdalenæ, & Paralytico. Quantum ad Apostolos, etsi pariter non habeatur clare & aperte illos Sacramentum Pœnitentiæ administrasse, quid mirum? cum peccatores ad Christum conversos necesse foret primum reconciliari per Baptismum? Et quid necesse fuit id scripto tradere, etiamsi quis post Baptismum lapsus in mortale, fuisset ab Apostolorum aliquo absolutus? quamquam & hoc factum esse circa incestuosum Corinthium, haud obscure insinuatur, 2. *Cor.* 2. v. 10.

Q. *Estne Confessio necessaria ad remissionem peccatorum?*

R. Confessio cum sit a Christo instituta, *jure divino* necessaria est iis omnibus, qui habent peccata mortalia. Est contra Lutheranos, & Calvinistas.

Quod autem a Christo instituta sit, de fide est: & probatur ex his textibus: *quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata & in cælo: & quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in cælo*, Matth. 18.

Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis retenta sunt, Jo. 20.

Q. *Quomodo ex his Scripturæ locis probatur necessitas Confessionis?*

R. Tali ratione. Si Christus Apostolis, & eorum successoribus, potestatem dedit remittendi & retinendi peccata, illos judices peccatorum effecit, ita ut sine ipsorum sententia nemo post Baptismum lapsus reconciliari possit: sed nequeunt Sacerdotes recte judicare, nisi peccata cognoscant; ergo jure divino tenen-

teneantur, qui post Baptismum lapsi sunt, peccata sua Sacerdotibus aperire, alioquin discernere non possent, an sint liganda, vel solvenda, remittenda, an retinenda.

Q. *Colligi ne potest hæc veritas ex aliis Scripturæ locis?*

R. Ita est; hanc veritatem ostendit S. Joannes in prima sua Epistola: *Si confiteamur*, inquit, *peccata nostra; fidelis est & justus* Deus, *ut remittat nobis peccata nostra*, cap. 1. v. 9. En quomodo remissionem peccatorum promittit, si ea confiteamur, nempe iis quibus ex parte Christi ea remittendi facultas concessa est.

Colligitur insuper hæc veritas ex Matthæo, ubi refertur quod multi Judæi recipientes Joannis Baptismum, confitebantur ei sua peccata, non in genere ut sic, sed distinctam faciebant ei expositionem: *Baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua*, Matth. 3. v. 6. Item *Baptizabantur ab eo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua*, Marci 1. v. 5. Id etiam clarius habetur in Actibus Apostolorum, ubi legitur: *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos*, Act. 19. v. 18.

Nec dicendum est, quod hic agatur solum de peccato in genere. Etenim quod ibi etiam de particularibus sermo sit, constat ex eo quod aliqui Paulo declararint se libros noxios legisse, quos ad ejus pedes attulerant, & qui in ignem projecti sunt: *Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus*, ibid. v. 19.

Et licet his in locis non eruatur absolute, & distincte Confessio Sacramentalis, dignoscitur tamen congruentia, praxis, & utilitas manifestationis propriarum culparum, etiam in particulari.

Q. *Quæ est sententia Conciliorum, & Patrum circa Confessionem Sacramentalem?*

R. Certe anathematizant quoscumque dicentes eam non esse necessariam, & a Christo institutam. *Si quis negaverit*, inquit, Concilium Tridentinum; *Confessionem Sacramentalem esse jure divino institutam, vel jure divino ad salutem necessariam: si quis etiam dixerit modum secrete confitendi soli Sacerdoti esse ab institutione, & mandato Christi alienum, aut esse inventum humanum, anathema sit.*

Sexta Synodus in Trullo can. 102. *Oportet*, inquit, *eos qui solvendi, & ligandi potestatem acceperunt, peccati qualitatem considerare, & ejus, qui peccavit, ad eam conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam*. Et Carthaginense tertium: *Ut pœnitentibus secundum peccatorum differentiam Sacerdotis, seu Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.*

Quomodo autem possent Sacerdotes congruas imponere peccatoribus satisfactiones, sine dedictorum cognitione? quomodo scient quæ peccata remittenda, aut retinenda sint, ni eis manifestentur? Ex hoc ergo quod Deus eis potestatem ligandi, & solvendi concesserit, voluit pariter, ut eis peccata notificarentur.

Sancti Patres doctrinæ Apostolicæ, & traditionis testes fidelissimi hanc agnoscunt traditam Sacerdotibus potestatem, & obligationem ipsis detegendi peccata.

Si revelaverimus, inquit Origenes, *peccata, non solum Deo, sed & iis qui possunt mederi vulneribus nostris, & peccatis, delebuntur ab eo, qui ait: ecce deleo ut nubem iniquitates tuas*, in Psal. 37. S. Basilius: *Necessario*, inquit, *iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei*, in respons. ad interrog. 288. Tandem antiquissimus Ecclesiæ usus demonstrat peccatorum Confessionem necessario esse faciendam Sacerdoti ex præcepto divino, quippe cum nihil admittat essentiale in Sacramentis, quod non acceperit a Christo.

Q.

Q. *Quid objiciunt hæretici contra Sacramentalem Confeſſionem?*

R. Allegant quoſdam Scripturæ textus, in quibus fideli contrito abſque Confeſſione promittitur remiſſio peccatorum: quod ſi Confeſſio exigeretur a Chriſtianis, illorum conditio, inquiunt ipſi, foret deterior, quam Judæorum in lege veteri.

Secundo dicunt, Nectarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum abrogaſſe Confeſſionem, ergo non eſt juris divini.

Tertio producunt locum S. Ambroſii lib. X. in Lucam dicentis, Petrum lacrymis expiaſſe ſuum peccatum, non Confeſſione: *invenio*, inquit, *quod fleverit; non invenio quid dixerit.*

Quarto. Chriſtus, inquiunt, abſque Confeſſione pœnitentes reconciliavit; ergo nec Apoſtoli, nec eorum ſucceſſores Sacerdotes eam exigere debent.

Q. *Quæ reſponſio danda eſt rationibus ab hæreticis adductis?*

R. Ad *primum*, dicendum, non ita abſolute Deum in veteri lege veniam promittere; ut ſolus dolor ſufficeret, cum velit, ut ſecundum ſtatutas ab eo leges pęnitentiam agant, oblationibus, ſacrificiis, purificationibus peccata expient, & judicium, & juſtitiam faciant; ita pariter & in novo Teſtamento non ſufficit contritio, ut quis abſolutam obtineat remiſſionem, ſed recurrendum eſt ad unum eorum quibus Chriſtus dixit: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis* &c. quibus verbis, ut ſupra dictum eſt, conſtat neceſſariam eſſe Confeſſionem in re, vel in voto.

Nec ſequitur noſtrum ſtatum deteriorem eſſe quam Judæorum, imo potior eſt; ſiquidem excuſſo per Chriſtum veterum Sacramentorum, ſacrificiorum, cœremoniarum, & obſervantiarum legalium jugo, *alia nobis Sacramenta data ſunt, virtute majora, effectu meliora, actu faciliora, numero pauciora*, ait S. Auguſtinus lib. 9. contra Fauſtum cap. 13.

Ad *ſecundum*, Nectarius abrogavit Confeſſionem publicam, quæ tunc ex mandato aut conſilio Sacerdotis nonnunquam fieri certis in locis conſueverat, etiam de occultis; & hoc occaſione nobilis cujuſdam mulieris, quæ ſe a Diacono vitiatam publice confeſſa erat, cujus Confeſſio magnum crearat in plebe ſcandalum. Sacramentalem vero Confeſſionem, quæ juris divini eſt nec abrogavit, nec abrogare poterat. Publicam autem fuiſſe mulieris Confeſſionem certo conſtat, quia non adeo Eccleſiam turbaſſet, ſi fuiſſet ſecreta; peccatum tamen ejus non fuiſſe publicum dignoſcitur ex hoc, quod magnam nimis tunc plebi chriſtianæ excitarit offenſionem.

Inde colligitur, quod confeſſio publica non erat ſolum pro peccatis publicis, verum etiam pro occultis. Male tamen ſe geſſit mulier declarando nominatim complicem ſui delicti.

Ad *tertium*, verum eſt quod Petrum pœnituerit, Chriſtum negaſſe, quodque veniam criminis fletu & dolore ſine Sacramentali Confeſſione conſecutus fuerit. Ratio vero in promptu eſt, quia necdum inſtitutum erat Pœnitentiæ Sacramentum, cujus pars eſſentialis eſt Confeſſio.

Ad *quartum*, magna eſt diſparitas inter Chriſtum, & Apoſtolos, & alios Sacerdotes. Chriſtus omnium hominum actus cognoſcebat, & ita poterat ſine prævia Confeſſione dimittere peccata. Apoſtoli autem, & ſacerdotes, cum ſint judices delegati, non poſſunt judicare an ſint remittenda, aut retinenda peccata, niſi ipſis declarentur. Deinde Chriſtus habebat ſupremam poteſtatem remittendi peccata, & ideo poterat delicta condonare abſque Confeſſione auriculari; Sacerdotes vero non habentes hanc ſupremam poteſtatem, non poſſunt peccata remittere, niſi prius audierint peccatorum accuſationem.

Q. *Quæ eſt utilitas Confeſſionis?*

R. Tanta est Confessionis Sacramentalis utilitas, ut etsi omnia alia deessent, divino consilio instituta videri possit: nam illustrat misericordiam, & justitiam Dei; pastores instruit ad morbos ovium suarum curandos, Ecclesiam, & Rempublicam emendat, & multiplicem utilitatem adfert confitenti, scilicet consilium, instructionem, consolationem, quietem animi ob præterita, remedium contra futura. Ille ipse rubor, quem inter confitendum patimur, & pars quædam est satisfactionis pro admissis, & est frænum cohibens pro futuro. Hæc omnia probis Catholicis ipso experimento notissima sunt.

DE SACRAMENTO

Extremæ Unctionis.

Q. QUid est Sacramentum Extremæ Unctionis?

R. Sic definitur a Scoto: est unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata a Sacerdote, simul verba cum debita intentione proferente, ex institutione divina efficaciter significans curationem finalem venialium.

Q. *Estne de fide Extremam Unctionem esse Sacramentum?*

R. Illam esse vere, & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, affirmat Ecclesia Catholica, contra quosdam antiquiores hæreticos, & modernos Lutheranos, & Calvinianos.

Sic definitum est pluribus in Conciliis, Florentino, Viennensi, Lateranensi, Moguntino, Aquisgranensi, Meldensi, & præcipue Tridentino sess. 14. ubi habetur: *Si quis dixerit Extremam Unctionem non esse vere, & proprie Sacramentum a Christo institutum, anathema sit.*

Conciliorum doctrinam confirmant Sancti Patres, quos videre licet apud Bellarminum, & alios Controversistas.

Q. *Cum hæretici se nihil velle de fide credere dicant, nisi quod in Scripturis continetur, potestne ex ipsis erui præfata veritas?*

R. Imo. Hujus Sacramenti veritas clarissime evincitur ex Epistola Sancti Jacobi Apostoli capite quinto: *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Ex quibus verbis constat in Extrema Unctione reperiri omnia, quæ verum conficiunt Sacramentum.

Primo siquidem est signum sensibile, quod ab Apostolo exprimitur per *oleum sanctum*, nempe, quo a Sacerdote ungendus est infirmus.

Secundo est signum efficax gratiæ, quod indicatur his verbis: *si in peccatis fuerit remittentur ei*. Tertio est a Deo institutum, quod illis ipsis verbis exprimitur. Neque enim ab alio nisi a Deo institutore potest illa gratia remissiva peccati promitti. Igitur *Extrema Unctio* cum habeat eas omnes conditiones ad Sacramentum requisitas, quas non modo nos Catholici, sed etiam quas Luthero-Calvinici exigunt, est vere, & proprie novæ legis Sacramentum.

Hoc argumento ita pressi, & convicti fuere Lutherani, ut Epistolam Jacobi de Scripturarum canone expunxerint.

Q. *Estne alius textus ex quo deduci possit Extremam Unctionem esse Sacramentum, Apostolosque illud administrasse?*

R. Nonnulli Theologi adducunt hunc textum Marci cap. 6. v. 12. & 13. ubi Evangelista loquens de missione Apostolorum, ait: *Exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent. Et dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos agros,*

ægros, *& sanabant*, cap. 6. v. 12. 13. An autem illa unctio Sacramentum sit unctionis a Jesu Christo institutum, non desunt qui id affirment; sed rationes oppositæ multo magis prævalent.

Primo, quia unctio illa ad corporis morbos spectabat: Unctio autem ab Ecclesia ægris admota ad morbos animi pertinet.

Secundo, quia eo tempore Apostoli necdum erant sacerdotes, cum ad Evangelium nunciandum, infirmosque curandos missi fuerunt. At Unctionis Sacramentum, a Sacerdotibus tantum modo conferendum est: *Inducat Presbyteros*, inquit Jacobus Apostolus.

Tertio, quia promiscue ungebant omnes ægrotos, ut cæcos, claudos &c. & probabiliter etiam non baptizatos, & quoscumque, qui id postulabant. At unctio, uti Sacramentum Ecclesiæ est, non nisi fidelibus Baptismo initiatis conceditur.

Melius igitur dicendum est cum Concilio Tridentino, unctionem illam ab Apostolis adhibitam non nisi figuram fuisse, ac typum illius, qua utitur Ecclesia, a Jesu Christo institutæ, atque a Jacobo fratre Domini commendatæ, ac promulgatæ: *apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum, & Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum*, Conc. Trid. sess. 14. cap. 1.

Q. *Quæ sunt rationes hæreticorum impugnantium hoc Sacramentum?*

R. Dicunt primo, nullum Evangelistam meminisse hujus Sacramenti.

Secundo Epistolam Jacobi non esse librum canonicum.

Tertio Unctionem de qua Jacobus, esse solum medicinalem, non sacramentalem.

Quarto illam non habere effectum infallibilem, cum non sanet omnes ægrotos.

Quinto virtutem hujus Unctionis pendere a fide ministri.

Sexto Unctionem nostram fieri ab uno Sacerdote, cum Jacobus plures exigat.

Q. *Quomodo evertendæ, & confutandæ sunt hæ rationes ab hæreticis adductæ?*

R. Ad *primum*, licet nulla expresse fiat mentio in Evangeliis, non inde sequitur Unctionem Extremam non esse Sacramentum, nec a Christo institutam. *Multa enim Dominus fecit, & dixit, quæ in Evangeliis non continentur*, inquit Joannes capite 20. Quæ tamen ore tenus Christus Ecclesiæ tradidit.

Ad *secundum*, Epistolam illam ab omni ævo receptam fuisse ab Ecclesia ut canonicam, ut patet ex Conciliis Laodiceno, Carthaginensi, Florentino, & Tridentino.

Ad *tertium*, Unctionem non simpliciter esse medicinalem, verum etiam sacramentalem inde patet, quod Jacobus loquatur aperte de salute animæ, & remissione peccatorum, mediante gratia quam causat in anima.

Ad *quartum*, promissionem absolutam non esse de sanitate corporali, sed de remissione peccatorum, & de augmento gratiæ, quam Deus animæ ægrotanti confert, ut tunc dæmoni fortiter tentanti resistere possit. Quantum vero ad sanitatem corporis, promissio non est absoluta, sed conditionata, si saluti animæ expediat.

Ad *quintum*, cum dicit Jacobus: *oratio fidei salvabit infirmum*, non loquitur de fide ministri, sed de fide Ecclesiæ in cujus nomine, & fide Sacramenta novæ legis administrantur; unde sicut in aliis Sacramentis necesse est quod minister habeat intentionem faciendi quod intendit Ecclesia, ita etiam in Extrema Unctione; quapropter si Sacerdos, dum baptizat, non intenderet facere quod facit Ecclesia, Baptismus esset nullus, quamvis crederet omnia mysteria fidei.

Ad

Ad *sextum* dicendum, pluralem numerum poni pro singulari, quod genus locutionis valde usitatum est in Scripturis.

Exemplum fit in Matthæo: *Idipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, Matth. 27. quod Sanctus Lucas ab uno tantum factum esse describit, cap. 23.

Q. *Qui sunt Extremæ Unctionis effectus?*

R. Sequentes assignantur.

Primus est remissio peccatorum, his verbis expressa: *et si in peccatis fuerit, remittentur ei*; quod intelligitur de levioribus, nam lethalia Sacramento Pœnitentiæ tolluntur.

Secundus est abstersio reliquiarum peccati, hoc est reatus pœnæ temporalis, nec non languoris & infirmitatis ex peccato relictæ.

Tertius est alleviatio animæ, ejusque confirmatio, ut morbi incommoda levius ferat, & adversariis salutis suæ fortius resistat.

Quartus est corporis sanitas, si ad animæ salutem profutura sit, & colligitur ex his verbis: *& oratio fidei salvabit infirmum.*

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Q. *Quid est Ordo?*

R. Ordo, de quo hic agitur, est Sacramentum quo confertur homini gratia, & potestas exercendi functiones sacras in Ecclesia. Scotus sic definit Ordinationem. Ordinatio, *inquit*, est institutio alicujus in gradu præeminente, cui convenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendum, facta a ministro idoneo certa verba proferente, & simul cum intentione debita ministerium gradus illius aliquo signo visibili repræsentans, ex institutione divina efficaciter significans gratiam præeminentem, qua ordinatus digne aliquod ministerium exequatur.

Q. *Estne Ordo vere, & proprie Sacramentum?*

R. Negant cum antiquis quibusdam hæreticis moderni Lutherani, & Calviniani, volentes Ordinis Sacramentum esse inventum ab Ecclesia Romana: cum nihil aliud sit, inquiunt, quam officium, seu vocatio ministrorum, qui ad Ecclesiæ gubernationem assumuntur.

Sed certum est, & de fide, Ordinem esse vere & proprie Sacramentum. Ita enim expresse definivit Ecclesia in pluribus Conciliis congregata, & præcipue in Tridentino sess. 23. can. 3. his verbis: Siquis dixerit *Ordinem non esse vere & proprie Sacramentum a Christo Domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema sit.*

Sic autem probari potest assertio nostra. Ad Sacramentum proprie dictum, tria requiruntur, signum *externum* seu sensibile, promissio *gratiæ*, & institutio *divina*: sed hæc omnia in Ordinatione reperiuntur, ergo est legitimum Sacramentum.

Primo igitur adest signum sensibile, scilicet manus impositio, vel certorum instrumentorum traditio & contactus, cum certis verbis ab Ordinante prolatis. De manuum impositione habetur, Actorum 6. & 13. & 14.

Secundo habetur mandatum, & institutio divina: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos*, Act. 13. v. 2. 3. Item: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, Act. 20. v. 28. Item: *Ipse dedit*

quosdam quidem Apostolos, alios Doctores, alios Pastores &c. Ephes. 4.

Tertio adest causalitas gratiæ. Etenim aperte testatur Paulus Timotheum alloquens: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii*, idest Episcoporum, qui te mecum inaugurarunt, 1. Tim. 4. Et iterum: *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum*, 2. Tim. 1.

Firmatur hæc veritas ex Apostolica traditione, & Patrum consensu. Unus sufficiat Augustinus, Lib. 2. contr. Epist. Parmeniani, ubi postquam Sacramentum Ordinationis cum Baptismo comparavit, ait: *Ideo non eis in populo manus imponitur, ne, non homini, sed ipsi* Sacramento *injuria fiat*.

Q. *Quæ sunt rationes oppositæ*?

R. Hæretici dicunt Ordinationem non posse esse Sacramentum, cum non sit ad sanctificationem suscipientis, sed ad sanctificationem, & ædificationem populorum, ut patet ex Epistola ad Ephesios, 4. v. 12. *Ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi*. Item de se, & Sacerdotibus loquens Apostolus, ait: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. 1. Corinth. 4.

Secundo, Christum ordinasse Apostolos sine ullo signo externo.

Tertio, nullam esse inter fideles distinctionem graduum, cum omnes sint æquales. *Quicumque Baptizati estis, Christum induistis: non est Judæus, nec Græcus; non est servus, neque liber; omnes vos estis unum in Christo*, Gal. 3.

Quarto, omnes Christianos esse Sacerdotes, *genus electum, regale sacerdotium*. Item Christum fecisse nos omnes *regnum, & sacerdotes Deo*.

Inde inferunt, ergo in Ecclesia Christi non est ordo præeminentiæ, nec dignitatis, & consequenter nec Ordinatio Sacramentalis.

Q. *Quid Hæreticis respondendum*?

R. Ad *primum* dicendum, quod finis extrinsecus Ordinis jam collati, *& in facto esse*, sit sanctificatio aliorum per Sacramenta conferenda, & ædificatio Ecclesiæ. Finis vero intrinsecus, seu collatio & receptio Ordinis Sacerdotalis sit ad sanctificationem suscipientis, qua idoneus & potens redditur ad ministranda digne aliis Sacramenta.

Deinde ostensum est Ordinem conferre gratiam, & Spiritum Sanctum non Ordinanti, sed *Ordinato*.

Ad *secundum*, licet Christus ut Deus, & ut habens potestatem excellentiæ absque signo externo instituisset Apostolos in Sacerdotes & Episcopos, non sequitur eum voluisse, ut pari modo Apostoli Sacerdotes crearent.

Ad *tertium*, si fideles dicantur æquales, illa æqualitas non est nisi respectu prædestinationis ad gratiam, & gloriam, in quibus Deus nullam conditionem aspicit, sed sola merita. Non vero respectu præeminentiæ, & dignitatis; alias esset magna confusio quæ non decet Ecclesiam, quæ est acies bene ordinata, in qua sunt præpositi, & subditi. *Omnes quidem unum corpus sumus in Christo*: at sicut *omnia unius corporis membra non eumdem actum habent*; ita neque in Ecclesia, Rom. 2.

Ad *quartum*, quantum ad Sacerdotium, loquitur de Sacerdotio mystico, & interno; quatenus quisque interna sacrificia, & oblationes facit Deo, non autem de externo, quod non spectat ad omnes.

DE

SACRAMENTO MATRIMONII.

Q. QUid *est Matrimonium*?

R. Matrimonium in genere ut sic est vinculum indissolubile inter marem, & fœminam, ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta ad procreandam prolem debite educandam.

Q. *Quid est contractus Matrimonialis*?

R. Est maris & fœminæ mutua translatio corporum suorum, pro usu perpetuo ad procreandam prolem debite educandam.

Q. *Quid est Sacramentum Matrimonii*?

R. Est expressio certorum verborum maris, & fœminæ ad se invicem, significantium traditionem mutuæ potestatis corporum ad prolem debite procreandam, ex institutione divina efficaciter significans gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad conjunctionem animarum gratiosam, ex Scoto *in 4. distinct.* 26.

Q. *Quomodo probari potest Matrimonium esse verum novæ legis Sacramentum*?

R. Hæretici Armeni qui insurrexerunt sub *Constantino III.* & *Theodoro Papa* circa annum Domini 640. negarunt Matrimonium esse a Christo institutum, & licet faterentur esse rem bonam licitam, & honestam, negabant tamen per illud aliquam conferri gratiam conjugatis. Idem censent adhuc hoc tempore Lutherani, & Calviniani, qui licet inter se in quibusdam aliis erroribus discrepent, in hoc tamen conveniunt omnes, cum omnes dicant Matrimonium non esse nisi merum contractum indissolubilem, excepta causa fornicationis, aut adulterii, minime vero Sacramentum Ecclesiæ. Contra quos sic procedendum est.

Matrimonium in lege nova inter fideles contractum esse vere & proprie Sacramentum, de fide est. Ita definitum est in Conciliis Lateranensi III. *tit. de Sponf. cap.* 10. Senonensi *tit. de Matrim. cap.* 10. Londinensi II. *cap.* 3. & multis aliis, quorum verba referre Catechismi brevitas non patitur. Sufficere deberet pro hæreticis convincendis Tridentini auctoritas, in cujus sessione 24. can. 1. legitur: *Si quis dixerit Matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem Sacramentis legis Evangelicæ a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

Adest etiam perpetua Ecclesiæ traditio, & communis consensus Patrum, inter quos clarissime, & constantissime Augustinus docet Matrimonium fidelium verum & proprium esse Sacramentum: *In civitate Dei nostri*, inquit, *in monte sancto ejus, hoc est in Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere*, Lib. de Fide, & operibus cap. 7. Et sic alii Patres communiter, ut Chrysostomus hom. 20. in Epist. ad Ephesios Ambrosius, Lib. 1. de Abraham cap. 7. aliique plures.

Deinde Matrimonio competunt omnes conditiones Sacramenti; est enim signum sensibile, & divinitus institutum, gratiam Dei efficaciter significat, & ordinatur ad salutem hominis viatoris. Quod autem gratiam conferat, ita declaravit Concilium Tridentinum sess. 24. his verbis: *Gratiam vero quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfector sua nobis passione promeruit &c.*

Q. *Matrimonium esse Sacramentum*

habeturne etiam in Sacra Scriptura?

R. Ut Hæreticis plenius satisfaciamus, qui nihil fidei extra sacros libros se velle admittere jactitant, testimonium clarissimum proferimus Apostoli Pauli scribentis ad Ephesios capite quinto, ubi Sacramenti nomen expresse tribuit Matrimonio: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Sacramentum hoc magnum est: *ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Si igitur Matrimonium est signum unionis Christi cum Ecclesia, & hæc unio non fit nisi mediante sua gratia, dicendum pariter erit Matrimonium fidelium esse signum visibile, quod conjugatis eam gratiam conferat, quæ ad vitam sancte traducendam necessaria est.

Nec dicere valet Apostolum vocare *magnum Sacramentum* conjunctionem Christi cum Ecclesia, non vero conjunctionem maris, & fœminæ; hoc enim falsum est, quia pronomen *hoc* non debet referri ad id quod sequitur, id est ad Christum, & ad Ecclesiam, sed solum ad id quod præcesserat de humano conjugio, de quo præcipue agebat Apostolus eo loci. Nihil autem præcesserat de conjunctione Christi cum Ecclesia, sed tantum de conjunctione maritali viri ac mulieris; dixerat enim: *Propter hoc*, scilicet propter hoc quod dixi de viro, & muliere, *relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori; & erunt duo in carne una.* Et statim post hæc subdit: *Sacramentum hoc*, idest conjunctio viri cum uxore, *magnum* est. Ergo id quod vocat *Sacramentum*, non est conjunctio Christi cum Ecclesia, nec Ecclesia juncta Christo, nec utrumque extremum simul, sed adhæsio viri cum uxore, quam vult esse *Sacramentum magnum*, virtute Christi Ecclesiæ sponsi. Hanc esse eorum verborum veram & propriam sententiam, Sancti Patres qui eum locum interpretati sunt, ostendunt.

Q. *Quibus motivis hoc Sacramentum impugnant hæretici?*

R. Breviter hic exponam.

Primo dicunt nusquam legi, aliquid gratiæ Dei accepturum quisquis uxorem duxerit.

Secundo, Matrimonium fuisse ab initio mundi, etiam inter infideles, & sic non posse esse Sacramentum.

Tertio, si Matrimonium esset Sacramentum, Sacerdotibus non interdictum foret.

Quarto dicunt, non baptizatum non esse capacem aliorum Sacramentorum; & tamen cum sit capax Matrimonii, signum est Matrimonium non esse Sacramentum.

Quinto, si Matrimonium foret Sacramentum, & conferret gratiam, melius esset nubere, quam servare virginitatem, aut facere votum castitatis, quod nihil tale producit.

Sexto si Matrimonium esset res sacra, contrahentes committerent Simoniam, cum paciscantur pro dote.

Q. *Quomodo dissolvenda sunt relata hæreticorum argumenta?*

R. Ad *primum*, dicendum oppositum haberi in scriptura, ut in probationibus monstratum est, juxta Patrum, & Conciliorum interpretationem; & quamvis id nusquam in Scripturis legeretur, argumentum negativum nihil concluderet; sufficeretque nobis id scire ex traditione; nam, inquit Tridentinum sess. 24. *Merito inter Sacramenta novæ legis annumerandum* Matrimonium *Sancti Patres, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.*

Ad *secundum*, fuisse semper Matrimonium in ratione contractus naturalis, & civilis, sed elevatum postea a Christo ad dignitatem Sacramenti.

Ad *tertium*, non arceantur Sacerdotes a Matrimonio propter Sacramentum, sed

sed propter effectus morales, & debita, quæ illud vinculum consequuntur, nec ullatenus congruunt statui Sacerdotali.

Ad *quartum*, Infideles capaces esse Matrimonii nullus dubitat, non tamen Matrimonii, ut Sacramentum est. Etenim legitimi Matrimonii ratio non exigit rationem Sacramenti, quæ ex sola Christi institutione contractui fidelium annectitur.

Ad *quintum*, si Matrimonium consideretur ut est Sacramentum causans gratiam ex opere operato, est perfectius virginitate, & cœlibatu, cum virginitas gratiam non conferat: si vero consideretur Matrimonium ut est status conjugalis, certum est statum continentiæ altiorem esse Matrimonio, & majoris gratiæ & meriti existere: *qui enim nubit, benefacit, qui non nubit, melius facit*, 1. Corinth. 7. Sacramentum tamen semper auget gratiam, in quocumque statu suscipiatur; sed si idem continens propter Deum, nuptias contempsisset, plus gratiæ apud Deum invenisset, quam sit illa, quæ per Sacramentum Matrimonii datur, non ex opere operato, sed ex opere operantis, ut ex promissione Dei.

Ad *sextum*, nullum fit pactum in contrahendo Matrimonio sub ratione Sacramenti, sed solum ut est contractus civilis, & quoad ea quæ in eo sunt pure temporalia.

De dote quidem paciscuntur contrahentes propter onera pure temporalia, & sine respectu ad Sacramentum; sicut paciscuntur homines de prætio calicis etiam consecrati, quoad valorem argenti, vel auri, & quoad laborem opificis, sine respectu ad consecrationem.

Q. *Suntne sacrilegi, qui violant jura hujus Sacramenti?*

R. Adulteri, qui ad aliam accedunt, non servant quidem fidem uxori datam, nullum tamen committunt sacrilegium; sed solum violant jura Matrimonii, ut est contractus conjugalis, & civilis; Matrimonium vero ut est Sacramentum manet illæsum.

Q. *Qui sunt effectus gratiæ matrimonialis?*

R. Multiplices. Per hanc gratiam fit, ut vir & uxor mutuæ charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienosque & illicitos amores, & concubitus non quærat, sed in omnibus sit honorabile connubium, & thorus immaculatus.

Per hanc gratiam fit, ut Matrimonium, quod in remedium concupiscentiæ institutum est, ipsam refrænet, atque coerceat. Nisi enim Matrimonio gratia conferretur, concupiscentiam potius augeret, quam moderaretur matrimonii usus.

Per hanc gratiam fit, ut Christiani conjuges quærant prolem, non tantum quæ nascatur mundo, sed quæ renascatur, & consecretur Christo.

Per hanc gratiam fit, ut Christiani conjuges inviolatam, ac individuam fidem sibi mutuo servent. Quis enim vir quantumvis impius vult adulteram uxorem? aut quæ mulier, quamlibet impia, vult adulterum virum?

Per hanc gratiam fit, ut parentes prolem enutriant, & instituant *in disciplina, & correptione Domini*, ut monet Apostolus ad Ephesios 6.

Per hanc gratiam fit, ut Christiani conjuges onera, & incommoda Matrimonii ferant, quæ Apostolus his verbis significavit: *Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*, 1. Corinth. 7. v. 28.

Quam tribulationem experiuntur conjugati in suspicionibus zeli conjugalis, in procreandis filiis, atque nutriendis, in timoribus, & mœroribus orbitatis. Quanta matris in prolis gestatione pericula, & fastidia, in partu dolores, in nutritione tædia? Quantæ patris in educatione sollicitudines, & anxietates? Adjungamus indissolubilis adhæsionis necessitatem, mutuam servitutem, fa-

miliæ officia, infirmitates, vitia, rixas, quæ frequenter suboriuntur, & multa alia incommoda, quæ vix enumerari possunt. Hæc omnia *sine gratia* tolerari non possunt. Hinc minime dubitandum est, quin gratia singularis Matrimonii Sacramento conferatur.

Per hanc gratiam fit, ut vir diligat uxorem, sicut Christus Ecclesiam; & ut mulier hilariter subdita adhæreat viro suo, sicut Ecclesia Christo.

Per hanc denique gratiam fit, ut spe prolis amissa, perpetuo, & concorditer conjuncti ad mortem usque permaneant; utque Christianus conjux etiam malum conjugem ferat, ut eum Christo lucrifaciat, & sanctificet.

Vim porro gratiæ operatricem Christus Matrimonio contulit, cum illud ad Sacramenti dignitatem evexit, his verbis: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*, Matth. 19. Et ad hujus rei significationem nuptiis benedixit, quas primo miraculorum suorum illustravit.

Et hæc sufficiant de Sacramentis. Qui plura vult, legat Theologos Scholasticos, Morales, & Controversistas.

DE HORIS CANONICIS

In Ecclesia Romana recitari solitis.

Q. QUid *sunt horæ Canonicæ*?

R. Horæ Canonicæ sunt quædam preces, quæ ad Deum laudandum statis horis, sive publice in Officio, sive privatim persolvuntur, vel decantantur, juxta ritum a sacris Canonibus præscriptum.

Itaque quod definitis horis nocturnis, diurnisque recitentur, *Horarum* nomen obtinuerunt. Et quia juxta Sacrorum Canonum præscripta ordinantur, *Canonicæ* appellantur.

Concilium Agathense cap. 3. expresse habet: *Et quia convenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, ut ubique sicut fit, post antiphonas, collectiones per ordinem ab Episcopis, vel Presbyteris dici, & hymnos vel matutinos, vel vespertinos diebus omnibus decantari, &c.*

Idem habetur *in cap. 1. de Missæ celebratione*, & in Concilio Gerundensi Can. 10. & in Canone *Presbyter* dist. 91. circa finem: *Septies in die laudem dixi tibi, quia septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriique tempore, nostræ servitutis officia persolvamus.*

Q. *Quot sunt Horæ Canonicæ*?

R. Septem numerantur superius relatæ, quamvis antiquitus in octo essent partitæ; qui ritus adhuc servatur in nocte Natalis Domini, in qua Laudes a Matutino separantur. Modo Matutinum cum laudibus extra præfatum diem Horam unam componit, & sequuntur Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium.

Q. *Quo tempore diei præfatæ Horæ dici debent*?

R. A principio institutum fuit, ut *Matutinum & Laudes* recitarentur media nocte, *Prima* orto sole, *Tertia* circa horam diei nonam, *Sexta* circa duodecimam, idest circa meridiem, *Nona* circa horam tertiam pomeridianam, *Vesperæ* inclinante jam die, *Completorium* vero sub initium noctis.

Nunc autem diversarum Ecclesiarum diversæ sunt consuetudines, quæ sunt servandæ saltem quoad Chorum, seu publicam divini Officii recitationem. Qui vero privatim Horas recitat, non tenetur *sub mortali* servare statuta illa tempora; peccatum tamen veniale committeret, si sine causa Matutinum, vel Primam diceret post meridiem, vel mane Vesperas, & Completorium.

Quæ est istarum Horarum origo

R. Non

R. Non est certe inventum novum Ecclesiæ Romanæ orare statutis horis, ut proclamant hæretici; cum fundamentum satis clarum habeatur in sacris litteris, in quibus reperimus Horas illas, in quibus divinum Officium hoc persolvitur, ad celebrandas Dei laudes deputatas fuisse, observatasque a viris sanctis utriusque legis.

Ita David in Psalmis: *Vespere, mane, & meridie orabo, & annunciabo laudem tuam*. Item Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*. Ubi septenaria hæc deprecatio insinuatur.

Deinde idem Propheta Regius hæc habet: *In matutinis meditabor in te*. Et: *media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Orabat ergo nocte; & non solum orabat, sed & alios ad tunc orandum hortabatur, dicens: *In noctibus extollite manus vestras in Sancta, & benedicite Dominum*, Psal. 113.

Daniel Propheta in captivitate detentus *statutis horis ascendebat ad superiora domus, ut oraret*.

Davidis & Danielis exemplum secuti sunt Apostoli, ut patet ex actis ipsorum, ubi legimus cap. 3. quod *Petrus & Joannes ascenderunt ad templum ad horam orationis nonam*. Item quod Paulus & Silas *media nocte adorantes laudabant Dominum*, cap. 6. Item cap. 10. narratur *Petrum ascendisse, ut oraret, circa horam sextam*.

Ex his manifestum est Judæos in veteri, & Apostolos in lege nova statutis horis Deum orasse, & laudes ejus decantasse.

Judæi has horas determinatas habebant, in quibus ad templum conveniebant, nempe tertiam, sextam & nonam. Horam tertiam, quia tunc data est Lex in Sina. Sextam quia tunc erectus fuit serpens æneus in deserto. Nonam, quia tunc petra dedit aquas in Cades.

Christiani vero plura tempora orationi destinata habent; quia multo plura sunt mysteria, & beneficia, quibus Deo obstringuntur, ut jam videbimus.

Q. *Quid septem horariæ istæ preces repræsentant?*

R. Septem mysteria Redemptionis nostræ. Media nocte Christus natus est ex Virgine Matre. Hora prima, seu mane surrexit a mortuis. Hora tertia Spiritus Sanctus descendit super discipulos Christi. Hora sexta ipse Christus crucifixus fuit. Hora nona mortuus est. Vespere cum discipulis suis cœnavit, illisque suam sacratissimam carnem dedit ad manducandum. Completorii hora, quæ est prima noctis vigilia, in hortum secessit solus orare.

Alii alia septem hisce horis annectunt mysteria, sequentibus versibus expressa.

> *Hæc sunt, septenas propter quas psallimus horas.*
> *Matutina ligat Christum, qui crimina solvit.*
> *Prima replet sputis, dat causam tertia mortis.*
> *Sexta Cruci nectit, latus ejus nona bipartit.*

Quæ mysteria sic explicantur.

Matutina ligat Christum &c. Christus Dominus cum post cœnam cum discipulis factam secessisset in hortum Gethsamani oraturus Patrem, ibi a Juda osculo traditus est, & a militibus comprehensus & funibus vinctus: *Cohors ergo, & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum*, Joan. cap. 18.

Prima replet sputis. Dominus noster Jesus Christus cum stetisset ante Judicem, qui eum reum mortis adjudicarat; a ministris colaphis, sputis, & verberibus impetitus est: *Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt*, Matth. 26.

Causam dat tertia mortis. Tunc a Pilato contra omne jus, & propriam conscientiam neci addictus est.

Sexta Cruci nectit. Tali enim hora

Crucis patibulum ascendit, & medius inter duos infames latrones crucifixus est, morteque sua opus nostræ redemptionis implevit.

Latus ejus nona bipartit. Christo enim mortuo, unus militum adstantium latus ejus lancea aperuit.

Vespera deponit. Josephus ab Arimathæa, homo dives, cum a Pilato corpus Jesu obtinuisset, illico de Cruce illud sustulit.

Tumulo completa reponit. Tandem idem Josephus involuto corpore Jesu in sindone munda, illud posuit in monumento in petra exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Plures aliæ adducuntur significationes harum septem Horarum, quas videre licet apud diversos Auctores. Pro nunc dicta sufficiant.

Q. A quo fuerunt instituta?

R. Institutas fuisse initio nascentis Ecclesiæ ab ipsis Apostolis, traditione tenetur. Certum est enim, eorum temporibus Clericos statutis horis nocturnis, diurnisque convenisse in Ecclesiam, ut Deo psalmos, & laudes decantarent. Hoc patet *ex Clem. lib.* 8. *Const. Apost. cap.* 30. ubi tale extat preceptum. *Precationes facite mane, tertia, sexta, & nona, & vespere usque ad galli cantum.*

Verum Geminianus id clarius exprimit, Lib. 2. cap. 57. *Septem Horas Canonicas*, inquit, *in die quasi ex debito canimus... Formam autem habemus ab Apostolis, & aliis Sanctis, ut septies in die Creatorem nostrum laudemus.*

Errant igitur Polidorus Virgilius, & alii, dum illas Horas attribuunt *Pelagio primo Pontifici*, qui Ecclesiam regebat circa annum 556. quia jam longe ante ipsum recitabantur, ut apertissime colligitur ex scriptis SS. Clementis, Basilii, & aliorum Patrum.

Nec obstat Canon *Eleutherius*, dist. 90. quia ibi agitur de Vigiliis, quarum observantia a præfatis Pontificibus denuo forte præscripta fuit. Vel si de Horis Canonicis sermo sit, dicendum recitationem earum fuisse tunc lege præceptam.

Q. Quinam ad recitationem harum Horarum obligantur.

R. Ecclesia ad Horas Canonicas quotidie recitandas adstringit omnes Clericos in Sacris constitutos, omnes Religiosos professos ad Chorum destinatos, etiam antequam Sacris Ordinibus initientur; & omnes etiam qui Beneficium Ecclesiasticum obtinent, etiamsi nullo Ordine Sacro sint insigniti, ut constat ex Canone, *Qui per ambitiosam*, De rescriptis in 6. & ex Canone, *Dolentes*, de Celeb. Miss. ubi legitur: *Destricte præcipimus, in virtute sanctæ obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum quantum eis Dominus dederit, studiose pariter celebrent, & devote.*

Q. Potuitne Ecclesia talem imponere obligationem?

R. Negarunt olim *Psalliani* circa annum 368. existimantes semper orandum esse, nec posse quemquam ab oratione deficere, & consequenter orationem restringi non posse ad septem Horas.

VValdenses, seu *Pauperes de Lugduno*, quibus adhæsit *VVicleffus*, admittebant quidem bonum esse orare; malum autem hominem obligare ad orandum certo, & determinato tempore, quia hoc repugnat libertati Christianæ, cum oratio ex se ita libera esse debeat cuilibet, ut oret cum voluerit.

Martinum Lutherum insignem Hæresiarcham ejusdem opinionis extitisse referunt plures Auctores. Dicunt ipsum, non quidem prohibuisse Officii Divini recitationem; sed solum modum, & tempus: voluit enim tantum Ritum Romanum, nec non consuetudinem comprecandi statuto tempore abolere, & alium instituere.

Jam ad quæsitum dico, quod Eccle-

sia potuit talem legem condere, potestate accepta ab ipso Christo. *Amen dico vobis, quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cœlis*, Matth. 18. Ligare autem est legem imponere. Igitur Christus dedit Apostolis suis, & Ecclesiæ Prælatis potestatem condendi leges. Quod & confirmat Paulus ad Romanos scribens: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, cap. 13.

Item: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*, Hebr. cap. ult. Item: *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur*, 2. Thessal. cap. 3. Quod sane non dixisset, nisi habuisset potestatem præcipiendi, & puniendi eos, qui mandatis Apostolicis obtemperare recusant.

Cum igitur non minor sit nunc potestas in Prælatis Ecclesiæ, quam fuerit tempore Apostolorum; nullus est, qui non teneatur ipsis obedire.

Q. *Quid respondendum præfatis hæreticis?*

R. Dicendum quod quando Scriptura dixit: *Non impediaris orare semper*, Eccl. 18. Item: *Oportet semper orare, & non deficere*, Luc. 18. Item: *Vigilate, omni tempore orantes*, Luc. 21. non sequitur quod homo nihil aliud agendum habeat, quam semper, & continuo orare: hoc enim impossibile est; cum debeat homo aliquo tempore comedere, dormire, laborare juxta Apostolum: *Qui non vult operari, nec manducet*, 2. Thessal. 2. v. 10.

Unde verba illa intelligenda sunt de *assiduitate orandi* quantum licuerit, tempore scilicet destinato sive ab Ecclesia, sive a propria devotione, ut certa & statuta tempora nullo tempore intermittantur.

Illud igitur adverbium *semper* hic idem est quod *sedulo*, *perseveranter*, *diligenter*, *assidue*, quantum per alia negotia licet, congruis nempe temporibus. Sic vulgo dicitur de valde studioso: hic *juvenis semper studet*, id est, frequenter & diligenter studet. Ita Beda, qui & mystice addidit: *Semper orat, qui semper secundum Deum operatur*. Et Glossa: *semper orat, qui semper bene agit*.

Q. *Numquid repugnat libertati Christianæ, præfigere Christiano certas horas ad orandum?*

R. Minime. Libertas enim Christiana non consistit in hoc quod Christianus debeat vivere sine lege, & quod nulla lex ipsi imponi possit; alioquin eidem libertati Christianæ repugnarent jejunium, confessio annualis, celebratio festorum &c. sed in hoc stat, quod non solum per Baptismum liberemur a servitute diaboli, cujus eramus servi; verum etiam a jugo servitutis legis Mosaicæ. Unde libertas illa, qua, ex Apostolo, Christus nos liberavit, non eximit nos ab omni lege humana, cum teneamur *obedire præpositis nostris, etiam discolis*, & haberi debeat *ut Ethnicus*, qui Ecclesiam non audit.

Nihil justius quam orare Deum: injustum certe esse non potest quod Ecclesia præscribat tempus, & methodum orandi omnibus Ecclesiasticis, & ad Horas recitandas obliget eos qui serviunt ei.

Q. *Quid mysterii inest in septenario numero?*

R. Septenarius numerus tam apud Gentiles, quam Hebræos, imo & apud Sanctos Patres plenus mysteriis habitus fuit, ut advertit *Innocentius III.* in procemio super septem psalmos. Quinimo Deus ipse multoties mysteria abscondita in septenario numero patefecit in utraque lege.

Ex

Ex Veteri Testamento.

Septimo die post mundi creationem cessavit Deus ab omni opere. Elapsis *septem* hebdomadibus ab exitu populi Israelitici ex Ægypto, Legem Moysi dedit, Festum Pentecostes in ejus rei memoriam instituens. In mense *septimo* generalis absolutio populo concedebatur. Anno *septimo* præceptum erat, ut terra quiesceret, & non laboraretur, nec seminaretur. Post *septem* hebdomadas annorum Jubilæum celebrabatur. Præcepit Deus, ut in Arcam Noe intromitterentur *septem* paria animalium mundorum. Sacerdos magnus tempore remissionis *septies* populum vituli sanguine aspergebat. Noe per *septem* dies columbæ reditum expectavit, & ipsa regressa, tot diebus in Arca remansit, antequam ab ea egrederetur. *Septem* columnas erexit Sapientia. Sacerdotes, civitatem Hierico *septies* circumdederunt cum *septem* tubis, ut muros ejus everterent. *Septem* buccinis publicabatur Jubilæum. Propheta Elisæus jussit Naamano, *ut septies* in Jordane se lavaret, si vellet a lepra pessima sanitatem recuperare &c.

Ex Novo Testamento.

Nec in ipso, seu lege nova desunt mysteria in numero septenario, cum *septem* sint petitiones in Oratione Dominicali, *septem* Sacramenta, *septem* dona Spiritus Sancti, *septem* panes distributi in quatuor millia hominum, *septem* sportæ ex *septem* panum fragmentis repletæ, *septem* Diaconi ab Apostolis electi. Sanct. etiam Joann: in mysteriosissima sua Apocalipsi, *septem* candelabra vidit, *septem* sigillos, *septem* stellas, *septem* lampades, *septem* cornua, *septem* oculos, *septem* Angelos stantes ante tronum Dei, *septemque* Ecclesias in Asia jam ab eo fundatas &c.

Omitto alia Sacræ Scripturæ loca, in quibus commendatur septenarius numerus.

Quid ulterius dicere poterimus? In ipsis etiam animalibus certa quodammodo reperitur notitia sacrati hujus *septenarii* numeri. *Apes* ex naturali instinctu *septies* in die aliquali murmure laudant Creatorem: *Thom. Cantiprat. lib.* 2. *Mirac. cap.* 4. Ipsæ etiam *Alaudes*, in altum *septies* in die volantes supremum Monarcham *toties* cantu suo, laudibus, celebrant. *Georg. Becan. lib.* 8. *Hierogl.*

Quinimo Natura ipsa omni septennio quamdam mutationem in corpus humanum inducit, qui septenarius annus *Climatericus* proinde vocatur. Hominis vita ad *septuaginta* annos ordinarie, & non ultra, nisi in Potentatibus, protrahitur. Mundi duratio ad *septem* ætates restringitur, &c. Ex his, & aliis omissis, quam *singularis sit septenarius numerus*, dignoscitur.

Quæ peccata committantur in recitatione, & omissione Horarum, vide apud Canonistas, & Moralistas.

Q. *Dixisti annum septimum esse* Climatericum. *Quæro quid significet hoc verbum Climatericus?*

R. Dicam. Climatericus prope idem est, quod *Scalaris*, est enim veluti scala septem graduum, ad cujus summitatem gradatim omni anno ascenditur. Cum quis septimum annum attigit, dicitur esse in anno Climaterico.

Sed notabiliter dicitur de anno vitæ sexagesimo tertio, & octogesimo primo, & nonnullis aliis, quia fiunt tanquam scalis quibusdam numerorum. Sexagesimus tertius fit ex septies tribus, ter multiplicatis. Sic octogesimus primus ex novem novies, qui anni sunt periculosi, ut raro illos prætereant mortales, aut absque morte, aut ægritudine.

Q. *Cur Liber continens Horas Canonicas, seu Officium divinum*, Breviarium *dicitur?*

R. Sic vocatur ex eo quod sit breve compendium Sacræ Scripturæ, sermonum, homiliarumque Sanctorum Patrum. Potest etiam dici nominatum fuisse *Breviarium* sequenti de causa. Tempore quo summi Pontifices *Lateranense palatium* inhabitabant, de more erat recitare in proprio sacello Pontificio *longe brevius Officium* illo, quod in aliis Urbis Romæ Ecclesiis celebrabatur. Officium autem istud parvum, seu concisum, *Officium Capellare* vocabatur. Fratres Minores, seu *Franciscani*, ut se conformarent usui in Sacello Papali jam inducto, idem Officium abbreviatum adoptarunt, juxta mentem Seraphici Patris Francisci, eorum Patriarchæ, qui in Regula sua, hæc verba inseruerat: *Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, excepto Psalterio*, quod forte præteritis temporibus totaliter percurrebatur, *ex quo habere poterunt Breviaria* cap. 3. Ab eo tempore Officium illud Lateranensis sacelli, ita ab Innocentio III. restrictum, & a prælaudatis nostris Franciscanis receptum, & ad usum redactum, *Breviarium* nuncupatum est.

Postea cum *Nicolaus Tertius* Palatium *Vaticanum* ædificasset, & illud incolere cœpisset, statuit ut in singulis *Urbis Romæ* Ecclesiis Officium abbreviatum, in sacello Lateranensi recitari solitum ab omnibus recitaretur.

Frater *Haimo*, Anglus, totius Ordinis nostri Generalis Minister Officium istud prius correxerat, rubricis auxerat, & adornarat, ut exprimitur in icone sua, quæ in Generalium Genealogia quarta est, imo ad meliorem ordinem, & gratiorem concentum reduxerat, insertis plurium Sanctorum festis.

Conquesti sunt autem quamplurimi, quod, tractu temporis Breviarium istud ad omnes quasi totius Orbis Ecclesias pertransierit. Ratio erat, quod admissis in Breviario tot Festis, totidem Feriæ detrahebantur.

Neque Ecclesia Ambrosiana, neque Ecclesia Græca Sanctorum festa celebrant publico officio tempore Quadragesimæ, ne omittantur Feriæ privilegiatæ.

Tandem Breviarium Romanum reformatum, & correctum fuit, a Concilio Tridentino, & a variis Summis Pontificibus. In dies etiam augetur ad majorem Dei gloriam, & Sanctorum ejus honorem, ita ut *Breviarium* quasi amplius censeri nequeat; erit tamen semper tale, cum non nisi Dei Optimi laudes, & Sanctorum encomia *brevi sermone* complectatur.

DE
JEJUNIO ECCLESIASTICO.

Q. QUid *est jejunium Ecclesiasticum?*

R. Est abstinentia ciborum juxta regulam ab Ecclesia præscriptam, quæ habet, ut sit tantum unica refectio in die.

Duplex est: Unum consistens non solum in privatione carnium, ovorum, & lacticiniorum, verum etiam in unica refectione in die ad occasum solis sumenda. Hoc erat *jejunium quadragesimale*.

Aliud consistebat in eadem abstinentia, sed solvebatur post Nonam: & hoc comprehendebat omnia alia jejunia, quæ servabantur extra Quadragesimam.

Theologi distinguunt insuper jejunium in *spirituale*, *morale*, & *naturale*. Primum quod *spirituale* dicitur, est quo a vitiis abstinetur, dictum ab Augustino *jejunium Magnum*. *Morale* est parsimonia cibi & potus, quam etiam,

duce

duce natura Phylosophi approbarunt. *Naturale* est abstinentia ab omni prorsus cibo, & potu quavis ratione ad stomachum transmisso; quod jejunium præcipitur sumpturis Corpus Dominicum, idque Spiritus Sancti instinctu, ut credere par est.

Q. Estne jejunium res bona, & meritoria?

R. Cum jejunium sit actus virtutis temperantiæ, nullum subesse potest dubium quin sit bonum & meritorium: de ipso enim canit Ecclesia in Præfatione, quod *vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & proœmia.*

In Sacris Scripturis plurimum etiam commendatur: *Bona est oratio cum jejunio & eleemosina*, Tob. 12. *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si permanseritis in jejuniis, & orationibus in conspectu Domini*, Judith. 4. *Sanctificate jejunium, vocate cœtum*, Joel. 2. *Convertimi ad me, in toto corde vestro, in jejuniis, planctu, & fletu* cap. 8.

Christus interrogatus a suis discipulis, quare non potuerint ejicere spiritum immundum ex pueri corpore; respondit: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi in jejunio, & oratione.* Si ergo jejunio virtus eiiciendi dæmones tribuitur, jejunium debet esse maxime meritorium. Et alio in loco ait: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Matth. 6.

Porro si prœmium a Deo jejunantibus promittitur, quis neget jejunium esse rem bonam & meritoriam?

Q. Quid censent Ecclesiæ Patres de jejunio?

R. Certe virtutem ipsius summopere extollunt. *Jejunium*, inquit Augustinus, *purgat mentem, sublevat sensum, carnem Spiritui subjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis vero lumen accendit*, in Serm. de jejunio:

Post Augustinum audiatur Hyeronimus: *Jejunium non solum perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est, & sanctificatio, & pudicitia, atque prudentia, sine qua nemo videbit Deum*, Epist. ad Demetriadem.

Item Ambrosius: *Jejunium mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc gradu citius ad Deum pervenitur*, De Helia & jejunio.

Item Sanctus Leo: *Quid potest efficacius esse jejunio, cujus observantia appropinquamus Deo, & resistentes Diabolo vitia blanda superamus?* serm. 2. de jejun. 10. mensis.

Item Cyprianus: *Nunquam audivi Sanctum in cœlis elevatum, quin jejuniis hoc obtinuisset*, Serm. de pœnit. Omitto alios Patres prope innumeros, brevitatis causa.

Q. Servatumne est ab antiquis religiose jejunium?

R. Maxime; plurima exempla habemus tam in veteri, quam in novo Testamento Sanctorum virorum, qui strictim jejunium observarunt.

Moyses bis fuit in monte cum Domino quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: *& non manducavit, nec bibit*, Exod. 24. & 34.

Filii Israel primo, & secundo a filiis Benjamin percussi fuerunt, postea *fleverunt coram Domino, & jejunaverunt die illo*, & sic prevaluerunt in illos, Judic. 20.

Audiens Achab comminationem sibi factam a Domino, *operuit cilicio carnem suam, jejunavitque*, propter quod Deus illam, quam comminatus fuerat pœnam, temperavit, 3. Reg. 21.

Nehemias dicit de se ipso: *Jejunabam, & orabam ante faciem Domini*, Nehem. 1.

Audientes filii Israel terribilem poten-

tentiam Holophernis, *humiliaverunt animas suas in jejuniis*, Jud. 4.

De Judith dicitur, *quod jejunabat omnibus diebus vitæ suæ*, præter sabbata, & festa, Judith. 8.

Daniel *Dominum deprecabatur in jejuniis*, Dan. 10.

David operiebat *in jejunio animam suam*, Psal. 68.

Alia Exempla.

Christus Salvator noster 40. diebus, & 40. noctibus jejunavit.

Panes & pisces bis multiplicasse legitur, non carnes, nec forte carnes comedit, præter Agnum Paschalem.

S. Joannes Baptista in perpetuo jejunio vixit, contentus locustis, & melle silvestri.

S. Petrus Apostolorum princeps, pene semper jejunans nihil aliud manducabat quam lupinos, teste Gregorio Nazianzeno, *Orat. de amore paup.*

S. Matthæus Evangelista oleribus, baccis, ac seminibus, non autem carnibus vescebatur, teste Sancto Clemente Alexandrino, *Lib.* 3. *pedag. cap.* 1.

S. Jacobus Apostolus a carnibus & vino semper abstinens fuit, teste Eusebio Pamphili, *lib.* 2. *hist. cap.* 2.

S. Timotheus S. Pauli discipulus semper fere jejunabat, & etiam abstinebat a vino.

S. Hyeronimus testatur penes multos Anacoretas continua per totum annum fuisse jejunia.

Exemplum habemus in Antonio Abbate, Ilarione, Pacomio, Brunone, & Francisco de Paula suis discipulis a carnibus abstinentiam perpetuam imponentibus.

S. Elisabetha Portugalliæ Regina mediam fere anni partem solo pane tolerabat & aqua.

S. Benedictus ordinat ut Religiosi quarta, & sexta feria jejunent usque ad nonam, cap. 41. & infra, & ab initio Quadragesimæ usque ad Pascha, ad vesperam.

S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, & multi alii Sancti quasi innumerabiles jejunium non solum commendarunt, sed ultra modum, si dicere fas est, protenderunt.

Q. Qua lege jejunium institutum est?

R. Lege Ecclesiastica, auctoritate scilicet Ecclesiæ, cui Christus potestatem dedit pascendi, & regendi oves suas, ligandi, & solvendi omnes fideles, hoc est, præcipiendi ea quæ ad animarum salutem conducunt, & prohibendi ea quæ tendunt ad damnationem. Prælatos enim alloquens in persona Apostolorum ait: *Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveritis super terram, erit solutum & in cœlis.*

Cum ergo Ecclesia Catholica per Concilia, Summos Pontifices, & Patres præscribat jejunia; illa a nobis observanda sunt, cum tendant ad nostram salutem, conversionemque nostram operentur, ut constat ex Sacræ Scripturæ allatis textibus, & Patrum testimoniis.

Quod autem Ecclesia præscripserit servanda esse jejunia, jam patebit. Concilium Gangrense sub Silvestro Papa celebratum cap. 19. habet: *Si quis jejunia communia totius Ecclesiæ putaverit contemnenda... Anathema sit.*

Concilium Toletanum sub Martino I. anno 653. aperte præcipit *ut tota Quadragesima jejunetur, & abstineatur a carnibus*, cap. 8.

Concilium Agathense, Viennense, & tandem Tridentinum *sess.* 25. *de Reform. cap.* 21. idem statuunt.

Sanctus Augustinus ad populum sermonem habens de jejunio quadragesimali, habet: *Aliis autem temporibus jejunare remedium est; in Quadragesima non jejunare peccatum est*, Serm. 62.

„ Concludamus igitur cum eodem
„ Magno Doctore, jejunium Ecclesia-
„ sti-

„ sticum *praeceptum esse*, eo quod exemplum, testimoniumque habeat a lege per Moysen, a Prophætis per Heliam, & ab Evangelio per Christi Domini jejunium. Non quidem ut totos quadraginta dies ab omni cibo, & alimento abstineamus, sed ut, quantum possumus, illos religiose imitemur, *Epist.* 119. *cap.* 15.

Q. Quæ sunt jejunia ab Ecclesia ordinata, seu praecepta?

„ R. Ea enumerat Sanctus Antonius noster Patavinus. Triplex est, *inquit*, jejunium generale ab Ecclesia institutum, videlicet *Vigiliarum*, & hoc correspondet vigiliis præcipuarum solemnitatum, quas populus offerre Jerosolimis tenebatur, quando debebat ad Templum ascendere, nec ante conspectum Domini *vacuus apparere*.

„ Istud autem jejunium Ecclesia statuit ad signficandum quod ad festivitates, quæ in superna patria celebrantur, non nisi per abstinentiam, & afflictionem debemus ascendere; quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum cœlorum*.

„ Secundum est *quatuor temporum*; & istud correspondet primitiis, quas populus Israel tenebatur offerre. Has primitias Ecclesia non solum ad fructus, sed etiam ad tempus voluit ampliare; & ideo statuit, quod juxta *quatuor tempora anni*, videlicet Ver, Æstatem, Hyemem, & Autumnum, *quatuor temporibus homines jejunarent*, & in qualibet vice tribus diebus juxta numerum trium mensium, in quolibet præmissorum temporum contentorum; & sic sunt duodecim jejunia, juxta numerum tot mensium &c.

„ Tertium est *Quadragesimale*, sub tanto numero multiplici de causa legitur ordinatum; videlicet propter exemplum nobis datum: tres enim soli secundum staturam triplicis Legis hoc jejunium observarunt, videlicet, Moyses ante legem, Helias in medio Legis, Christus in fine legis.

„ Propter præceptum nobis factum: Deus enim præcepit *ex omnibus decimas solvi*; quod etiam ad decimas temporis debet extendi. Habet autem annus 365. dies, cujus decima pars triginta septem constituit. Superant tres dies temporum, quæ fiunt in Martio, & sunt quadraginta. Tot igitur dies jejunabiles Quadragesima continet, propter mysterium designatum, *Dom.* 1. *Quad. serm.* 3.

Q. Jejunium Quadragesimale ex quo originem traxit?

R. Ab ipsismet Apostolis, testibus Hieronimo, Origene, Ambrosio, Leone, Augustino, & multis aliis. *Dubitandum non est*, inquit S. Leo, *omnem observantiam christianam eruditionis esse divinæ; & quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum*, de traditione Apostolica, *& de Sancti Spiritus prodire doctrina*, Serm. 49. cap. 1.

Idem affirmat Sanctus Ambrosius: *Quadragenarius jejunii numerus non ab hominibus constitutus, sed divinitus est consecratus; nec terrena cogitatione inventus, sed cœlesti majestate praeceptus est*, Epist. 89.

Idem Sanctus Hieronymus: *Nos*, inquit, *unam Quadragesimam secundum* traditionem Apostolorum *toto anno tempore nobis congruo jejunamus*, Epist. ad Marcel. 54.

Q. Jejunium Quadragesimale ab Apostolis institutum quot dies complectebatur?

R. Jejunium illud præcedens magnum Festum Paschatis, si tempore Apostolorum Quadragesima dicebatur, tamen quadraginta dies non continebat, sed solum triginta sex, qui recte conficiebant decimam anni partem, quæ Deo per jejunia offerebatur in remissio-

nem

nem culparum commissarum per totius anni cursum.

Nunc vero durat Quadragesimale jejunium quadraginta diebus, quia tractu temporis quatuor alii dies fuerunt adjuncti ad complendum numerum quadragenarium, in memoriam quadragenarii jejunii Salvatoris nostri, & ob varias ejus numeri mysticas significationes quas in sequentibus referemus.

„ Apostolica enim traditio, *inquit* „ *Blesenius*, fuit triginta sex diebus je- „ junare ante Pascha. Audientes enim „ in Lege primitias fructuum, & de- „ cimas sibi Dominum vindicare; ni- „ hilominus *primitias dierum*, *&* *de-* „ *cimas* Deo sacrificare statuerunt; *je-* „ *junia quatuor temporum* tanquam pri- „ mitias instituentes, in quibus *duo-* „ *decim dies*, tanquam primitiæ *duo-* „ *decim mensium* observantur; & tre- „ centorum sexaginta quinque dierum, „ *decima pars* triginta sex dies; ideo „ & hos dies tanquam *decimam die-* „ *rum*, jejunium consecrarunt.

„ Subsequentes vero Patres Apostoli- „ ci quatuor superaddiderunt, ut nu- „ merus Dominici jejunii adimplere- „ tur. Serm. 13.

Q. *Jejunium Quadragesimale incipitne ubique eadem die?*

R. Nequaquam. Ecclesia Ambrosiana jejunium inchoat post Dominicam Quadragesimæ; quia solum decimam partem anni Domino consecrat, quæ conficit triginta sex dies.

Hunc numerum observat etiam Ecclesia Orientalis, etsi Fideles jejunare incipiant post Dominicam Quinquagesimæ; quia excipiuntur dies Dominici, & Sabbati, dempto ultimo in hebdomada Sancta: Et sic restant solum triginta sex dies.

Ab hac Dominica Quinquagesimæ ut Clerici jejunio initium darent, decreverat *Telesphorus Papa* his verbis: *Statuimus ut septem hebdomadas plenas ante Sanctum Pascha omnes Clerici, in sortem Domini vocati a carne jejunent*, Dist. 4. cap. 4.

Idem jusserat Sanctus Gregorius scribens ad Augustinum Episcopum in Anglia: *Denique Sacerdotes, & Diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas Ecclesiatici Gradus exornat, a Quinquagesima propositum jejunandi suscipiant*. Dist. 4. cap. 6.

At hæ leges in desuetudinem abjerunt, licet a nonnullis Religiosis adhuc observentur.

Poloni olim jejunare incipiebant post Dominicam Septuagesimæ, sed *Innocentius IV.* indulsit, ut juxta solitum aliarum nationum Quadragesimam inciperent.

Motivum hujus concessionis fuit, quod Poloni ad instantiam Jacobi Cardinalis Legati quintam partem omnium bonorum Ecclesiasticorum pro tribus annis Sanctæ Sedi obtulissent, quæ tunc temporis dirissime ab *Imperatore Frederico* divexabatur.

Ecclesia Romana Quadragesimam incipit in die Cinerum, ut Dominicum jejunium imitetur; Salvator quippe noster quadraginta diebus jejunavit.

Q. *Quid mysterii includit hic numerus Quadragenarius?*

R. Plurima præsefert mysteria. Non solum Dominus Jesus Quadragenarium hunc numerum suo jejunio consecravit; verum etiam Moyses, & Elias tot diebus jejunarunt.

Hic Numerus significat.

1. Vitæ nostræ *peregrinationem*: quia quadraginta annis populus Israeliticus peregre profectus est per desertum.

2. *Pœnitentiam*, quia quadraginta dies assignati sunt Ninivitis, ut converterentur a suis iniquitatibus, ni vellent perire.

3. *Purificationem*, quia quadraginta dies purificationis præscripti sunt mulieri parturienti masculum a lege Mosaica.

4. *Libertatem*, quia cum Ezechiel qua-

quadraginta diebus jacuisset super latus unum, a captivitate populum Dei liberavit.

5. Quia sicut per quadraginta dies aquæ Diluvii inundaverunt terram, & horribiles suorum peccatorum maculas absterserunt; sic nos conscientiam mundamus jejunio quadraginta dierum.

6. Quia sicut quadraginta annis divina providentia populum Hebræorum pane Angelorum enutrivit in deserto, ita nobis cibum vitæ æternæ porrigit jejunium Quadragesimale.

Merito igitur exclamat Petrus Chrisologus: *Porro Quadragenarius iste numerus tam sacratus esse a sæculis, tam mysticus reperitur, ut semper efficiendis rebus divinis, & maximis Dei negotiis explicandis adhibitus, lege inviolabili præscribatur*, Serm. 116.

Q. *Quis instituit jejunia quatuor temporum?*

R. Non omnes conveniunt de primo Auctore istius observantiæ. Quidam volunt fuisse *Sanctum Victorem*, qui Ecclesiam regebat circa annum 185. sub *Commodo* Imperatore.

Alii dicunt fuisse *Callistum* Papam, quia legitur in libro Pontificali: *Callistus constituit jejunium quater in anno fieri, frumenti, vini, & olei gratia, secundum prophetiam.*

Item legitur in Epistola ejusdem Callisti ad Episcopum Benedictum: *Jejunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, convenientius nunc* per quatuor tempora fieri decrevimus, *ut sicut annus per quatuor volvitur tempora, & nos quaternum solemne agamus jejunium per anni quatuor tempora: & sicut replemur frumento, vino, & oleo ad alenda corpora; sic repleamur jejunio ad alendas animas, juxta Prophetæ Zachariæ vocem*, &c.

Sanctus Leo, & cum eo nonnulli alii Patres primam originem jejunii quatuor temporum deducunt ab Apostolis, qui illud constituerunt pro obtinenda remissione peccatorum, quæ committuntur in quatuor anni partibus.

Q. *Quid de Vigiliarum jejunio?*

R. Vigilia dicitur dies præcedens aliquam festivitatem. Præteritis temporibus fideles consueverant vigilare in Ecclesia illius Sancti, in cujus honorem festum celebrabatur, tempus illud complentes in Psalmis, Hymnis, Canticis spiritualibus, & in aliis piis operibus. Cum aliqua interdum acciderent inconvenientia tam in accessu quam in reditu, mos ille convocandi populum nocte in Ecclesiam mutatus fuit in *jejunium*, retinendo nomen vigiliæ.

Errant maxime qui credunt nocturnas vigilias fuisse ab *Ambrosio* interdictas, cum potius Sanctus Episcopus vigiliarum cultum accrescere voluerit, quod sua ætate nulla orirentur scandala.

Advertendum, quod quando dicitur *Concilium Antisiodorense* prohibuisse Vigilias, non credere debemus vetuisse eas vigilias, in quibus sancte conversabantur fideles in Ecclesia; sed solum condemnasse congressus illos, qui in privatis domibus habebantur nocturno tempore; ut patet ex Canone 3.

Leo decimus declaravit anticipandum jejunium ad diem mercurii, dum vigilia *Sancti Joannis Baptistæ* incidit in diem *Corporis Christi*.

Si Vigilia *Sancti Matthiæ* cadat in diem Martis, bacchanaliorum ultimum, poterit Episcopus jejunium reponere ad diem Sabbati præcedentem, ad evitandas transgressiones istius præcepti, si jejunium relinqueretur in die naturali.

Q. *Quid de jejunio dierum Mercurii, & Veneris, seu feriæ quartæ, & sextæ?*

R. Jejunabatur olim ex antiquissimo more præfatis diebus, si non ita rigi-

rigide sub gravi peccato, attamen abstinendum erat a Carnibus, & jejunandum usque ad Nonam.

Ratio, quia *Feria quarta*, conclusa fuit venditio, & proditio Christi Jesu: Et *Sexta* Cruci affixus fuit, & in altum sublatus. Consuetudo jejunia illa abrogavit.

Clemens Alexandrinus quoddam morale significatum, seu Mysterium agnoscit in jejunio istorum dierum. Unus, *Mercurio*, Deo auri, seu divitiarum consecratus erat: alter *Veneri*, Deæ Luxuriæ, & turpium voluptatum, a quibus vitiis procul esse debet devotus Christianus.

Novit ipse jejunii quoque enigmata horum dierum, quarti, inquam, & sexti. Dicitur autem ille quidem Mercurii; hic vero Veneris. Ecce enim jejunat in vita, & ab avaritia, & a libidine, ex quibus omnia oriuntur vitia, Lib. 4. strom.

Q. *Quid censes de jejunio Sabbati?*

R. Jejunasse olim Judæos die Sabbati, refert Trogus Pompejus, dum ait: *Sabbata Judæorum a Moyse in omnem ævum fuisse jejunio dicata*, Lib. 37. In eamdem sententiam abiit Justinus Martir, & nonnulli alii.

Rabi Moyses Ægiptius testatur vetitum fuisse deinde Judæis sabbatis jejunare.

Quantum ad Christianos attinet, introductum fertur apud ipsos jejunium Sabbatinum, vel Sancti Petri Apostoli, vel, *ut alii censent*, Sancti Sylvestri instituto, in memoriam sepulturæ Christi, qui toto illo die sepultus jacuit.

Petrus Damianus existimat inolevisse apud Fideles jejunium Sabbatinum in honorem Beatæ Viriginis Mariæ. *Pulcher mos*, inquit, *in nonnullis Ecclesiis inolevit, ut specialiter ad Deiparæ Virginis honorem in die Sabbati jejunium servetur*, Lib. 2. Epist. 14.

Nullum tamen extat generale præceptum Ecclesiæ, quo universi fideles teneantur jejunare die Sabbati, nisi occurrat impedimentum, puta Vigiliæ, aut simile: Debent tamen, *sub peccato mortali*, abstinere a carnibus, sicut & diebus Veneris.

In Gallia, & Belgio consuetudo permittit esum carnium omnibus Sabbatis a Natali Domini usque ad Purificationem Beatæ Virginis, ad eum modum quo abstinentia a carnibus locum non habet ipso die Nativitatis Dominicæ, in quamcumque feriam inciderit, ut statuit *Leo* I. *Epist.* 43. *ad Turibium*.

Quid possint Religiosi in tali casu, consulant suam Regulam, & Constitutiones, serventque solitum. Temporibus *SS. Ambrosii, & Augustini*, jejunium servabatur Romæ diebus Sabbati, non tamen ubique terrarum, v. g. Mediolani. Id patet ex responso Ambrosii, dato Augustino, qui ipsum interrogarat, quid agendum haberet, Mediolani existens? *Cum Romam venio. Sabbato jejuno, cum Mediolani sum non jejunio*. Sic & tu, ad quamcumque Ecclesiam veneris ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hinc commune illud proverbium.

Si fueris Romæ, Romano vivito more.
Si fueris alibi, vivito sicut ibi.

Q. *Quid de jejunio in die Dominico?*

R. Quamvis licitum sit jejunare diebus Dominicis, multosque Heremitas jejunasse constet in vitis Patrum: tamen Ecclesia nulla indixit jejunia, sicut est in toto Paschali tempore, ob lætitiam Resurrectionis Domini nostri Jesu-Christi, & propter Manichæos, qui Dominicis jejunabant ex errore, ne viderentur gaudere de Christi Resurrectione, quam falsam fuisse sibi persuadebant, ut cognosci potest, ex *Ambrosio, Epist.* 85. *Aug. Epist.* 86.

Eustatius quoque, & Aerius diem Dominicum deputabant jejunio. Unde

ne Catholicis, hæreticos illos imitari videantur, satius est ut non jejunent diebus Dominicis: non quod jejunium in se, laudabile, & meritorium non sit sed quia non convenit, contra consuetudinem populi Christiani, jejunare, &c.

Q. *Quid de Adventu Domini?*

R. Etiam in Adventu Domini jejunari consuevisse in Ecclesia Romana perspicuum est, tum ex cap. *Consilium* quod est Innocentii tertii, *de observatione jejuniorum*; tum ex Breviario, in quo ad Horas assignantur preces, quæ in die jejunii recitantur.

Cæterum non ex præcepto, sed consilio, aut devotione hoc jejunium servatur.

Adventus, vocatur tempus illud præcidens Nativitatem Domini nostri Jesu-Christi, institutus, a Principe Apostolorum, juxta Durandum, *Lib.* 3. *cap.* 2. Incipit a Dominica proximiori Festo *Sancti Andreæ*. Olim Fideles toto illo tempore Jejunabant, *pro ut nunc multi Religiosi*, ut se disponerent ad tantam solemnitatem digne celebrandam, & fructus incarnationis Christi, percipiendos.

Sacrum hoc tempus *Adventus* celebratur partim cum *mæstitia*, quia in eo fit memoria *secundi adventus* Jesu-Christi judicis; & idcirco omittitur in Missa *Alleluja*, & in Officio. *Te Deum*. Partim vero cum *Lætitia*, quarenus recolitur memoria *primi adventus* Christi infantis; & ob hunc finem dicitur *Alleluja*. Quam lætitiam singulariter demonstrat Sancta Mater Ecclesia in tertia Dominica, in qua *Diaconus, & subdiaconus* Dalmaticis utuntur, cum aliis diebus Casulis utantur duplicatis, mœrorem designantibus.

Q. *Quæ est origo jejunii Rogationum?*

R. Jejunium tridui ante Ascensionem, instituisse ferunt *Sanctum Mamertum*, Viennæ, in Delphinatu Episcopum, sequenti de causa.

Cum exigentibus peccatis, Galliarum populi, luporum rabie acriter interimerentur, nec illius Hagelli aliquod remedium invenire possent: aliqui Episcopi ab Antistite Viennensi *Mamerto* congregati sunt: atque in commune statuerunt, ut triduanum jejunium facerent, & supplicationes per totam civitatem.

Cumque Dominus pestem misericorditer abstulisset; hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, ut per Galliarum provincias, ante *Ascensionis Domini* diem, celebrarentur.

Deinde in Concilio *Aurelianensi*, idem jejunium receptum legis. Ordo Romanus, qui liber est antiquissimus, jejunium tanquam usu receptum memorat; & in eo cibos Quadragesimales præscribit.

Cæterum servanda hic locorum consuetudo: Multis in locis, jejunium istud non est in usu, cum inter Pascha, & Pentecosten, *de jure*, nulla sint jejunia.

Unde fit, quod Ecclesia *Ambrosiana*, seu *Mediolanensis*, Rogationes celebret post *Ascensionem*, ut convenientius jejunare posset, cum jejunium, *præsente sponso*, ut fert Evangelium, gaudio non aptum sit.

Hæ Rogationes prius institutæ in Gallia, introductæ fuerunt in Ecclesiam Romanam, a *Leone Tertio*, ut scribit Anastasius Bibliotecarius in vita ejusdem Pontificis, a *Ipse vero a Deo protectus, & præclarus Pontifex constituit, ut ante tres dies Ascensionis Dominicæ Litaniæ celebrentur*.

Q. *Quid opponunt hæretici contra præceptum Jejunii?*

R. Plures adducunt Scripturæ textus, quibus jejunium frivolum & inane esse; adeoque ab Ecclesia præcipi non posse, demonstrare conantur.

1. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis*. 1. Timoth. 4. inde inferunt jejunium,

nium, quod est corporis exercitatio, fuisse ab Apostolo despectum.

2. *Accesserunt Discipuli Joannis, dicentes: Quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter, Discipuli autem tui non jejunant?* Matth. 9. Si non jejunarunt Apostoli, nec eorum successores ad id tenentur.

3. *Non quod intrat in Os coinquinat hominem*, Matth. 15. ergo potest quis pro suo libitu manducare, & bibere sine peccato.

4. *Quare jejunavimus, & non aspexisti*, Isa. cap. 56. Non est igitur jejunium gratum Deo.

5. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur*, 2. Timoth. 4. Ergo omnis cibus, qui sumitur cum gratiarum actione, est bonus &c.

6. *Omne quod in Macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam: Domini est terra & plenitudo ejus. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate*, 1. Chor. cap. 10. v. 25. At hoc prohibet Ecclesia Romana; ergo contradicit Apostolo.

7. *Nemo vos judicet, in cibo, aut in potu* &c. Coloss. cap. 2. v. 16. ergo licitus est omnis cibus, ergo nullus potest prohiberi &c.

Tandem, *ajunt*, Christiana libertas, talia onera non patitur, adeoque non admittenda tanta jejunia.

Q. *Quid respondendum istis hæreticorum objectionibus?*

R. Ad *primum*, dicendum, Apostolum nihil aliud insinuare voluisse; quam *exercitationem corporalem*, quæ est in jejuniis, vigiliis, ac labore manuum, parum utilitatis adferre, si conjuncta non sit cum pietate: multos autem fructus facere, si conjunctam habeat pietatem.

Ad *secundum*, non sequitur Apostolos non jejunasse unquam; sed non jejunasse quamdiu Christus cum ipsis conversatus est. *Numquid possunt Filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.*

Ex hac Christi responsione non potest inferri Apostolos non esse unquam jejunaturos; imo potius oppositum; sed non esse conveniens, ut *filii*, seu *amici* Sponsi in ejus præsentia jejunent, qui gaudium, non luctum requirit: Jejunium enim facit homines mœstos, sicut cibus, & vinum facit hilares. Quasi diceret: *Mirum non est Discipulos meos non jejunare*, quamdiu cum ipsis sum, & me sponso fruuntur: *cum autem ablatus fuero ab ipsis, tunc lugebunt, & jejunabunt.*

Ad *tertium*; hoc loco abutuntur pro certo hæretici. Ecclesia enim non præcipit jejunium, nec prohibet carnes in die jejunii, ex eo quod ipsæ malæ sint; sed ad refrænandam gulam, & luxuriam, & ad exercendam pœnitentiam, cum obedientia. Si quis ergo in die jejunii comedat carnes, peccat; non quod carnes comedat, sed quia contra Dei, & Ecclesiæ præceptum sumens cibum, seipsum coinquinat.

Simili modo Judæi comedentes *carnem porcinam*, vel alium cibum vetitum, peccabant, & polluebant animam; non per carnem, sed per inobedientiam.

Ad *Quartum*. Deus non respuit jejunium *in se consideratum*, tanquam sibi ingratum; alias non exhortatus fuisset Sacerdotes ad jejunium per os Prophetæ Joelis; sed solum fictum, & vitiosum, seu *malo fine* observatum; quale erat jejunium Pharisaicum, cui multa scelera adjungebantur. Unde non mirum si Deus ad tale jejunium non aspiciat, sed potius illud aversetur.

Ad *Quintum*. Etiam Ecclesia credit bonum esse, *per se*, & mundum, quidquid condidit Deus; neque per se vetitum illius usum; licet pro tempore, ad mortificandum veterem homi-

nem, ab aliquibus cibis abſtinere præcipiat.

Non agit hic Apoſtolus de jejunio, & maceratione carnis; ſed quia *Tatiani*, & alii hæretici dicebant certas eſſe res creatas a *malo Deo*: proinde aſſerit omnem creaturam eſſe bonam, ut pote a *bono Deo* creatam, & conſequenter nullam rejiciendam eſſe, quaſi natura ſua malam, & immundam; ſed ſumendam cum gratiarum actione, quod facit Catholicus, licet non omni tempore; nec Paulus hoc præcipit.

Ad *ſextum*, admittimus dictum Apoſtoli, licitum eſſe manducare omne quod in macello venale eſt, & quidquid apponitur nobis in menſa, etiam infidelium; nihil quidquam horum nos rejicimus tanquam malum, de quo non poſſemus uti, ni accederet pro certo tempore Eccleſiæ prohitio. Si enim Medicus vetans aliquos cibos ægroto, tanquam nocivos ſuæ valetudini, non agit contra licentiam Apoſtoli; nec Eccleſia prohibens carnes ſuis ſubditis pro ſalute animarum ſuarum, per aliquod tempus contra præceptum Apoſtoli agere ſuſpicandum eſt.

Deinde non dixit Paulus: manducate de iſtis, quæ venduntur in macello omni, die, ſemper, etiam in jejunio. Quando hæretici demonſtrabunt nobis hanc Pauli declarationem, utique dicemus Eccleſiam Romanam prohibendo carnes, certis diebus, contravenire verbo.

Ad *ſeptimum*. Nihil aliud intendit Apoſtolus, quam ut Colloſſenſes ſpernant inanes judaizantium metus, nec attendant ſi dicatur, hic cibus purus eſt, alius non. Nihil per ſe impurum eſt, omnia munda mundis.

Cibi complures Judæis utiti erant, totoque Nazaræatus tempore nefas erat vino uti. At Chriſtianis nullus cibus, nullus potus *per ſe*, ſeu ex *natura ſua* eſt prohibitus tanquam impurus. Omnia quæ a Deo creata ſunt, bona ſunt; quantumvis non liceat iis uti indifferenter omni die ob præceptum Eccleſiæ, cui tenentur fideles obedire, ni ſicut Ethnici velint haberi.

Ad *octavum*, Chriſtiana libertas, de qua Paulus, eſt Redemptio, ſeu abſolutio a ſervitute Legis Moſaycæ, & a peccatis, per Jeſum-Chriſtum facta, qua addicti Deo filiorum adoptionem recipimus. De hac libertate Salvator dixit: *ſi filius vos liberavit, vere liberi eritis*, Joann. 8.

Q. *Quid ſi ulterius inſtent, jugum Chriſti eſſe ſuave, & onus ejus leve; adeoque non poſſe Eccleſiam imponere jejunia, quæ ſunt onera gravia?*

R. Jugum Chriſti non dicitur ſuave, & onus ejus leve, quaſi ſequaces ejus deberent vivere ſine ulla lege, nec poſſet ipſis aliquod præceptum inflictivum imponi; alias fruſtra dediſſet Eccleſiæ ſuæ poteſtatem ligandi, & ſolvendi; nec dixiſſet Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus; *qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem ſpernit me, ſpernit eum qui miſit me*, Luc. 10. Quibus verbis cunctos fideles Eccleſiæ ſuæ ſubjicit.

Dein ex Evangelio tenemur Crucem tollere, carnem crucifigere, membra noſtra mortificare, corpus caſtigare, & in ſervitutem redigere, dignos pœnitentiæ fructus facere, vigiliis, jejuniis, orationibus, laboribus, & aliis piis, operibus &c. Quæ omnia certe facilia, & dulcia dici non poſſunt, ſed laborioſa, afflictiva, &c.

Si jugum ſuum ſuave Chriſtus dixit, & onus ſuum leve, hoc eſt, ut jam alibi diximus, quia Chriſtus liberavit nos ab oneribus Moſaicæ legis; a ſervitute diaboli; & quia dedit nobis faciliora præcepta, gratias abundantiores, & majores, Sacramenta utiliora, & efficaciora, &c.

Concludamus igitur poſſe Eccleſiam præcipere ſuis ſubditis jejunium, quo *vitia comprimuntur, mens elevatur*,

vir-

virtutes & præmia largiuntur, præf. Quadr.

Q. *Quibus de causis institutum est, in Ecclesia Dei* jejunium?

R. Pluribus certe de causis rationabilibus Sancta Mater Ecclesia jejunium instituit.

Primo, ad reprimendam carnis concupiscentiam juxta illud: *Humiliabam in jejunio animam meam*, Psal. 35. Experimento enim quisque facile discere potest per abstinentiam tepescere luxuriam. *Jejunium*, inquit Sanctus Ambrosius, *mors culpæ, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis*, Serm. de Helia, & jejun.

Secundo, ut mens elevetur ad contemplanda cœlestia. Exemplum habemus in Daniele Propheta, *qui post trium hebdomadarum* jejunium, *multas revelationes, & prophetiæ donum accepit*, Dan. 10.

Tertio, ad satisfaciendum Deo pro peccatis commissis. Unde Deus peccatores invitans ad pœnitentiam, ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in* jejunio, *planctu, & fletu*, Joel. cap. 2.

Quarto, ad acquirendas virtutes, & vitæ æternæ prœmium. Hinc canit Ecclesia in Præfatione Quadragesimæ: *Qui corporali* jejunio *vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & prœmia*, &c.

Hæc omnia, & alia comprehendit Augustinus dum dixit: *jejunium purgat mentem; sublevat sensum; carnem spiritui subiicit; cor facit contritum, & humiliatum; concupiscentiæ nebulas dispergit; libidinum ardores extinguit, castitatis vero lumen accendit*, Serm. de Jejun.

Videant nunc hæretici an jejunium tot, tantaque beneficia conferens, possit esse sine merito, & displicere Deo, cujus Filius Dominus noster Jesus-Christus exempla adeo præclara nobis reliquit.

Q. *A quibus cibis abstinendum est diebus jejunii?*

R. Abstinendum est a carnibus, ovis, caseo, lacticiniis, & aliis cibis, ab animalibus ortum trahentibus.

Si vero ova, & lacticina alicubi prohibita non sunt, ut in Germania, Polonia, Belgio, Gallia &c. iis vesci fideles licite possunt. Subintellige, extra Quadragesimam communem Resurrectionis Domini, in qua ovorum comestio est ubique interdicta; nisi licentia expresse concedatur ab Ordinariis locorum; Quo casu Superiores Ordinum suis subditis eamdem facultatem concedere possunt, existente saltem aliqua rationabili necessitate.

Q. *Dispensatus a carnibus estne etiam dispensatus a* jejunio, *seu potestne plures carnium refectiones sumere in die jejunii?*

R. Absolute loquendo non potest; quia, licet principalior pars substantialis jejunii ecclesiastici sit abstinentia a carnibus, unica tamen comestio est pariter de substantia jejunii; quamvis, *ut dicitur*, minus principalis. Et hoc patet in diebus Veneris, & Sabbati, in quibus ob facultatem sumendi plures refectiones non dicitur *jejunium*, sed abstinentia.

Dispensatus autem secundum partem, non censetur dispensatus secundum totum: sicut dispensatus ab uno præcepto, non eximitur ab altero, cujus est capax: ita a pari &c.

Accedit Constitutio *Sanctissimi Domini nostri Benedicti XIV.* feliciter regnantis, qua declarat dispensatum a carnibus non posse in diebus jejunii, *vi illius dispensationis*, pluries comedere carnes, nisi adsit gravis necessitas. Ita habui oretenus ab *Illustrissimo & Reverendissimo Episcopo Assisiensi, Octavio, ex Comitibus de Arrengheria Ro-*

nomiensi, qui postea constitutionem legendam mihi præbuit.

Notandum autem majoris claritatis gratia. Si is, cui comestio carnium permittitur, sit infirmus, vel ita debilis naturæ, ut plures carnium refectiones sint ipsi necessariæ, tunc, accedente medicorum testimonio, & superiorum dispensatione, potest pluries in die carnes comedere. Si vero carnes sint necessariæ solum ob antipathiam stomaci cum piscibus, ovis &c. vel quia cibi quadragesimales sunt rari, corrupti, aer impurus, morbi grassantes, ob quas causas, & similes dispensat nonnunquam benigna Mater Ecclesia, non potest vir sanus pluries in die comedere carnes.

Q. *Religiosus Franciscanus noviter professus teneturne ad jejunia tum Ecclesiæ, tum Regulæ ante vigesimum primum annum?*

R. Quantum ad jejunia Ecclesiastica, nullatenus obligari consentiunt omnes, nisi jejunia illa cadant sub præceptis Regulæ, ut est jejunium *Quadragesimæ Resurrectionis*.

Ratio est, quia Ecclesia non magis voluit adstringere Religiosum ad sua jejunia, nec prius, quam sæcularem. Nullibi enim hoc declarasse invenitur: cum ergo ad ea jejunia, qualia sunt vigiliarum, & quatuor temporum, *vi Regulæ* non teneantur, quæ expresse dicit: *Aliis autem temporibus*, idest, extra Quadragesimas omnium Sanctorum, & Resurrectionis, *non teneantur, nisi sexta feria jejunare*, sequitur ex nullo capite obligari.

Q. *Quam ob rem potius tenentur Religiosi nostri professi ad jejunia Regulæ ante vigesimum primum annum, quam ad jejunia Ecclesiæ?*

R. Ratione voti, quo ad jejunia Regulæ se voluntarie obstrinxerunt. Quando Ecclesia exemit adolescentes a suis jejuniis, non fuit quod crederet ipsos ad jejunandum impotentes; sed *ex mera indulgentia*, ob crescentem ætatem, caloris abundantiam, & huic privilegio renuntiandi libertatem unicuique reliquit. Juvenes autem nostri in professione religiosa libere tali privilegio valedixerunt, dum Regulam se observaturos, Domino promiserunt. Hinc Constitutiones nostræ Urbanæ in cap. 3. Tit. 18. n. 4. habent: *Ad jejuniorum prærea, quæ a Seraphica Religione indicuntur, observationem, omnes, & singulos, cujuscumque ætatis, & conditionis sint professos æque teneri volumus, & declaramus*. Porro si ad alia Ecclesiastica jejunia constrictos voluissent, procul dubio id expressissent. Exhortandi tamen sunt juvenes illi, ut communitati, in qua vivunt, & noviciatum peragunt, in omnibus se conforment.

Q. *Obligatio, seu præceptum jejunii desinitne anno ætatis sexagesimo?*

R. Seraphici Patris Regula, & Constitutiones nostræ nihil circa hoc punctum decernunt.

Si rectam rationem sequi velimus, Sexagenarios jejunandi capaces sine gravi incommodo, ad jejunium teneri resolvemus, cum nulla sit lex, nulla Ecclesiæ constitutio, decretum nullum, quod eos a jejunio eximat. Aliqui dicunt *Sanctum Pium Quintum* id oretenus declarasse ad sedandas conscientias; sed non probant. Præterea ea decreta, & declarationes, quæ vivæ tantum vocis oraculo facta sunt, jam revocata fuerunt.

Si excusari deberent sexagenarii non jejunantes, foret quia *senectus ipsa morbus est*. At non omnes *sexagenarii* sunt senes: non raro enim reperiuntur qui sunt florentes, sani, complexionis robustæ, & quasi juvenilis temperamenti, *quandoque luxuriosi*, & consequenter jejunii capaces. Unde non solum ætas, verum corporis dispositio ponderanda est.

Dato tamen quod sæculares sexagenarii.

marii robusti essent a lege Ecclesiastica liberi a jejunio, non sequitur quod *sexagenarii Franciscani*, fortes & sani etiam ab eadem lege exempti esse debeant: quia voluntarie voto se obligarunt *toto tempore vitæ* ad jejunia Regulæ.

Q. *Numquid bene infertur, votum jejunii, secundum omnes, obligat instar præcepti Ecclesiastici de jejunio; dato igitur quod præceptum illud non obliget sexagenarios, ergo nec Religiosorum votum sexagenarios obligare debet?*

R. Non bene infertur; quia non est par ratio utriusque jejunii, Ecclesiæ scilicet, & Regulæ, quantum ad personas, quarum quædam ut sunt Religiosi, possunt, ex voluntario voto teneri jejunare, licet non tenerentur amplius ob ætatem ad jejunium ex præcepto Ecclesiæ. Quando autem dicitur votum jejunii obligare *ad instar legis Ecclesiæ de jejunio*, intelligitur per ly *instar*, quod sicut Ecclesia præcipit abstinentiam a carnibus, & unicam refectionem hora competenti sumendam, non plus exigat jejunium Religiosum, seu a Regula præceptum, & sic illud, *instar*, solum respicit formam, & modum jejunandi, refectionis qualitatem, & numerum, non vero *personas*, quæ diversis de causis possunt esse exemptæ a præcepto Ecclesiastico jejunii, & obstrictæ ad jejunium ex præcepto Regulæ. Unde non recte sequitur: *sexagenarii* sunt exempti a jejunio per Ecclesiæ præceptum imposito; ergo sunt etiam exempti ab obligatione jejunii ex voto contracta.

Q. *Cur juvenes robusti, & sani non tenentur ad jejunium ante vigesimum primum annum, bene vero sexagenarii?*

R. Quia sic disposuit Ecclesia ob crescentem illorum naturam, quæ frequentiori, & copiosiori cibo indiget propter necessitatem augmenti. Unde cum annus *vigesimus primus* sit ordinarie finis adolescentiæ, seu tempus, illud quo homines desinunt crescere, & augeri, hoc tempus determinavit Ecclesia, quo omnes ad jejunium, & non ante, inciperent obligari.

Verum obligatione jejunii semel contracta, non potest quis ab obligatione dispensari nisi ob aliquam mutationem v. g. infirmitatem, impotentiam, senectutem, *quæ senectus etiam infirmitas virium est*. Sed omnes homines, sicut non æqualiter, nimirum ad annum vigesimum primum adolescunt, ita neque eodem anno, v. g. sexagesimo senescunt. Alii enim citius, nimirum ab anno quinquagesimo senescere, & impotentes evadere incipiunt; alii vero serius, nimirum ab anno septuagesimo, ac proinde non potest determinari certus ætatis annus, quo senex a lege jejunii eximatur. Ita plures Casuistæ.

Q. *Si jejunium in unica comestione consistat, quid censendum de refectiuncula vespertina?*

R. Scire oportet, quod olim in primitiva Ecclesia diebus jejunii fideles unicam refectionem sumebant *post Vesperas*, circa occasum solis; quæ refectio *Cœna* dicebatur. Refrigescente autem tractu temporis charitate, & tepescente primo isto fervore, anticipatum fuit per relaxationem, aut ob quodpiam aliud motivum, refectionis tempus, & cœna in prandium mutata, & sic introducta est moderna vespertina refectiuncula, ex sola consuetudine, non ex aliquo Ecclesiæ decreto. Ista autem consuetudo nova lex cum sit, ab omni peccato liberat eos, qui sumunt præfatam vespertinam refectiunculam in diebus jejunii: tanto magis quod sciente, vidente, & non contradicente Ecclesia, consuetudo illa introducta sit; variis probabiliter motivis, inter quæ unum esse potest, ut noctu somnum facilius caperent fideles, & ad officia domestica, non redderentur inhabiles &c.

Q. *Quæ cibi quantitas permissa est in refectiuncula serotina?*

R. Nec qualitas ciborum, nec quantitas juste, & absolute determinari possunt: sed piorum, & timoratorum consuetudini standum est.

Quantitas cibi, ait Sanctus Thomas, *non potuit eadem omnibus taxari, propter diversas corporum complexiones; ex quibus contingit, quod unus majori, alter minori cibo indiget*, 2. 2. quæst. 149. Ad primum.

Sanctus Bonaventura permittit duabus aut tribus vicibus bibere in serotina collatione. Sic enim scribit in speculo disciplinæ ad Novitios: *Ad collationem tempore jejunii faciendam, duabus tantum, vel tribus, si indiges, bibere vicibus, temperantiæ congruit, & honestati*, part. 1. cap. 22. En quomodo nullius cibi cum potu sumendi meminit Seraphicus Doctor.

Unusquisque tamen consideret ætatem, vires, studium, labores, ut possit pro exigentia naturæ, secundam rectam rationem, & conscientiam, cibum sumere ad sobrietatem, temperantiam, & non ad facietatem memor, jejunium animabus, corporibusque curandis salubriter institutum esse, & ad domandam carnis petulantiam, & rebellionem.

Q. *Qui cibi licite possunt sumi in collatione?*

R. Quod ad qualitatem ciborum spectat in diebus jejunii, pro refectiuncula vespertina, aliqui dicunt, & nuperrime unus ex nostris P. Vincentius Von Berg in suo *Ratiocinio juventutis Franciscanæ* &c. licere sumere omnis generis cibos, quorum comestio permittitur in die jejunii.

Hæc opinio larga nimis, antiquæ disciplinæ ecclesiasticæ, & moderno, etiam Religiosorum virorum, & timoratorum sæcularium consuetudini adversari videtur.

Alii concedunt solum panem. Alii panem cum fructibus, herbis, vel aliis cibis levioribus, cujusmodi sunt ficus, uva passa, nuces, pira, poma &c. hæc sententia, communi usu recepta, etiam in monasteriis, in quibus regularis disciplina maxime viget, locum habet, paucis exceptis.

Quantum ad cibos, qui potissimum ad nutriendum valent, ut sunt *legumina & pisces*, si in collatione sumantur, jejunii corruptela est, secundum plurimos authores, etiamsi in parva quantitate; cum, *ut ajunt*, nequidem *poma, & herbæ* in primitiva Ecclesia permitterentur.

Quadragesimam, inquit Humbertus Cardinalis Sylvæ Candidæ Episcopus; *Quadragesimam diligenter observamus... nec licet apud nos post unam refectionem, quidquam pomorum, aut herbarum* diebus jejuniorum *percipere*.

Exinde patet quam longe sit a puritate veteris disciplinæ, & observantiæ; imo & a piorum virorum, & Religiosorum præsentis ætatis consuetudine sequens propositio: *omnes illi cibi, qui in die jejunii possunt sumi in ipso prandio, etiam possunt inservire pro collatione vespertina*.

Certe similis doctrina vigorem præcepti ecclesiastici de observando jejunio multum enervare, si non & evertere videtur.

Q. *Licitum estne bibere quemcumque potum in die jejunii?*

R. Cum jejunium institutum sit, inter alia motiva ad concupiscentias carnis reprimendas, & abstinentia a cibo & potu ad hunc concurrant effectum, secundum quod canit Ecclesia: *carnis terat superbiam, potus, cibique parcitas* &c. non permittebatur olim fidelibus ut biberent extra refectionem. Et hoc a priscis Christianis religiose observatum fuisse, probatur ex facto *Sancti Fructuosi* Episcopi Tarraconensis, qui cum ad martyrium duceretur, oblatum ei potum recusavit, quia *jejunii dies erat*, ut constat ex *Prudentio* in Hymno, quem confecit in laudem Sanctorum prælaudati Fructuosi, & sociorum.

Quos-

Quosdam de populo videt Sacerdos,
Libandum sibi poculum offerentes,
Jejunamus, ait, recuso potum:
Nunquam violabo jus dicatum &c.

Unde merito Sanctus Ambrosius in devotos Christianos reprehendit, qui se excusabant non posse tempore æstivo ferre sitim: *Dicunt enim*, inquit, *æstivis mensibus dies longa est, torrentior sol est, sitim ferre non possumus, poculis nos refrigerare debemus*, Serm. 39. Et Tertullianus jejunandi amantissimus, totus attonitus exclamat: *qualis enim esus, talis & potus; verisimile non est, ut quis dimidiam gulam Deo immolet*. De jejun.

Hinc verum & rigorosum jejunium vocat salivam virginem: *ipsa natura enuntiabit quales nos ante pabulum, & potum, in virgine adhuc saliva exhibere consueverit*.

Inde apparet quod in istis fortunatis sæculis non distinguebatur jejunium ecclesiasticum a naturali.

Moderno tamen tempore, benigna Mater Ecclesia potum, non quemlibet, sed qui ad ciborum digestionem, & alterationem potius inservit, quam ad corporis nutritionem permittit. Ita ut, in proverbium commune abierit; *liquidum non frangit jejunium*, subintellige, *moderate sumptum*, præcise ad extinguendam sitim, & non ob solam delectationem, licet & tunc tollat plenum meritum. Et dummodo, *quod bene advertendum est*, non sit *per se nutritivus*, ut fertur de chocolata, in confectione cujus plurima maxime nutritiva ingrediuntur, asserentibus medicis, unciam Cacao, ex quo partialiter conficitur chocolata, plus producere humoris nutritivi, quam libram carnis bubulæ.

De hoc tamen non conveniunt omnes, imo nonnulli moderni Phisici prætendunt nihil, aut parum nutrimenti inesse chocolatæ, cum potius appetitum excitet, quam exstinguat, licet ad tempus ipsum satiare videatur.

Quidquid sit, cum chocolata retineat rationem potus, & ejus sumptio etiam Romæ toleretur in diebus jejunii, sicut & a viris timoratis, non crediderim frangere jejunium, si tamen moderate, & cum discretione sumatur.

Aliud est de potionibus illis quæ vulgo dicuntur Caffè, & The, quorum usus toleratur, quia substantia quæ ex ipsis trahitur est valde modica, & parum pro nihilo reputatur; modo prædicta lacte non coquantur; quia lac rationem cibi habet.

Quantum ad potum vini, & cerevisiæ ex grano confectæ, etsi nutrire dicantur; tamen quia utriusque potus est ordinarius, sumptus principaliter ad refrigerationem, & aliunde non impedit carnis mortificationem, non est prohibitus, dummodo in parva quantitate sumatur. Alias duplici peccato reus esset qui in diebus jejunii partem diei notabilem in potationibus consumeret: uno contra sobrietatem, & altero contra præceptum jejunii, cujus finis est mortificatio carnis, quam non servat, qui bibit usque ad ventris repletionem.

Q. *Potestne quis sine causa & sine peccato sumere collationem vespertinam circa meridiem, & circa vesperam refectionem totalem?*

R. Non licere videtur. Si enim anticipatio notabilis prandii fieri nequit sine gravi peccato, secundum Sanctum Thomam dicentem in 4. dist. 13. quæst. 3. art. 4. Ille jejunium solvit, qui Ecclesiæ determinationem non servat; cum Ecclesia præscripserit certum tempus comedendi, jam manifeste sequitur, quod ille, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvat.

Quanto vero magis si quis sine legitima causa sumat collationem in meridie, plena refectione in vesperam dilata? cum transmutatio illa refectionum sit absolute contra morem Ecclesiæ, quem

quem non puto quempiam *sine ulla ratione* posse transgredi absque ullo peccato, saltem veniali.

Dicere autem quod major sit mortificatio corporis sumere in meridie collationem, & vesperi refectionem, non est generaliter verum: multis enim plus placet, eisque gratior est cœna, quam prandium: & nonnullis plus prodest ad sanitatem, & oblectamentum, libentiusque tolerant famem per diem, quam ire ad lectum incænatos, seu sumpta solum refectiuncula.

Sed esto sit major mortificatio, id quod non ignoravit procul dubio Sancta Mater Ecclesia: nihilominus cum certum tempus determinarit pro refectione integra, non est licitum cuilibet, pro suo arbitrio, & majoris mortificationis prætextu, horam refectionis commutare.

Saltem esset in hoc aliqua deordinatio, propriaque reperiretur voluntas, quam in jejunio reprobat Deus. *Quare jejunavimus*, inquit Propheta, *& non aspexisti? Humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Audite responsionem. *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*, Esdræ 58.

Tandem melior est obedientia, quam sacrificium, & victima. Christianum etiam decet magis statutis Ecclesiæ se conformare, quam stabilitum ab ipsa ordinem *nulla existente necessitate* invertere, quæ sufficiens necessitas non est, generaliter loquendo, major mortificatio; alioquin nullatenus peccarent manducando carnes ii, qui jucundius pisces manducant, cum ex hoc amplius mortificarentur; quod nemo dixit.

Q. *Unde provenit quod serotina refectiuncula* collatio *dicta sit?*

R. Ex Religiosorum usu. Siquidem post laborem manuum ipsis permittebatur potum sumere, qui volebant, ante Completorium. Postea frustulum panis addiderunt, *ne potus noceret*, ut in Constitutionibus Monachorum Cluniacensium, & aliorum antiquorum Ordinum videre est.

At ne tempus vitæ regularis officiis destinatum, ea in actione tererent, lectionem spiritualem, quæ in claustro, vel capitulo fieri solebat, diebus jejunii in Refectorio habuerunt, semperque vespertinum illum ad Refectorium aditum jejuniorum tempore his verbis significarunt: *ire ad collationem*, aut accedere *ad lectionem collationum*. Et sic nomen *collationis* a lectione ad serotinam illam refectiunculam trranslatum est: & a sæcularibus eo sensu usurpatum, cum eo usque progressa est relaxatio, ut meridie franderent, & vespere nihilominus cœnulam sumerent.

Q. *Quo sæculo, quove tempore refectionis hora mutata est?*

R. Sciendum, quod initio jejunia quadragesimalia ad vesperam usque protraherentur. Missa celebrabatur hora nona, seu *tertia* post meridiem. Missam sequebatur Officium vespertinum: quo completo integra refectio sumebatur: *& jejunare non censebatur qui ante manducabat*, Can. *Solent* dist. 1. de consec.

Adhuc tempore Sancti Patris nostri Francisci, imo & Sanctorum Thomæ, & Bonaventuræ, jejunantes refectionem sumebant circa horam nonam, seu tertiam pomeridianam, qua Passio Christi completa est: *cum inclinato capite tradidit spiritum.*

Postea quo præcise tempore nescitur, ex Ecclesiæ indulgentia loco nonæ substituta est hora sexta, seu *meridies*, circa quam horam crucifixus est Christus. Et hoc forte propter plurimorum infirmitatem, qui ad horam tertiam pomeridianam usque jejunare, absque gravi incommodo, non poterant.

Vespertinum Officium tunc circa meridiem celebrari cœpit, ut illud veteris disciplinæ vestigium, & monumentum quasi in perpetuum maneret, nec ante comederent, quam vespertinum celebraretur Officium. Quod tempus qui multum

rum anticipaverint absque legitima caussa, non sunt ab omni peccato immunes; & secundum antiquos canones, nullatenus jejunare censendi sunt.

Q. *Quæ causæ excusant a jejunio?*

R. Sequentes annumerantur.

1. *Ætatis imbecillitas*, qua fit ut lex jejunii non obliget juvenes ante *vigesimum primum annum completum*: nec senes in decrepita, caduca, & languida senectute constitutos.

2. *Corporis infirmitas*. Sic excusantur ægroti, convalescentes, & illi, qui sine gravi, & notabili sanitatis damno jejunare non possunt. *Si ob corporis imbecillitatem non potes jejunus diem producere*, inquit S. Chrysostomus, *nullus, qui sapit, propter hoc redarguere te poterit, Dominum enim habemus mansuetum, misericordem*, & nihil supra vires nostras, *a nobis exigentem*, Hom. 19. in Gen.

3. *Paupertas*, dum talis est, ut quis sufficienter habere non possit, quod ei sufficiat ad unam comestionem, pro ut ordinarie accidit ostiatim mendicantibus.

4. *Corporis labor* cum jejunio incompatibilis, hoc est, quem facere non possent jejunando, quomodocumque opus faciendum illis incumbat, sive ex necessitate, sive ex officio, sive ob bonum publicum, sive divites, sive pauperes sint; si operi incumbendo corporis vires nimium exhauriantur. *Nihil arduum a quoquam*, ait Sanctus Leo, *nihil asperum quæritur; nec nobis aliquid quod vires nostras excedat, indicitur: sive in abstinentiæ castigatione, sive in eleemosinæ largitione*. Dummodo quis non laboret malo fine, nec in fraudem jejunii.

Hinc merito condemnatæ sunt duæ sequentes propositiones, tanquam aurium piarum offensivæ.

Prima. *Qui dormire nequit nisi vespere sumpta cœna, non tenetur jejunare; imo neque in grandiem collationem sumere, quamvis hoc modo isti incommodo obviare posset: quia non tenetur pervertere ordinem refectionum.*

Secunda. *Defessus ex quocumque labore licito, vel illicito, v.g.* cum fœminis commixtione, *liberatur a lege jejunii.*

5. *Pietas*, seu opera misericordiæ corporalia, & spiritualia, quæ non possunt a tali persona debite exerceri, si jejunet; & maxime dum in alium diem differri commode non possunt, quæque meliora sunt jejunio, & Deo gratiora.

Non enim videtur fuisse intentionem Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas.

6. *Iter agentes*, qui labore itineris ita affliguntur, ut simul cum jejunio itinerari non possint. Unde merito damnata est ab *Alexandro Septimo* hæc sequens propositio: *Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit; & etiamsi iter unius diei conficiant*. Hanc autem propositionem, *ut falsam, temerariam, scandalosam, jejunii legem evertentem*, prius condemnaverat Clerus Gallicanus.

Tandem a jejunio excusat dispensatio superioris, Papæ scilicet, Episcopi, Generalis, & Provincialis respectu Religiosorum, ob justam causam, vel etiam dum causæ enarratæ *ex se* a jejunio excusantes sunt dubiæ.

Unde, si de earum sufficientia dubitent ipsi medici, petenda est dispensatio, quam ex consuetudine recepta date possunt Guardiani nostro, cum hac differentia, quod Ministri Provinciales ob raritatem ciborum quadragesimalium possint comestionem ovorum in Quadragesima concedere; non vero Superiores locales.

Q. *Quid requiritur ad digne, fructuose, & Christiane jejunandum?*

R. Requiritur ut jejunans a cibo, jejunæ

junet a vitio, & abstineat se ab omni peccato mortali, & se exerceat in omni virtutum genere. *Non enim in sola abstinentia cibi stat nostri summa jejunii: aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur*. S. Leo serm. 41. quadrag.

Idem confirmat Sanctus Ambrosius: *Quid prodest abstinere cibis, & errare peccatis? castigare corpus inedia, & mentem exercere nequitia? Hoc enim est jejunium salutare, ut sicut abstinetur corpus ab epulis, ita & anima refrenetur a vitiis*, Serm. 40.

Si sola gula peccavit, inquit Sanctus Bernardus, *sola quoque jejunet, & sufficit: si vero peccaverunt & cætera membra, cur non jejunent & ipsa?* Jejunet ergo oculus a *curiosis aspectibus, & ab omni petulantia*. Jejunet auris *a fabulis, & rumoribus, & quæcumqte otiosa sunt, & ad salutem minime pertinentia*. Jejunet lingua *a detractione, & murmuratione, ab inutilibus, & scurrilibus verbis*: Jejunent manus *ab otiosis, & illicitis operibus. Sed, & multo magis* anima ipsa jejunet *a vitiis. Etenim sine hoc jejunio, cætera a Domino reprobantur*, Serm. 1. de Quad. Tandem Sanctus Basilius, ad quemdam jejunantem scribens, ait: *Abstines a vino, sed ab injuriis tibi non temperas. Vesperam exspectas ad cibum sumendum; sed insumis diem causis forensibus: quid juvat jejunare corpore, anima vero innumeris malis repleri*, de jejun.

De his loquitur Deus per Jeremiam Prophetam: *cum jejunaverint, non audiam preces eorum*, Jerem. cap. 14.

Jejunium igitur Christianum, fructuosum, sanctum, illud est, dum conjunctam habet peccatorum abstinentiam; virtutumque exercitium. Qui plura vult legat Casuistas.

DE VOTIS

Quæ in Ecclesia Romana emitti solent.

Q. *Quid est Votum?*

R. Votum est promissio deliberata, & voluntaria Deo facta, de meliori bono.

Q. *Quis hujus definitionis Sensus.*

R. Explico. Dicitur *promissio*, quia ad Votum non sufficit nudum, & simplex propositum aliquid faciendi in laudem Dei, ut falso autumant homines simplices, *propositum* cum *Voto* confundentes: sed requiritur ulterius voluntas se obligandi.

Deliberata, idest cum tali advertentia, quæ requiritur ad peccatum mortale. Unde si judicium rationis præveniat, nullam obligationem inducit.

Deo facta, quia Votum est actus Religionis, & latriæ soli Deo debitus.

De meliori bono, ita ut quod vovetur, omnibus spectatis, melius sit, quam ejus oppositum. G. V. melius est dare eleemosinam, quam non dare. Majus bonum est servare Virginitatem, quam inire Matrimonium.

Q. *Quæ est Voti divisio?*

R. Dividitur primo in commune, & singulare.

Commune est actus ille, quo quis in Baptismo confitetur se renuntiare Satanæ, & adhærere Christo. Et hoc Votum est omnibus commune. Et quia est necessarium ad salutem, *Votum necessitatis* etiam dicitur. Re ipsa tamen non est proprie Votum, cum homo baptizandus nihil promittat; sed solum dicat *abrenuntio*, *credo*, *volo*. Et licet promittere videatur, nullam tamen sibi novam obligationem imponere non intendit, præter eam, quæ in jure divino inest, quod non est proprie votum.

Votum *singulare* illud est, quo quis pro suo arbitrio de rebus non necessa-

riis concipit: Unde etiam dicitur Votum *voluntatis*, quamvis revera hoc genus Voti ad res præceptas pertinere possit, quatenus nostro arbitrio subsunt.

Secundo dividitur Votum in reale, personale, & mixtum.

Reale, est in quo res externa promittitur, ut eleemosina, vel quæcumque alia res pretio æstimabilis; V. G. dandi summam pecuniæ xenodochio, calicem Ecclesiæ, ædificandi unum altare &c.

Personale est in quo Deo promittitur aliqua actio exercenda personaliter ab ipso vovente, vel actionis omissio; ita ut Votum adimplere non possit per alium, ut sunt Vota *jejunandi*, *peregrinandi*, *orandi*, *castitatem servandi*, non *ludendi*, non *intrandi domum*, ubi adest continuum peccadi periculum &c.

Dixi quod non possit satisfacere per alium, quia *factum proprium* promisit, cum se Voto adstrinxit jejunandi, peregrinandi &c. Ergo *facto proprio*, & non alieno satisfacere debet.

Aliud foret, si vovendo explicite, vel implicite intendisset tale quid facere per se, vel per alium.

Mixtum est quod utrumque includit, *reale* scilicet, & *personale*; ut cum quis vovet peregrinationem ad Sacram Domum Lauretanam cum oblatione alicujus rei, V. G. calicis, lampadis &c.

Q. *Estne alia Voti divisio?*

R. Iterum dividitur in absolutum, & conditionatum.

Primum, est quod fit sine ulla conditione, ut cum quis vovet eleemosinam, &c.

Secundum est, cum certa conditio opponitur, ita ut, nisi hac posita, non exurgat obligatio, ut si voveam *tali die* me jejunaturum, si Deus mihi sanitatem restituerit.

Aliud est etiam Votum *temporale*, per quod vovens *pro certo tempore* se obligat; tale est Votum non bibendi vinum per totam quadragesimam.

Aliud *perpetuum*, quod tota vita obligat; ut Votum castitatis perpetuæ, vel nunquam bibendi vinum.

Tandem Votum dividitur in simplex, & solemne, quod bene advertendum est.

Simplex est, quod pure, simpliciter, & privatim, sine testibus, & sine ulla exteriori solemnitate emittitur.

Solemne vero illud est, quod fit in facie Ecclesiæ, cum circumstantiis ab Ecclesia approbatis, in manu Superioris illud acceptantis, ut sunt vota Religiosorum, & eorum qui sacros suscipiunt Ordines.

Unde votum illud consistit in actuali quadam dedicatione, & traditione proprii corporis, & libertatis, ab eo acceptata, qui vicem Dei tenet.

Notandum est autem, quod Votum solemne reddit personam *jure* inhabilem ad contrahendum Matrimonium, & ad habendum dominium bonorum temporalium &c. relinquimus alias Voti divisiones minoris momenti.

Q. *Estne Votum res bona, licita, & meritoria?*

R. Cum votum sit actus Religionis, & ad Deum, vel ad Sanctos eo potissimum fine dirigatur, ut eos honoremus, nostramque servitutem testemur, talem actum licitum esse & meritorium, dubitari non potest. Unde merito Scriptura Sacra nos sæpius ad vota Deo sanctisque nuncupanda hortatur. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera*, Psal. 57. *cognoscent Ægyptii Dominum.... Et vota vovebunt, & solvent*, Isaiæ 9. *Si Votum voveris, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus*, Deut. 23.

Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua, Psal. 49. Igitur bonum est vovere; imo melius; quia

si ope-

si opera quæ, *sine Voto*, fiunt essent digniora, & magis Deo grata, nequaquam David ad vota homines hortaretur.

Q. *Habemusne exempla Virorum, qui vota voverunt?*

R. Quam plurima. *Israel Voto se obligavit Domino*, num. 21. Anna *Votum vovit dicens*; *si dederis mihi sexum virilem, dabo eum Domino*, 1. Reg. 15. Asa Rex Juda, *ea quæ voverat Pater suus, obtulit*, 2. Paral. 15. Filii Israel, & Juda obtulerunt decimas, *quas voverant Domino*, 2. Paral. 32. David, de se ipso ait: *Vota mea reddam in conspectu* &c. Psal. 21. *Votum vovit Deo Jacob*, Psal. 131.

Plures alii in Sacra Scriptura vovisse referuntur, sed ii quos adduximus satis clare demonstrant familiaria fuisse apud Hebræos hujusmodi vota.

Q. *Textus allati, sicut & exempla probant quidem fuisse Vota facta in Veteri Testamento; potestne idem demonstrari in Novo Testamento?*

R. Quid ni? Exemplum præclarissimum habemus in Deipara Virgine, quæ antequam Christum conciperet, votum perpetuæ castitatis emiserat, ut colligi potest ex istis verbis, quibus Gabrielem Archangelum, qui Incarnationis mysterium ipsi annunciaverat, sic alloquitur: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*; quæ verba sic interpretatur Bernardus hom. 4. super *missus est*: *nunquam me virum cognituram spopondi*. Et postea subdit: *Non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem*.

Verum quidem est plures in lege veteri castitatem servasse, ut Maria soror Moisis, Daniel, Elias, aliique plures. Nullos tamen votum castitatis emisisse legimus præter Deiparam, quæ omnium prima per tale Votum Deo se consecravit.

Secundo, Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum, laudantur a Christo, Matth. 19. Castrati autem perpetuo inhabiles sunt, qui Matrimonio jungantur.

Tertio, pro certo habetur Apostolos *Votum de paupertate servanda fecisse*, dum relictis omnibus, secuti sunt Dominum. Ita sentiunt Sancti Patres, & præsertim Augustinus, *Lib.* 17. *de Civit. cap.* 14.

Quarto, præmia singularia promittuntur iis, qui se Virgines & immaculatos custodierint; sic enim legitur in Apocalypsi: Hi sunt qui cum mulieribus non sunt *coinquinati*; *sed Virgines permanserunt, sine macula ante Thronum Dei assistunt, cantantque novum canticum coram Deo, & agno, & sequuntur agnum quocumque ierit*.

Deinde, Ecclesia columna immobilis, & firmamentum veritatis ab initio fidelium vota non approbasset, nec ea Religiosorum quotidie admitteret, si vovere non esset res bona, licita, & meritoria, nec Deus ipse in favorem voventium prodigia operaretur, si Vota ipsi displicerent.

Q. *Habesne exemplum, quo demonstrari possit, Deum miraculis approbasse aliquorum Vota?*

R. Ecclesiastica historia innumerabilia refert; Ex his unum tantummodo referre non displicebit. „ *Clodoveus* „ *Francorum Rex* bellum cum Germanis habuit. Factum est autem, ut „ confligente utroque exercitu, Franci „ vehementer cæci, valde inciperent de„ ficere. Quod ubi *Rex Clodoveus* ani„ madvertit, elevatis oculis in cęlum, „ cum lacrymis oravit dicens: *Domi„ ne Jesu Christe, quem uxor mea prædicat esse Filium Dei, si dederis mi„ hi victoriam de hostibus meis, in te „ credam, & Baptisma in tuo nomine „ suscipiam*.

„ Cum hæc orans diceret, Alemanni mox convertuntur in fugam, qui „ ubi Regem suum viderunt occisum „ a Francis, *Clodoveo* se subjiciunt o-

„ mnes dicentes: *ne amplius persequaris* „ *populum*, *oramus*, *jam tui sumus*, *&* „ *tibi fideliter perpetuo serviemus*.

„ At ille bello prohibito, Aleman- „ nos in deditionem accepit, & tribu- „ tum iisdem imposuit, *Joan. Trith. de* „ *Orig. Francorum &c.*

Q. *Quæ est voventium obligatio?*

R. Certe strictissima est. Hoc probant textus scripturæ relati, & sequentes: *Cum Votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus*; *& si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*, Deut. 12. Item, *si quis virorum, Votum Deo voverit, non faciet irritum verbum suum; sed omne quod promisit implebit*, Num. 10. Item. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio*, Eccl. 5.

Ex his potest, Votum obligare, *ex genere suo*, sub peccato mortali: in particulari tamen, & in individuo potest obligare solum sub peccato veniali, juxta materiæ Voti qualitatem, & quantitatem. Si enim promissio facta homini, & ab eo acceptata obligat sub mortali *ex genere suo*, eo quod ratio naturalis dictet fidem, *etiam hosti*, esse servandam; quanto magis si promissio facta sit Deo? gravem certe injuriam, & irreverentiam Deo afferre, qui fidem ipsi datam frangit; est qui dubitet?

Q. *Quid si materia Voti esset levis, obligaretne Votum sub mortali?*

R. Cum materia levis, *in se*, sit incapax gravis obligationis, fractio Voti, in materia levi, non est mortale peccatum. V. G. aliquis vovit recitare unam *Salve Regina*, vel quolibet die unum *Pater*, & *Ave*, omissio hujusce recitationis est materia parva; & etiamsi hæc omissio occurrat *per totum annum*, est solum venialis, eo quod materiæ istæ, distinctis diebus affixæ, non coalescant in unum: cum enim *Pater*, *&* *Ave*, cuilibet diei corrispondeant, extinguitur etiam obligatio recitandi cum ipso die. At si vovens non ita obligationem affixerit ipsis diebus, intendens V. G. recitare tot *Pater*, & *Ave*, quot sunt *dies in anno*, perseverante tali obligatione, debitum quoque crescit per multiplicatas diurnas omissiones; atque ita devenire poterit ad eam quantitatem, quæ, morali judicio, censebitur notabilis, & sufficiens ad mortale.

Q. *Quid sentiunt Hæretici de Votis, quæ a Catholicis quandoque fiunt?*

R. Necessarium cum sit Vota adimplere, ut diximus, existimarunt nonnulli, Vota non posse esse Deo grata; quia ea quæ *ex Voto* fiunt non sunt libera; sed potius libertatis Christianæ destructiva: Scriptum est enim, *voluntarie sacrificabo tibi*, Psal. 53. idest non coacte, sed libere.

Unde *Martinus Lutherus*, in libro de *Votis monasticis*, ait: *Vota Monastica sunt impia*, *sacrilega*, *dæmoniaca*, *etiam Sanctorum exemplis adversantia*. *Quare cum fiducia revocanda*, *& deserenda*, quod & opere ipse executus est, Ordinem Sancti Augustini scandalose deserendo, & nefandum Matrimonium cum sacrilega, libidinosa Moniali ineundo.

Non mirum autem, si obscænus ille vir dicere solitus erat: *Cupio eradicata*, *extincta*, *& abolita esse omnia Monasteria: quæ utinam Dominus igne*, *& sulphure cœlesti*, *ad exemplum Sodomæ*, *& Gomorræ demergat: adeo ut ne memoria quidem illorum supersit*, *neque enim satisfuerit illis anathema imprecari*.

Ejusdem opinionis, & sententiæ fuit *Joannes Calvinus* celebris & ipse Hæresiarcha, & alii Novatores, inter quos numeratur *Michael Molinos* Præsbyter Hispanus, qui Romæ docuit, *Vota de aliquo faciendo*, *esse perfectionis impeditiva*.

Q. *Quibus rationibus Vota impugnarunt*?

R. Non omnia quidem Vota rejecerunt, sed ea tantummodo, quæ perpetuam imponunt obligationem, sequentibus motivis.

Primo dicebant Vota perpetua, qualia sunt *Vota Monastica* repugnare Christianæ libertati, quam nobis acquisivit Christus proprio suo sanguine; qui enim talibus Votis se obstrinxit, non habet amplius in ejus potestate uti iis, quæ lex Evangelica licita facit, cum teneatur ea observare, etiam reluctante voluntate.

Secundo adducebant hunc textum Pauli: *Si acceperis uxorem, non peccasti; & si nupserit Virgo, non peccavit*, 1. Corinth. 7. Ergo tam Monachi, quam Sacerdotes, Virgines cum sint, possunt nubere; Ergo Votum perpetuæ Virginitatis, quo Matrimonium prohibetur, est contra dictum Apostoli.

Tertio, volebant Votum perpetuum, V. G. castitatis, esse *temerarium*, *& contra rectam rationem*, cum sit promittere, quod a nobis non dependet: *nemo enim potest esse continens nisi Deus det*, Sap. 2. Ergo si continentia non est a nobis, nemo potest illam promittere, cum promissum servare non possit.

Quarto, objiciebant Votum obedientiæ esse *injustum*, *irrationabile*, contra ordinem a Deo præscriptum, imo & præcepto naturali contrarium, quo tenemur obedire parentibus, Regibus, Magistratibus, cum per Votum obedientiæ Religiosus uni dumtaxat, scilicet Prælato suo, se subjiciat, & ab aliis Superioribus civilibus se subtrahat.

Q. *Qualiter objectiones illæ confutandæ sunt*?

R. *Ad primum*. dicendum quod servitus, a qua Christus nos liberavit sit servitus diaboli, & peccati. Homo, licet Voto perpetuo ligatus, vere liber est ab illa servitute: imo nemo liberior est illo, qui Deo servit, cum *servire Deo regnare sit*. Quis sanæ mentis dicet unquam, quod ille qui obligationem sibi, *voluntarie* imponit semper bonum faciendi, rem malam agat, & libertatis Christianæ eversivam? non enim Vota præcipiuntur; sed libertati uniuscujusque relinquuntur. Quod si quis tamen voverit, tenetur promissa servare. Nonne Matrimonium perpetuam indissolubilitatem secum trahit? non idcirco contrarium est libertati Christianæ.

Ad secundum. Loquitur Apostolus de personis Virginibus liberis, quæ nubere possunt si velint; non vero de iis, quæ castitatis Votum emiserunt. Unde, ait: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat*, Ibid. Hoc est, illi qui vocati sunt ad Matrimonium, maneant cum uxore: illi vero qui ad continentiam, vivant continentes. Non igitur permisit Virginibus, *Voto continentiæ ligatis*, Matrimonium contrahere, ut impie somniavit Lutherus, qui si mentem Apostoli secutus fuisset, in sua primaria vocatione remansisset, nec contra Vota sua Deo facta, *ad execrandas nuptias* transivisset.

Ad tertium, dicendum, quod siquis castitatem vovere non posset, eo quod castitas in nostra potestate non sit, non posset pariter promittere vitam Christianam, ut fit in Baptismo, cum servare leges Evangelicas, *ex nobis*, non valeamus. Possumus tamen cum auxilio Dei, ita & servare Virginitatem. *Omnia possum*, inquit Apostolus, *in eo qui me confortat*, ad Philip. 4. Si omnia, ergo & castitatem integram servare. Quod autem Deus gratias necessarias non deneget digne petentibus, idipsum asseverat Christus, dicens: *Dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis*. Marci cap. 11.

Ad quartum, falsum est quod Monachus a jurisdictione parentum, Regum, Magistratuum, se subtrahat, in iis in qui-

quibus, *lege naturali*, *& divina* tenetur ipsis obedire: non enim eximitur, per professionem Religiosam, a præcepto *parentes honorandi*, *præpositis suis obediendi*, & *Cæsari reddendi*, *quæ Cæsaris sunt*; & eo minus ab istis præceptis dispensatur, quo superior illius, ad ea servanda, etiam ipse teneatur. Eadem ergo ratione, qua superior debet obedire Summo Pontifici, Regibus &c. ita & inferior illi subjectus.

Objectiones illæ, & similes, sicut & confutationes earum fusius proponuntur, & elucidantur a R. P. Durando, in suo egregio opere, *de Fide vindicata*, illuc recurre si dicta non sufficere tibi videantur.

Q. *Obligaturne ad Votum servandum, qui ex aliqua passione motus, lingua sæpe mentem præveniente, vovit?*

R. Cum, ut supponitur, non habuerit plenam deliberationem, & animadversionem super id quod vovebat, ad nihil tenetur. Votum enim est quædam lex, qua quis Deo se obligat. Nemo autem se velle obligare censetur, nisi perfecte attendat ad id quod facit. Ideo, qui ex repentino animi motu, vel ex calore iracundiæ, rationis usum auferente Votum emisit, Votum non tenet. *Ita Mast. de Voto.*

Q. *Quid si dubitet an voverit cum sufficienti advertentia, & deliberatione, teneaturne Votum servare?*

R. Videtur quod sic, quia in dubio, *melior est conditio possidentis*. Possessio stat pro Voto, quod constat factum fuisse. Dubium vero versatur tantum circa sufficientem usum rationis; & cum non constet defuisse, Votum subsistit.

Q. *Aliquis periculose infirmus, & timore imminentis mortis, professionem emittit, vel ingressum Religionis vovet. Estne validum ipsius Votum?*

R. Maxime. Et si convalescat tenetur Religionem ingredi.

Ratio est, quod metus iste non destruat libertatem voventis, cum a causa naturali, & ab intrinseco nascatur; nec ullus sit, qui ipsum ad hoc Votum emittendum coegerit: sed ipse ingressum Religionis, aut professionem emisit voluntarie, & sponte ad evadendum periculum mortis.

Idem dicendum si quis vovet metu naufragii, pestis, terræmotus, & ut evadat manus latronum, ipsum occidere volentium & ad Votum tenetur, utpote libere ab ipso assumptum, tanquam medium ad evitandum periculum naufragii, pestis, mortis &c. ideo enim vovit, quia voluit vovere. Non fiunt certe hujusmodi Vota, sine deliberatione. Vovens est in sana mente; & quod vovet est ipsi gratum, & bonum, & sic illud adimplere tenetur, juxta illud Davidis: *Reddam tibi Vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in tribulatione mea*. Psal. 65.

Q. *Qualis ergo metus irritat Votum?*

R. Omnis metus gravis injuste incussus a causa extrinseca, seu libera ad extorquendum Votum. V. G. Pater habens Filium Novitium, minatur quod si ad sæculum redeat, eum amplius non recognoscet in filium; nec recipiet in domum paternam; nec alimenta ei subministrabit: vel quod sit ipsum occisurus, ni professionem faciat &c. Professio ejus nulla est, defectu libertatis. Jus Canonicum irritat similia Vota, facta per violentiam, nec Deus ipse ea acceptat, ne occasionem præbeat injustæ coactioni.

Secus dicendum, si metus filio non fuerit a Patre incussus, ad extorquendam ab ipso professionem, seu ut tria Vota Religionis emitteret; sed ad alium finem; ut si minatus fuerit mortem, quia Filius, priusquam e patria & cognatione sua exiret, Religionemque intraret, ipsum graviter offendit, Matri injuriam intulit, familiæ bona dissipavit, vel aliquod aliud malum commi-

sit & valide Filius professus est, cum a nemine compulsus fuerit ad faciendam professionem: metus ipsi incussus dici non potest causa professionis, sed tantum occasio, prætulit enim Vota vovere in Religione; quam ad patriam domum redire, quod in ipsius bonum cadit.

Q. *Quid est metus, & quotuplex?*

R. Metus est mentis trepidatio, instantis vel futuri periculi causa.

Duplex est. *Gravis & justus*, seu cadens in virum constantem: hoc est, qui hominem, & si constantem & fortem, ita movet, & concutit, ut invitus aliquid agat quod sponte non ageret: ut, si timens mortem, det latronibus aggredientibus pecunias, vel Religionem profiteatur, quam deserere intendebat.

Hic metus irritat professionem ob rationes dictas; ita declaravit Concilium Tridentinum, concedens prætendentibus se per vim, & metum professionem emisisse, *quinquennium ad reclamandum*, contra validitatem professionis:

Metus levis & injustus, est dum, minus est malum & incommodum, quod ex metu timetur, & dicitur cadere in virum incostantem & meticulosum seu timidum; ut si malum quod timetur, ponderatis circumstantiis, *prudentum judicio* non sit grave, vel quia qui illum incutit non est satis potens, nec solitus minas exequi: vel quia periculum non est præsens; non enim sufficit suspicari eum inferendum: nam metus dicitur, quia mentem tenet de præsenti, non de futuro, ut habet glossa, ad cap. *ad audientiam* &c. Et hic metus non invalidat Vota ex eo facta.

Q. *Quid est metus reverentialis?*

R. Metus reverentialis est, quo Filius, V. G. ex reverentia naturali quæ debetur parentibus, adjunctis istorum minis, timet eos offendere.

Q. *Hic metus reverentialis irritat ne Religiosi professionem?*

R. Ita. Professio est ipso jure irrita; quia Filius libere non consentit in professionem, sed invite.

Tamen, ut metus reverentialis invalidet professionem, nonnulla requiruntur, ut periculosæ minæ; importunæ persuasiones, tractationes asperæ; negatio victus & amictus juxta statum familiæ; objurgationes, & similia. Istis concurrentibus, non consentit Filius in professionem, sed simulat: & cum non adest verus consensus se obligandi Deo in statu Religioso, vera professio non datur.

Nec refert quod ea quæ ex *metu fiunt sint simpliciter voluntaria*, & involuntaria solum *secundum quid:* quia ad Religiosam professionem Sacri Canones requirunt *omnimodam & plenam libertatem*, cap. *præsens Clericus* 20. quæst. 3. ad occurrendum infinitis malis, quæ ex actibus per metum gestis oriebantur. Et forsan consideraarunt etiam actum per injuriam extortum non debere ei favere, qui vim intulit.

Q. *Tridentinum concedit, ut dictum est, quinquennium ad deducendas rationes pro nullitate professionis.* Petrus tempore isto non relamavit sed Professorum actus exercuit, imo Sacros Ordines, *titulo paupertatis Religiosæ* suscepit, *censeturne ratificasse professionem?*

R. Distinguendum est. Si causa metus adhuc perseveret, non censetur professionem ratam habuisse, etiamsi per quinquennium non reclamarit, & actus Professorum exercuerit, sacrosque ordines susceperit.

Cum enim a principio, libere non consenserit in professionem, ratione metus, quandiu durat causa metus, verus consensus requisitus deesse semper censetur.

Quapropter alleganti justum impedimentum reclamandi intra quinquennium, conceditur restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii, ut factum fuit Religioso cuidam Anconitano, a Sacra Congregatione anno 1664.

quamvis suscepisset Sacros Ordines in Religione, adhuc tamen durante metu. *Pignat. Tom. 9. consult.* 173. *n.* 79.

Cessante vero causa metus, ut quia Pater metum infligens statim post professionem mortuus est, si perseveret Filius sine reclamatione, & pacifice vivat in Religione, præsumitur professionem ratificasse; maxime si notitiam habens *causam metus defecisse*, in exercitiis Religionis per annum se occupaverit: quoniam tunc, *præsumptione juris*, tacita professio inducitur, ut pluries declaravit Sacra Concilii Tridentini Congregatio.

Q. *Si Votum sit actus Religionis soli Deo debitus, cur ergo tot Vota fiunt Beatæ Mariæ Virgini, Sanctis, imo & superiori ipsi, ut videre est in formula nostræ professionis?*

R. Verum quidem est, quod in dicta formula habeantur hæc verba: *Ego Frater N. voveo & promitto Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Francisco, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ &c.* ubi Votum æqualiter uni ac alteri factum videtur: attamen, *ad Deum solum*, reipsa, *dirigitur*. Beata Virgo, Sanctus Franciscus, & Superior, ibi nominantur, quia vovens ipsos in testes assumit, se adimpleturum quod Deo promisit.

Q. *Si quis promittat Beatæ Virgini recitare Rosarium tali die, Beato Francisco visitare suum sepulchrum &c. nonne vere vovet?*

R. Talis, verum emittit Votum, non quia præcise promittit B. Virgini, B. Francisco; sed quia virtualiter Deo factum censetur in honorem talium Sanctorum, ut scilicet suis suffragiis, nobis impetrent, id quod a Deo exposcimus, & expectamus, juxta communem acceptionem Ecclesiæ: sicut quando ipsis ædificamus templa, & altaria.

Duæ considerandæ sunt, in hoc casu promissiones, una facta Beatæ Virgini Mariæ; altera facta Deo.

Prima, non est proprie Votum, sed materia Voti.

Secunda est Votum, quia est promissio virtualis Deo facta, recitandi Rosarium, in honorem B. Mariæ Virginis, juxta promissionem ei factam.

Q. *Quæ requiratur materia Voti?*

R. Materia Voti plures includit conditiones.

1. Debet esse *possibilis*. Ad impossibile enim nulla est obligatio.

2. Debet esse *res Deo grata*. Unde Votum de re vana, indifferenti, *manente in sua indifferentia*, hoc est, nisi ex circumstantiis, aut fine fiat bona, est nullum.

3. Non solum res debet esse bona, sed *melior quam ejus oppositum*, vel ejus omissio, ut jam dictum est.

Finis intrinsecus Voti est, ut per ipsum honoretur Deus: id autem fieri nequit, dum relinquitur, id quod melius est.

Q. *Votum de ineundo Matrimonio, estne validum?*

R. Etsi Matrimonium in se sit opus bonum, utpote Sacramentum, non tamen est materia Voti, nec Votum de eo contrahendo, gratum Deo esse potest, cum sit impeditivum majoris boni, nempe castitatis perpetuæ.

Aliud foret, si non posset quis vitare incontinentiam, seu frænare concupiscentiam, nisi per Matrimonium. In tali casu; promissio esset grata Deo, & Votum obligaret, quia esset de *meliori bono*, juxta Apostolum. *Melius est nubere, quam uri*.

Q. *Petrus vovet de non lavando cabut, manus, de non eundo ad Ecclesiam per talem plateam, de non intranao talem domum, de non bibendo aut manducando cum talibus personis, de nihil ab eis acceptando &c. recte ne facit?*

R. Talia Vota sunt ridicula & inutilia. Ratio est, quod Votum, *ut dictum est*, debeat esse de re accepta Deo; nullum autem opus est ei gratum, nisi sit

virtuosum, seu actus virtutis, uti non sunt illa vana, & futilia. Imo Votum quodcumque simile est peccatum veniale, *quia displicet Deo stulta promissio*, Eccl. 5.

Meminisse oportet nos dixisse superius rem indifferentem, manentem scilicet in sua indifferentia, non esse materiam Voti: Si enim addatur aliqua conditio, quæ rem trahat ad speciem virtutis, Votum tenet: ut V. G. si quis voveat se non iturum per talem plateam, non intraturum hanc domum; quia ibi adest periculum peccandi: non manducaturum, non bibiturum, non permansurum in consortio talium personarum, vel quia male loquuntur de absentibus, vel quia provocant ad intemperantiam &c. Similiter siquis voveat se nihil ab aliquibus acceptaturum, nec cibum, nec potum, nec aliam rem, quia inde sumunt occasionem postea nocendi, injuriose exprobrandi, & calumniandi &c. talia Vota in circumstantiis enarratis valida sunt, & Deo grati, utpote motivo charitatis elicita, ad evitandum periculum peccati in se, & in aliis.

Q. *Aliquis vovit rem bonam ob malum finem, V. G. dare eleemosinam, ut ei prospere succedat in furando: estne validum illud votum?*

R. Non solum est invalidum, sed peccaminosum. Ratio est, quia opus bonum relatum ad malum finem, est formaliter malum, & Deo injuriosum. Unde erogare eleemosynam in casu supposito, *est actio blasphema*, quasi Deus peccata promoveat. Cum igitur esse non possit materia Voti, nullam obligationem inducit.

Q. *Potestne fieri Votum de re præcepta?*

R. Ita. Sic potest quis emittere votum non occidendi, non furandi, non detrahendi proximo, non calumniandi, non mentiendi, & alia opera faciendi, vel omittendi, ad quæ prius tenebatur vi præcepti Decalogi. Sic non raro videmus quosdam vovere castitatem, abstinere ab omni immunditia, & tamen lege naturali, & positiva, tenebantur caste vivere: Gratum enim Deo est, quod quis in ejus obsequium multiplici vinculo se adstringat.

Q. *Quot peccata committit, qui vovit rem, alias præceptam, si votum transgrediatur?*

R. Duplex peccatum mortale. Unum contra præceptum: & aliud contra votum. Vel est unum mortale duobus æquivalens, ratione duplicis obligationis, vel ratione novi gradus obligationis in eadem specie: Unde Pœnitens, in Confessione aperire tenetur non tantum peccatum commissum, sed etiam ipsam voti circumstantiam.

Nec refert, quod fur duplex peccatum non committat, licet duplex præceptum transgrediatur: naturale, scilicet, & positivum. Disparitas enim est, quod in hoc casu præceptum positivum sit solum explicatio præcepti nuturalis, *de non faciendo alteri, quod sibi quis fieri non vellet*, nec addit novum gradum obligationis, ut in vovente rem præceptam.

Q. *Quo tempore adimplendum est votum?*

R. Hoc dependet ab intentione voventis; juxta illud; *Quod semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate locutus es, ex ore tuo*. Deut. 23.

Vel vovens determinavit tempus, vel non. Si primum, V. G. jejunare die proxima Veneris, in honorem Passionis Jesu-Christi, non potest ultra illum diem jejunium differre sine peccato; etiam si statuat in corde suo jejunare die Sabbati: Et elapso die Veneris ad nihil amplius obligatur.

Si vero tempus non determinavit; V. G. dare talem summam pecuniæ pau-

peri-

peribus, visitare Sanctam domum Lauretanam jejunare semel in mense: tenetur votum adimplere, cum commode primum potest: hoc est data temporis opportunitate & occasione, juxta prudentis arbitrium.

Quod si absque rationabili causa nimium differat, peccabit plus vel minus, prout major aut minor erit dilatio temporis: & colligitur ex citato textu: *Cum Votum voveris Deo tuo, non tardabis reddere... Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*, Deut. 23.

Q. *Quidam vovit jejunare crastina die*, propter corporis mortificationem: *potestne*, *sine gravi culpa*, *jejunium differre usque ad diem sequentem*?

R. Videtur quod sic: quia idem præstatur Deo, & eadem habetur corporis mortificatio, si jejunet die martis, ac si jejunaret die lunæ; nec Sanctus ullus, nec ullum, seu Christi, seu Beatæ Mariæ Virginis mysterium, aliquo privatur honore, sicut quando vovit jejunare *die Veneris*, ob Salvatoris Passionem.

Deinde dilatio unius diei in præsenti casu, exigua moraliter reputatur: & sicut solutio debiti dilata per unum diem, parvam, aut nullam injuriam facit creditori, *ordinarie loquendo*, ita & adimpletio voti per respectum ad Deum.

Q. *Potestne qualibet persona vovere*?

R. Ita: Omnis homo, usum rationis habens, est voti capax. Qui autem sunt impotes rationis ut pueri, amentes, furiosi votum emittere non possunt, quia carent libertate requisita, quæ tanta esse debet, ut sufficiat ad peccatum mortale committendum.

Excipitur votum Religionis, quod invalidum est ante decimum sextum ætatis annum completum: Item, si ante annum probationis integrum emittatur; quia Concilium Tridentinum reddit inhabiles tam masculos, quam fœminas, ad solemniter vovendum ante illud tempus.

Q. *Possuntne etiam Religiosi, servi, & alii qui non sunt sui juris, vota simplicia emittere*?

R. Nulla lege hoc prohibetur, dummodo statuit eorum non repugnent, & non sint impeditiva aliorum exercitiorum, ad quæ tenentur vi conditionis assumptæ. Bonum enim opus faciunt vovendo, cum votum sit actus virtutis, & Religionis &c.

Tamen, ut vota subditorum teneant, accedere debet consensus superiorum, explicitus, aut implicitus, cum sub hac conditione facta esse censeantur. Unde si contradicant superiores, vota irrita sunt, nec alia requiritur causa. Si tamen hæc vota semel ab ipsis approbata sint, non possunt amplius consensum revocare: Eorum vero successores, quibus Religiosi omnes, *pari jure* subjacent, ac prædecessoribus, possunt vota irritare, ni novum ipsi etiam præbeant consensum.

Q. *Estne consultum vota facere*?

R. Certe. Quia votum, ut toties diximus, est actus Religionis, per quem Deus colitur & honoratur. Esse consultum vovere, inde etiam patet, quod Deus ipse ad vovendum nos stimulet: *Vovete & reddite Domino Deo vestro*, Psal. 75. *Vota vovebunt Domino, & solvent*, Isaiæ 16.

Q. *Opus factum ex Voto estne melius, & magis Deo gratum, quam opus liberum*?

R. Indubitatum est, & convenire oportet, opus virtutis, *ex voto factum* præstantius esse, quam si fieret sine voto. Ratio est.

1. Quod tale opus, singulari quadam ratione ad Dei cultum referatur.

2. Quia, bonum opus *ex voto factum*, duplicem habet honestatem, virtutis, & Religionis, ergo prævalet operi

peri libero unicam tantum habent honestatem.

3. Quia, qui vovet aliquid & facit, plus Deo tribuit, quam ille qui solum facit. Etenim hic præter actum, dat etiam voluntatem, obligando se ad nunquam oppositum faciendum, nec opus omittendum: sicut, plus daret homini, qui daret arborem cum fructibus, quam qui solum fructus offerret.

Deinde, si peccatum hominis voto adstricti, gravius est peccato hominis liberi, ratione sacrilegii quod ultra peccatum comittit, pariter actus virtutis ejusdem hominis Deo dicati, melior esse debet, quam actus hominis liberi.

Quod si aliqui Sancti Patres dixerint, *ut fertur*, *non esse bonum vovere &c.* intelligendi sunt, quando vota illa sunt impeditiva majoris boni: Ut si Religiosus vovisset aliquod opus incompatibile, cum assistentia in Choro, vel cum observantia jejuniorum Regulæ &c.

Q. *Quid ergo respondendum Apostolo dicenti*: Non ex necessitate: Hilarem enim Datorem diligit Deus, 2. *Corinth. 9.*

R. Dicendum, necessitatem quam votum imponit, non esse violentam, & coactam, sed voluntariam, libereque & ex majoris erga Deum affectus impulsu, assumptam; adeoque ipsi gratissimam. Nec vovens *invitus*, *&* *dolens*, sed potius gaudens Deo se consecrat, ut significatur per hæc Verba. *Lætatus est populus cum vota sponte promitterent, qui corde toto offerebant ea Domino*, 1. Paralip. cap. 29. Voventem igitur ut datorem *magis hilarem*, magis diligit Deus.

Verum quidem est, quod ordinarie hominibus placeant magis dona gratuita, quam debita. Deo tamen, qui non utilitatem suam, ut homines; sed suam gloriam spectat, quæ augetur per actum, duplici motivo factum, virtutis & Religionis, magis placent, & gratiora sunt ipsi dona ex voto oblata.

Q. *Qui vovit Religionem, estne liber a voto, si non recipiatur?*

R. Si vovit se Religionem intraturum simpliciter, nullam determinando, volens mundum deserere: Si in una non admittatur, debet aliam perquirere. Non tamen necesse est ut orbem percurrendo, omnes Religiones adeat; sed sufficit ut attentis circumstantiis, ad aliquot loca, non nimis dissita se conferat, ut votum suum possit adimplere.

Si vero vovit hanc determinatam Religionem, V. G. *Fratrum Minorum Conventualium*, tenetur adire aliquot ejus monasteria, pro ut vir prudens, de eorum numero, vel distantia judicaverit. Si autem denegetur ipsi ingressus, est liber a voto.

Idem dicendum de eo qui vovit ingredi speciale hoc monasterium; propter regularem observantiam, quæ ibi viget; vel propter aliquod aliud devotionis motivum, si in eo non recipiatur: quia tunc materia voti facta est ipsi impossibilis, & in voto, quod emisit, sub intellexisse censetur, si me receperint, a voto omnimode liberatus censendus est.

Q. *Estne etiam liber a voto, qui ingressus Religionem; ab ea recedit?*

R. Si justis de causis exeat, voto satisfecit, nec tenetur aliam intrare. Ratio est; quia vovens ingressum Religionis, non aliud intendit quam probare in Monasterio, utrum Religio sibi conveniat nec ne; ut faciunt communiter omnes Novitii. Ubi ergo sibi disconvenientem reperit, & ad suam salutem nullatenus conducere; vel quia sanitate, talentis, qualitatibus, viribusque caret, ad onera Religionis ferenda, vel ob alia quæcumque justa motiva; potest libere eam deserere, & in sæculo manens nubere si velit, quia voto amplius non ligatur.

Q. *Quid si ab ea ejiceretur ob depravatos mores?*

R.

R. Cum, *sua culpa*, effecerit, ut expelleretur, non adimplevit id quod Deo promiſſit, nec eſt liber a voto: quandoquidem votum ingrediendi Religionem non tantum obligat ad ſumendum Religionis habitum; ſed etiam ad perſeverandum in ea, ubi probata placuerit, aut conveniens fuerit.

Unde tenetur ſe emendare, defectus corrigere, & omnem adhibere conatum ut iterum recipiatur. Quod ſi conſtanter reingreſſus ei denegetur, abſolutus eſt a voto, cum ejus adimpletio facta ſit illi moraliter impoſſibilis, nec amplius per ipſum ſtet, dummodo correctus, ut ſupponitur, & obedire paratus ſit, qui voto ſuo ſatisfaciat.

Q. *Quot modis ceſſare poteſt obligatio voti?*

R. Quatuor. Primus eſt, quando accidit tanta mutatio rerum; quæ ſi fuiſſet prævisa, votum non fuiſſet emiſſum: ut ſi res promiſſa, ante honeſta, fiat turpis, vel majoris boni impeditiva, vel impoſſibilis phyſice, aut moraliter: Sic, qui vovit jejunare diebus Veneris totius anni, ſuperveniente gravi infirmitate, jejunandi obligatio ceſſat.

Secundus modus, eſt voti commutatio, quæ conſiſtit in ſubſtitutione operis honeſti, in locum alterius per votum promiſſi, eadem obligatione remanente. Hæc commutatio, ſi fiat in melius, fieri poteſt propria auctoritate voventis. Et hoc colligitur ex Cap. *Pervenit*, de Juram. ubi habetur: *promiſſum non infringi ab eo, qui in melius illud commutat*.

Ratio eſt: quia commutans votum in melius, nullam facit Deo injuriam, rem illi gratiorem exhibendo. V. G. Voviſti Calicem Argenteum, libere potes commutare in aureum.

Q. *Quid ſi vovens vellet commutare votum in æquale bonum, poſſetne hoc facere, propria actoritate?*

R. Communior ſententia eſt, id fieri non poſſe.

Ratio eſt; quia non poteſt aliud pro alio ſolvi, niſi conſtet de conſenſu creditoris: at Deus conſentire non videtur, ut recedatur ab obſequio ſibi per votum præſtito, pro libitu voventis, etiam ſi aliud æquale offeratur; quin potius cenſetur velle ut votum in determinata ſpecie fideliter reddatur.

Unde recurerndum eſt, in tali caſu, ad eum, qui poteſtatem habet vota commutandi.

Q. *Qui ſunt reliqui modi quibus ceſſare poteſt obligatio voti?*

R. Tertius eſt voti *irritatio*, cum ſcilicet ejus obligatio tollitur ab eo, qui poteſtatem habet ſuper voventis voluntatem, vel ſuper voti materiam.

Nullus enim ſubditus, ſe voto obligare poteſt in iis, in quibus alteri ſubeſt, ut ſunt Religioſi, ſervi, filii familias, uxores quantum ad ea, quæ uſum conjugii, & familiæ adminiſtrationem concernunt. Et dum vovent, ſemper ſubintelligitur, *ſi ſuperiores conſenſerint, aut non contradicant*.

Cum irritare vota ſubditorum ad dominativam poteſtatem ſpectet, nulla requiritur cauſa, ſed ſufficit ſuperioris voluntas. Subditus enim non poteſt voto ſuperiorem ligare.

Quartus modus, eſt diſpenſatio, *quæ eſt abſoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta*. Unde diſpenſare in voto nihil aliud eſt, quam, *nomine Dei* condonare obligationem voti, quam vovens erga Deum vovendo contraxerat.

Differt autem diſpenſatio ab *irritatione*, quod hæc requirit poteſtatem dominativam; iſta vero poteſtatem juriſdictionis: illa eſt valida, etiamſi fiat ſine juxta cauſa, *Diſpenſatio* vero ad ſui valorem, probabilius requirit juſtam cauſam; qualis eſt bonum Eccleſiæ, vel commune Reipublicæ, vel notabilis difficultas in voti obſervatione.

Hiusce rei ratio est, primo quia potestas dispensandi Prælatis data est *in ædificationem, & non in destructionem*, uti esset, si absque ulla ratione possent, pro libitu, ea uti.

Secundo quia Prælati sunt æconomi in Ecclesia Dei. Si autem Æconomus debita Domini remitteret *sine causa*, illa remissio esset nulla, & simul peccatum: ergo similiter &c.

Q. *Quinam habent auctoritatem dispensandi in votis?*

R. *Papa* habet in totam Ecclesiam, respectu omnium Fidelium. *Episcopus* pariter in sua diecæsi: non vero Parochus, qui habet tantum jurisdictionem fori interni. Similiter hanc auctoritatem habent ii omnes, qui jurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem habent, ut sunt superiores Religionum respectu suorum subditorum.

Hi omnes dispensare possunt in votis simplicibus, Papæ non reservatis.

Q. *Quot, & quænam sunt vota Papæ reservata?*

R. Quinque enumerantur, in quibus nec Episcopi, nec Prælati Religionum dispensare possunt. Nimirum.

1. Votum Castitatis perpetuæ.

2. Religionis approbatæ.

3. Peregrinationis ad Limina Sanctorum Apostolorum Romæ.

4. Ad Sanctum Jacobum in Compostella.

5. In terram Sanctam, seu in Jerusalem.

Hæc vota esse Papæ reservata colligitur, ex Extrav. *Et si Dominici*, de penit; & remiss. Ubi fertur excommunicatio contra eos, qui, sine summi Pontificis facultate, ista vota, commutant.

Qui plura vult de voto, legat Summistas pro Tronibus.

Quæ hic dicta sunt, pro Tyronibus satis esse credimus.

DE STATU RELIGIOSO.

Q. QUid est Religio?

R. Omissis hujus vocabuli variis significationibus, Religio, de qua agimus & prout communiter accipitur in Ecclesia catholica; est status perfectissimus, quo quis per solemnem trium votorum, obedientiæ scilicet, paupertatis, & castitatis professionem, perpetuo se Deo offert, & totaliter divino cultui, atque servitio mancipat, in aliquo ordine approbato.

Q. *Cujus est Religiosorum ordines, seu regulas approbare?*

R. Licet olim fuerint plures Religiones, a solis Episcopis approbatæ; aut eorum conniventia erectæ, ut sunt Religiones Sanctorum Basilii, Augustini, Benedicti, quæ tamen fuerunt postea, a Conciliis, & Pontificibus confirmatæ, *Concilium* Lateranense sub *Innocentio III.* celebratum, anno 1216. considerans nimiam Religionum diversitatem in Ecclesia Dei confusionem parere posse, statuit, ne deinceps nova Religio induceretur: & quod qui voluerit ad Religionem converti, unam de jam approbatis assumeret.

Hoc decretum repetitum, & denuo confirmatum fuit in *Concilio* Lugdunensi sub *Gregorio X.* his verbis: *Districtius inhibemus ne quis novum Ordinem, aut Religionem adinveniat, vel habitum novæ Religionis assumat*. Et post pauca, *Cunctas affatim Religiones, & ordines Mendicantes, post dictum* Concilium Lateranense, *adinventos, qui nullam Sedis Apostolicæ confirmationem meruerunt, perpetuæ prohibitioni subjicimus, & quatenus præcesserant, revocamus*.

Merito igitur Religionum approbatio, Sedi Apostolicæ, reservata est.

Primo, quia cum Religio sit com-

munitas Sacra, in qua debet eſſe aliqua ſpiritualis juriſdictio, congruum eſt, ut talis communitas a Summo Pontifice approbetur, a quo omnis ſpiritualis juriſdictio emanat.

Secundo, Cum Religionum novitas, & diverſitas, ut dicunt Concilia laudata, in Eccleſia Dei confuſionem creare, indeque nociva facile eſſe poſſit, non mirum ſi earumdem approbatio, ut aliæ cauſæ majores, Pontifici ſoli reſervata ſit.

Q. *Quænam eſt hujus vocabuli ethimologia, ſeu unde derivatur Religio*?

R. Quantum ad Etymologiam hujus nominis, derivatur Religio a Verbo Latino *religo*, id eſt iterum me ligo. Et revera ſicut Chriſtianus per Baptiſmi ſuſceptionem obſtringit ſe ad Legem Evangelicam, quam pro conſequenda ſalute eligit ſervandam: ita Religioſus, per ſuam, in Ordine approbato profeſſionem, trium votorum vinculis quaſi de novo ſe ligat, ut cum Deo iterum atque iterum conjungatur: eligitque ſervare ſui Fundatoris Regulam, tanquam medium efficacius ad mandata Dei obſervanda, & ad deſideratam æternam Beatitudinem adipiſcendam.

Q. *Religioſus habetne aliud nomen*?

R. Plura ſortitur diverſa nomina. Dicitur *Religioſus*, ob rationes dictas: ſed ultra hoc, Monachus, Frater, Regularis, Clauſtralis appellatur.

Q. *Quodnam eſt iſtorum vocabulorum ſignificatum*?

R. *Monachus*, derivatur a verbo Græco *Mónos*, quod interpretatur ſolus, ſeu ſolitarius: indicans Religioſum debere amare ſolitudinem, fugere hominum conſortia, ſtare in cella orando, cœleſtia meditando, peccata flendo, quia foris eſt quaſi piſcis extra aquam, multis peccandi expoſitus periculis, juxta communes ſequentes verſiculos.

Cella quaſi Cœlum tibi ſit, ubi cœlica cernas.
Hic ores, ſtudeas, mediteris, crimina plangas.
Pax eſt in Cella, foris ſunt plurima bella.

Q. *Quis igitur cenſendus eſt proprie Religioſus*?

R. Ille qui emiſſis tribus votis ſolemnibus, in aliqua Religione approbata vivit, ibique abjectis hujus ſæculi curis, & *perfectionis impedimentis*, propriaque abnegata voluntate, & carnis oblectamentis, ad id ſolum incumbit, ut *perfectionem aſſequatur*, Deoque perfecte ſerviat.

Q. *In quo conſiſtit perfectio illa Chriſtiana*?

R. In charitate, ſeu dilectione Dei ſuper omnia, per quam homo, quoad fieri poteſt unitur Deo, juxta illud: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*, 1. Joann. cap. 4. Quæ charitas, ſeu amor, ſecundum Apoſtolum, *eſt vinculum totius perfectionis*, Ad Colloſ. c. 3.

Q. *Unde ſcimus* Obedientiam, Caſtitatem, & Paupertatem *conducere*, *ſeu eſſe media ad perfectionem Chriſtianam*?

R. Ex declaratione ipſiuſmet Jeſu Chriſti.

Primo. De voluntaria paupertate loquens cuidam adoleſcenti quærenti, quid ſibi deeſſet, poſt obſervantiam mandatorum? Reſpondit: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus. Veni, & ſequere me*. Matth. 19.

Secundo. Volens benignus Salvator provocare quoſdam ad perfectionis ſtatum: *ſunt Eunuchi*, inquit, *qui ſe caſtraverunt propter Regnum cœlorum*, ib. Quæ verba non litteraliter, ſeu corporaliter intelligenda ſunt, ut Origenes, & alii quidam perperam intellexerunt; ſed ſpiritua-

ritualiter, interdicendo sibi omnes carnales delectationes. Et sic illis verbis demonstravit Christus necessitatem continentiæ, pro statu perfectionis consequendo.

Tertio, Tandem Discipulis suis, propriæ voluntatis abscegationem, tanquam aliud medium, ad perfectionem perveniendi multoties proposuii, dicens: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum; tollat Crucem suam, & sequatur me*, Matth. 16. Luc. 9. quod fit per *Obedientiam*, per quam mactatur, & Sacrificatur propria voluntas, quod Sacrificium est necessarium ad hoc ut Christum *expedite* sequi possimus: ac proinde ad statum perfectionis adipiscendum, consistentem, ut dicimus, in intima conjunctione cum Deo, quæ facilius, & firmius fit, mediis istorum consiliorum adminiculis.

Q. *Quomodo tria illa vota auferunt perfectionis impedimenta?*

R. Imprimis *Voluntaria paupertas*, qua quis renunciat omnibus quæ possidet, destruit amorem bonorum temporalium perfectæ charitati contrarium. Summus enim Dei amor non patitur ut cum eo aliquid amemus, juxta Augustinum dicentem; *Minus Domine te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat*, Lib. Confess. 10. cap. 29. Impedimentum igitur hoc diligendi Deum, uti convenit, aufertur per votum paupertatis.

Secundo. *Castitas*, *seu Continentia* præscindit omnes carnales delectationes, quæ propter maximam earum vehementiam perfectioni charitatis maxime adversantur. Blandimenta enim fœminea, sollicitudines, curæ, & anxietates familiæ, hominem retrahere, atque retardare, ne totaliter feratur in Deum, quis non videt, cum dicat Apostolus: *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, & quomodo placeat uxori, & divisus est*, 1. Corinth. cap. 9.

Tertio; *Obedientia* tollit innumera proprii, judicii propriæque voluntatis nocumenta. Facit enim ut expeditius Christum sequamur, & imitemur, *qui factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Ad Philip. 2.

Q. *Status Religiosus exigitne absolute, ut qui Religiosi fieri volunt, voveant obedientiam, paupertatem, & castitatem?*

R. Est absolute necessarium. Quia status Religionis, status perfectionis est: qui vero statum dicit: firmam obligationem permanendi in his, quæ sunt essentialiter annexa eidem statui confitetur: quæ firmitas haberi cum non possit nisi per votum, recte concluditur vivere in obedientia, castitate, & sine proprio cadere sub voto.

Q. *Cur ergo Christus, agens de rebus ad perfectionem conducentibus nullam Voti fecit mentionem?*

R. Verum quidem est quod Adolescenti quærenti perfectionis viam, seu quid agendum ipsi superesset ut perfectus efficeretur, non insinuaverit aperte Christus faciendum esse votum bonis temporalibus perpetuo se spoliandi; intelligendum tamen reliquit, cum dixit: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. De eo enim quod venditur, & quod postea egentibus porrigitur, Dominium a se abdicatur; nec pro libitu, & ad revocationem usque, sed pro semper exhibetur. Idem præstant Religiosi per votum paupertatis.

Ita discurrendum de Obedientia, & Castitate.

Quando Christus Consilium dedit de Obedientia iis qui ad perfectionis culmen ascendere peroptarent, nimis clare intelligendum præbuit non esse præstandam pro certo dierum numero, sed irrevocabiliter, dicens: *Abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me*.

Quæ verba non temporalem, sed perpetuam sequelam insinuant.

De Castitate pariter nullum esse potest dubium, quod debet esse perpetua. Eunuchi qui fiunt ab hominibus, non ad certum tempus castrantur, sed perpetuo. Idem facere debent ii, *qui seipsos castraverunt propter Regnum Cælorum*.

Quamvis ergo Obedientiæ, castitatis, & paupertatis in Religionibus fieri votum, non habeatur expresse in Evangelio; habetur tamen implicite; & plusquam dilucide, ex verbis Christi, colligitur.

Q. Potestne Papa in his votis dispensare?

R. Sanctus Thomas, & quampluri mi ejus discipuli credunt Pontificem non posse dispensare, cum vota illa secundum ipsos sint intrinseca & essentialia Religioni: essentiæ autem rerum sunt immutabiles.

Conveniunt quidem Papam posse dispensare in voto continentiæ Ordinis Sacri, quia continentiæ votum non est essentialiter annexum Ordini Sacro, ut patet apud Græcos, sed ex instituto Ecclesiæ. Est autem essentiale statui Religionis.

Concedunt ulterius Papam disponere posse in voto Castitatis *simplice*; quia in eo tantum est promissio sine sui traditione in voto autem solemni est absoluta, & totalis traditio, & acceptatio a Superiore *Nomine Dei*, qua de causa dirimit matrimonium, non ex statuto Ecclesiæ, sed jure naturæ, & Divino.

Hinc concludunt non posse Pontificem in ullo casu, etiam *communis utilitatis, & necessitatis alicujus Regni*, dispensare in voto solemnizato per professionem Religionis.

Sententiam suam corroborant per decretalem Innocentii, in cap. *Cum ad Monasterium*, dicentis: *Abdicatio paupertatis sicut etiam custodia castitatis, adeo annexa est Regulæ Monachali, ut contra eam nec* Summus Pontifex *posset indulgere*.

Quid clarius, inquiunt, dici ullo modo potest?

Q. Quæ est ergo super hoc punctum probabilior sententia?

R. Sententia Scoti huic opposita magis fundata videtur. Unde, cum Subtilissimo nostro Doctore, licebit mihi dicere, posse Pontificem dispensare in votis solemnibus, *ex gravi causa*. Non quidem efficiendo ut *Religiosus*, manens *Religiosus*, dominium temporale acquirat; uxorem ducat, & sui reddatur juris, id est ab obedientia superioribus promissa, & debita absolvatur: quia status Religiosus revera subsistere non potest sine sua forma essentiali; cujusmodi fatemur esse tria ista vota solemnia: sed efficiendo ut Religiosus desinat esse *Religiosus*, semita & tunc a superiore acceptatam. Quo casu posset corpus suum alteri tradere per matrimonium.

Et sic intelligendus est textus allegatus *Innocentii*: non posse scilicet Papam dispensare cum Monacho, *manente Monacho*, ut uxorem ducat, licet possit facere ex Monacho non Monachum.

Deinde, si quid impediret quominus posset Papa dispensare, foret ratione *solemnitatis votorum*, quam credunt Thomistæ, *jure divino*, votis istis annexam.

At solemnitas ista, consistens in hoc quod reddat voventem inhabilem ad certos effectus, v. g. ad matrimonium contrahendum &c. *non ex natura voti oritur*, sed ex instituto Ecclesiæ: quod patet ex cap. *unico*, de voto, & voti redemptione, in 6. ubi *Bonifacius VIII.* expresse dixit: *voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa*.

Potest igitur Pontifex dispensare, cum id facere valeat in omnibus quæ sunt de jure Ecclesiastice.

Q.

Q. Numquid bene sequitur, Papa non potest facere ut Sacerdos desinat esse Sacerdos; *ergo pariter nequit facere ut Religiosus professus* desinat esse Religiosus?

R. Non currit paritas. Differentia enim est notabilis inter Sacerdotem, & Religiosum. Consecratio Sacerdotis fit per impressionem caracteris indelibilis: non item consecratio Religiosi. Unde non mirum si unum possit Papa, aliud non.

Q. *Cur dixisti inhabilitatem ad contrahendum Matrimonium, non oriri ex natura voti?*

R. Quia Religiosus per professionem, non abdicat dominium quod habet in corpus suum, quantum ad contractum conjugalem; sed solum promittit Deo, illud custodire, & conservare castum: Unde professio Religiosa, *non ex se*, sed ex instituto Ecclesiæ, matrimonium dirimit.

Q. *Dispensaruntne aliquando Pontifices, in votis Religionis?*

R. Certe; pluries usi sunt hac sua potestate.

Primo. Refert Sanctus Antoninus Papam dispensasse cum *Constantia*, Filia Regis, Siciliæ Moniali professa, ut nuberet Frederico Imperatori. Aliqui dicunt, Henrico VI. ut Platina in vita *Cœlestini Papæ*.

Secundo, cum *Ramiro* Aragonum Rege, qui cum esset Monachus professus, & ejus pater sine liberis obiisset, solutus est votis Monasticis, ut uxorem duceret. *Annal. Hispan.*

Tertio, Cum *Casimiro primo*, Poloniæ Rege, & prius Monacho Diacono, in Monasterio percelebri Cluniacensi, in Galliis.

Tandem, Cum *Nicolao Justiniano*, Monacho professo dispensavit *Alexander III.* ut posset uxorem ducere, ne familia tam illustris extingueretur; ex qua susceptis sex filiis, & tribus filiabus, ad Monasterium rediit, miraculis postea clarus. *In vita S. Laurentii Justiniani.*

Quidquid dicant aliqui, prædictos nunquam fuisse veros Religiosos, sed tantum vitam Monasticam ad tempus *sine votis* duxisse, hoc est professione nunquam emissa. At hoc aliis discutiendum relinquimus.

DE AUCTORE STATUS RELIGIOSI.

Q. *Fueruntne in veteri lege, veri Religiosi:*

R. Licet fuerint homines Sanctissimi, & perfectissimi, non sequitur quod fuerit tunc temporis, vera & proprie dicta Religio, cum ea professione quam nunc habet, essentialiter nempe includens votum paupertatis, obedientiæ, & castitatis perpetuæ.

Ratio est, quod *nihil perfectum adduxit Lex*, Hebr. 7.

Potest quidem esse, quod aliqui ex Patriarchis, & Prophetis, vota supradicta emiserint: nullo tamen fundamento constat de aliquo particulari, multo minus de aliqua communitate integra.

Non diffiteor in Lege veteri præcessisse aliqua vestigia, Symbola, & figuras Religiosi status: nego tamen fuisse Religionem proprie dictam, instar scilicet earum, quæ pro nunc vigent in Ecclesia Dei; quidquid dicant *Carmelitani*, prætendentes, *Eliam*, *Eliseum*, *Filios* quosdam Prophetarum, *Nazaræos*, & *Essenos*, fuisse veros Religiosos.

Concedimus fuisse inter ipsos nonnullos qui castitatem, alios qui obedientiam, alios qui paupertatem, & forte aliquos qui has tres virtutes simul

mul observarint, sed nullibi clare constat, neque ex Scriptura, neque ex Sanctis Patribus primis, id fecisse ex *Voto*, ut erat necessarium ad statum Religiosum; Maxime cum Beatissima Virgo Maria, secundum Doctores, sit prima, quæ votum castitatis fecisse credatur.

Q. *Quis ergo est primus Auctor status Religiosi?*

R. Quoad *essentialia* Religionem constituentia, fuit *Dominus noster Jesus Christus*; quando Discipulos suos ad amplectenda tria Evangelica consilia exhortatus est, ut supra vidimus.

Quoad *accidentalia*, fuerunt ipsi ordinum Fundatores, ut Sanctus Pater *Franciscus S. Dominicus*, *S. Augustinus*, *S. Benedictus*, *S. Basilius &c.* quorum unusquisque secundum particularem Spiritus Sancti illuminationem, suis sequacibus certas Regulas ordinarunt, tamquam congruentissimos modos ad vota essentialia facilius observanda: ut sunt corporis macerationes, abstinentia, jejunia, orationes, disciplinæ, mendicitas &c. & alia multæ asperitates; quæ licet non sint de essentia Religionis, multum tamen conferunt ad votorum observantiam, & Ordinis conservationem.

Q. *Quinam fuerunt primi Religiosi*.

R. Sanctus Thomas dicit fuisse Discipulos, & Apostolos Domini nostri Jesu-Christi. Est enim communis opinio, inter Doctores, quod emiserint tria essentialia Religionis vota, quando relictis omnibus secuti sunt ipsum; & ita facere, exemplo suo, alios docuerunt.

Q. *Non est ergo status Religiosus purum inventum humanum?*

R. Hoc effutiunt hæretici, sed non sunt audiendi, cum immediate a Christo Domino institutus fuerit, laudatus, & approbatus, ut ex dictis constat &c.

Hoc vitæ genus non solum Apostoli, sed & multi Christiani in principio Ecclesiæ amplexi sunt; ut indicat Sanctus Lucas, his verbis: *Erat eorum cor unum, & anima una: neque quisquam eorum, qui possidebat aliquid, suum esse dicebat... Sed dividebantur singulis pro ut cuique opus erat*, Act. cap. 4.

Ex quo colligitur Fideles, in primitiva Ecclesia saltem, more Religiosorum vixisse.

Hic Religiosorum primarius status, diversimode per trecentos annos, & amplius propagatus, dilatatus, atque multiplicatus fuit: sed vicissitudine temporum, & retrigescente charitate, paululum a primitiva perfectione defecit: & tanto facilius, quo nullus erat uniformis vivendi modus. Unusquisque perfectiones Evangelicas conabatur adipisci pro suo genio, & capacitate.

Q. *Quis primus Religiosorum vitam ad meliorem formam reduxit?*

R. Aliqui dicunt fuisse *Sanctum Paulum primum Eremitam*: Alii verius asserunt fuisse *Sanctum Antonium Abbatem*, qui circa annum 350. tempore scilicet *Constantini magni*, Religiosos hinc inde in urbibus, & in Eremis dispersos, ad communem vitam, in eadem domo ducendam, & ab hominum consortio remotam allexit: pluraque Monasteria in Ægypto ædificavit; & multa Religiosa exercitia adinvenit, quibus Discipuli ejus assidue exercerentur. Et hac de causa Monachorum Pater habitus est.

DE

RELIGIOSORUM ORDINIBUS.

Q. QUot sunt Religiosorum Ordines?

R. Quamvis ad historicos hæc materia potius pertineat, quam ad nos: nihilominus, ut juvenes nostri, ad

quos hunc librum prevenire contigerit, aliqualem habeant Religiosi status notitiam, & pro quodam hujus opusculi ornatu, qui, & quot sint Monachorum Ordines, pro nunc in Ecclesia Dei referemus breviter, licet non omnes omnino: Id quod foret longum nimis enarrare, & forte tædiosum.

Quatuor principales Religiones recensentur, sub quibus cæteræ militant.

PRIMA RELIGIO.

Illa est, quæ dicitur *Sancti Basilii*, ab eodem instituta, sub *Constantino Magno Imperatore*, circa anhum 350. *vivente adhuc Santo Antonio Abbate*.

Quamvis jam fuerint Monasteria ædificata, directioni Sancti Antonii subjecta; nulla tamen erat constituta, atque determinata in scriptis, seu per scripta tradita Monachis Regula.

Sanctus Basilius, igitur sub *Felice secundo* Summo Pontifice, primus fertur dedisse Regulam in scriptis, Monachis; & pro eorum instructione, & gubernatione Sanctissima leges extruxisse, & ordinasse.

Hi Religiosi primi fuerunt qui votis ad Monasticam vitam perpetuo se adstrinxerunt.

Ejusdem Regulæ professores fuerunt viri Sanctissimi, & celeberrimi; Inter cæteros insignes fuere, SS. Ephrem Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Joannes Damascenus, Hieronymus, &c.

SECUNDA RELIGIO.

Est *Sancti Augustini*, ab eodem circa annum 390. fundata, sub *Syricio Pontifice*.

Duo fuerunt instituti Ordines, *Canonicorum*, *&* *Eremitarum*. Quinam prius liquido non constat. Disputant acerrime, inter se, utriusque Regulæ discipuli.

Canonici Regulares, ortum, & originem se trahere dicunt immediate ab Apostolis. Verum, cum eorum institutum, ab antiqua, & Apostolica perfectione recessisset, pristinæ integritati, ab *Augustino*, restitutum fuit.

Sed illa controversia non est hujus loci.

TERTIA RELIGIO.

Est *Sancti Benedicti*, qui sicut Basilius Orientalis Ecclesiæ; ita & ille fuit occidentalis Ecclesiæ Monachorum *Pater*, *&* *Patriarcha*, circa annum 500. sub *Symmacho Pontifice*.

Hic Sanctus vir, a nonnullis creditur institutum Sancti Basilii aliquam diu fuisse professum, pro eo quod Sanctus Gregorius ait, ipsum vitam Monasticam duxisse in altissima spelunca, quæ *Sublacus* dicitur, & in locum demortui Abbatis substitutum fuisse.

Quidquid sit de hac re, ab omnibus communiter Monachorum Occidentalium *Patriarcha* habetur.

Fundamentum sui Ordinis jecit in *monte Cassino*; & multiplicatis Discipulis brevissimo tempore duodecim Monasteria in Italia ædificavit, quæ & Sanctissimis legibus communivit, pluribus in rebus Regulam Sancti Basilii imitatus.

Inde per totum Orbem Religiosissimus hic ordo, mirifice propagatus est: tantaque sunt quæ de ipso in Chronicis circumferuntur, ut nec lingua, nec tempus sufficeret ad narrandum.

QUARTA RELIGIO.

Est Seraphyci *Patris nostri Francisci*, Fratrum Minorum communiter nuncupata: quæ incœpit sub *Innocentio III.* circa annum 1208. Ab eodem *viva voce*, laudata, & confirmata: Et demum anno 1223. Die 29. Novembris, ab ejus successore *Honorio III.* sui Pontificatus octavo, diplomate Apostolico confirmata: cujus originale asservatus

in Sacrario nostro Assisiensi , & extraneis quotidie visendum exhibetur.

Hæc Sancti Patris nostri Francisci Regula, inter quatuor recensitas approbata a Christo Domino revelata pie creditur .

Q. *Quinam Ordines, sub his principalioribus militant ?*

R. Sub Regula Sancti Basilii militant fere omnes Monachi Græci , & Orientales . Eamdem Regulam olim habuerunt in Occidente Carmelitani. Hodie tamen eam non observant adamussim .

Innocentius IV. Anno 1247. per Hugonem Cardinalem, quædam statuta ordinavit præfatam Sancti Basilii Regulam declarantia , & mitigantia. *S. Antoninus, 2. part. Hist. Tit.* 15. *cap.* 12.

Et quamvis non constet clare de initio hujus Ordinis *Carmelitarum*; aliqui enim dicunt Eliam esse principem , & institutorem istius Ordinis , & hæreditaria successione ad modernos usque Carmelitas descendisse (id quod multi negant ;) constat tamen de anno confirmationis, qui fuit 1216. ab *Honorio III.*, Pontificatus sui , anno primo, per Bullam , quæ incipit : *Nos normam vestram &c.*

Hic Ordo reformatus fuit per *Sanctam Theresiam*, quoad jejunia , usum carnium , Clausuram , & nonnulla alia .

Gregorius XIII. per Bullam, quæ incipit : *Pia* &c. 1580. Reformationem in Hispania incœptam: confirmavit. Ejus professores *Carmelitæ discalceati* , nuncupantur ; & proprium obtinuerunt Generalem a *Clemente Octavo* , anno 1595.

Q. *Qui Religiosi militant sub Regula Sancti Augustini ?*

R. Omnes Canonici Regulares . Inter alios Ordo *Canonicorum Regularium Præmonstratentium* , sic dictus a loco Præmonstrato , vulgo *Premontre* , in Diœcesi Laudunensi, in Gallia. Hic autem Ordo institutus fuit a *Sancto Norberto* , Archiepiscopo Magdeburgensi , & postea *primate Germaniæ*, anno 1120. sub *Calisto Secundo* . Confirmatus ab *Honorio Secundo*, anno 1126.

I I.

Sub Regula Sancti Augustini , militat florentissimus Ordo *Fratrum Prædicatorum* , institutus a *Sancto Dominico* Hispano , ex Nobili Gusmanorum familia nato ; sub *Innocentio III.* , & dein confirmatus ab *Honorio tertio* , per Bullam , quæ incipit : *Religiosa &* anno 1216.

Hic Ordo Celebertimus ab omnibus generaliter reputatus , *Fratrum Prædicatorum* vocatur , pro eo quod instar Sanctissimi Patris sui *Dominici* , præcipuum eorum studium , sit verbum Dei populis annunciandi ; hæreticorum hæreses cofutandi ; perniciosos errores , & pravas consuetudines eradicandi .

Ex hac Illustri , & Sancta *Fratrum Prædicatorum* familia, viri semper Sanctitate, litteris , & dignitatibus Ecclesiasticis celebres prodierunt.

I I I.

Ordo *Fratrum Eremitatum* , Sancti Augustini, qui tempore *Innocentii IV.* & *Alexandri IV.* circa annum 1230. Ex diversis Eremitarum familiis , quæ multis retro sæculis, per omnes mundi partes diffundebantur , *profitentes se esse ex Eremitis Sancti Augustini* , constitutus , atque formatus fuit , sub ea perfectione , sub qua modo viget cum tanto Ecclesiæ decore &c.

I V.

Ordo *Sancti Pauli primi Eremitæ* , a Beato *Eusebio* Strigoniensi, in Hungaria institutus, anno 1213. sub *Innocen-*

centio III. Confirmationem præstante *Fratre Gentili Cardinali*, ex Ordine nostro Sancti Francisci, Legato *Clementis V.* in Hungaria, anno 1308.

V.

Ordo *Sanctissimæ Trinitatis*, pro redimendis captivis.

Huic principium dederunt duo viri, nempe *Sanctus Felix de Valois*, ex Regia Valesiorum familia ortus, & Sanctus *Joannes de Matha*, etiam in Gallia natus.

Fratres hujus instituti incumbunt saluti Fidelium, eos a captivitate Turcarum, & aliorum Tyrannorum liberando. Initium sumpsit circa annum 1198. & Confirmatus fuit ab *Innocentio III.* anno 1209.

V I.

Ordo *Fratrum Beatæ Mariæ de Mercede redemptionis captivorum.*

Institutus fuit a *Sancto Petro Nolasco* Gallo, anno 1218. sub *Innocentio III.* Confirmatus anno 1230. *sub Gregorio IX.*

Dicitur, *Beatæ Mariæ de Mercede*, eo quod Beatissima Virgo in quadam visione monstravit officium redimendi captivos, sibi gratum futurum.

VII.

Ordo *Servorum Sanctæ Mariæ*, sic dictus, quia cultui Beatæ Virginis specialiter addictus. Institutus fuit a septem viris nobilibus Florentinis in Italia anno 1233. sub *Gregorio IX.* & confirmatus a *Benedicto XI.* anno 1303.

VIII.

Ordo *Cruciferorum*, seu Canonicorum Regularium Sanctissimæ Crucis. Institutus fuit a quinque piis viris, in urbe *Hayensi*, Principatus, & Diecæsi Lerdiensis, in loco, qui *Clarus Mons* dicitur, circa annum 1246. Ordinem hunc præclarum confirmavit *Innocentius IV.*

I X.

Ordo *Jesuatorum* Sancti Hieronymi, a *Sancto Columbino* institutus, anno 1368. sub *Urbano V.*

X.

Ordo *Theatinorum*, institutus a *Sancto Cajetano*, circa annum 1524.

Propagatus vero, a *Petro Caraffa* Archiepiscopo *Theatino*, a quo postea hujus Ordinis Alumni *Theatini* nominati sunt.

X I.

Ordo *Barnabitarum* institutus est anno 1530.

X II.

Ordo *Clericorum Doctrinæ Christianæ*, institutus est anno 1592.

Et multi alii, quos hujus operis angustia enarrare non permittit.

Q. *Quinam Ordines militant sub Regula Sancti Benedicti?*

R. Omnes Monachi nigri, & quidam præ aliis Reformati, qui dicuntur Congregationes: inter quas, sequentes principaliores laudantur.

I

I.

Congregatio *Cluniacensis* in Gallia, quæ incœpit anno 880. sub *Odone Cluniacensi Abbate*.

Hic benemeritus Prælatus, cum videret Sancti Benedicti Regulam, & disciplinam, magna ex parte laxatam, ad pristinum statum revocavit: cujus exemplo innumeri fere Abbates in Italia, Hispania, atque Germania, & Anglia, se suosque Monachos instituendos, atque reformandos illi tradiderunt.

II.

Camaldulensis, incœpit anno 1012. a *Beato Romualdo*, in Appennino Monte.

III.

Cistercienfis, incœpit anno 1092. in Burgundia. Auctorem habet *Robertum Abbatem Molinensem*. Propagatorem habuit mirificum *Sanctum Bernardum*, Monasterii Clarævallensis Abbatem, a quo postmodum sequaces *Bernardini* dicti sunt.

IV.

Olivetensis, incepit anno 1319. Vir quidam sanctæ vitæ, cui nomen erat *Bernardus Ptolomæus*, initium huic Congregationi dedit, cum duobus sociis, in quodam *monte Oliveto* prope *Senensem Civitatem*, a quo & Religio ista, *Montis Oliveti* nomen accepit.

V.

Cœlestinorum Familia militat etiam sub Regula Sancti Benedicti. Incœpit anno 1254. Auctorem habet *Petrum Moronem*, Eremitam sanctissimum, qui fuit Papa *Cœlestinus V.* nuncupatus, creatus anno 1294. Qui postea Pontificatum abdicavit.

Brevitatis causa alios Sacros Ordines, seu Congregationes prætermittimus.

Q. *Quot Congregationes complectitur Ordo Seraphicus?*

R. Præter plures extinctas Congregationes, tres principales hodiedum existentes complectitur.

I.

Est *Fratrum Minorum*, qui initio simpliciter *Fratres Minores*, nunc cum addito *Conventuales* dicuntur.

Hi immediate a Patriarcha Sancto Francisco, ab anno 1208. nulla Ministrorum Generalium interruptione descendunt.

II.

Est Fratrum *Minorum de Observantia*. Huic amplæ, & sanctæ Reformationi, seu Congregationi, initium dedit percelebris *Frater Paulus de Trincis*, Nobilis Fulginensis, laicus professus, circa annum 1368., qui sancte obiit Fulginei, ibique in nostra Ecclesia sepultus.

Sub hac Congregatione militant Fratres Strictioris Observantiæ, Reformati, Recollecti, Excalceati, Alcantarini &c.

III.

Est *Fratrum Cappucinorum*. Auctorem agnoscunt Fratrem *Matthæum Basseum*, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, circa annum 1525.

Hæc celeberrima, & sanctissima Congregatio confirmata fuit a *Clemente VII.* per Bullam, *Religionis zelus*, die 3. Julii 1528.

De his, & aliis etiam extinctis Franciscanis Congregationibus fusius tractamus in alio libro jam absoluto, qui in lucem dabitur, si Superioribus arriserit.

DE ALIIS RELIGIOSORUM ORDINIBUS.

Q. S*Untne alii ab enumeratis Religiosorum Ordines?*

R. Sunt quamplurimi, Regulas, seu Constitutiones habentes particulares, inter quas eminent.

I.

Cartusianorum familia, seu Religio, pœnitentia, clausura, silentio, ac omni virtutum genere ornatissima. Originem trahunt a viro nobilissimo, e Civitate Coloniensi in Germania oriundo, cui nomen *Bruno*.

Hic fuit Canonicus celeberrimæ Ecclesiæ Rhemensis in Gallia, ubi istius Regni sacrantur Reges. Ab *Hugone Episcopo Gratianopolitano* locum desertissimum, & asperrimum obtinuit, ubi cum sex sociis familiaribus mundo renuncians, se recepit, & ejus Ordinis fundamenta jecit, anno 1184.

Hic Ordo confirmatus fuit a *Victore III.* anno 1185. & a *Monte Cartusio* dicto, hi Religiosi *Cartusiani* appellati sunt.

II.

Ordo *Minimorum*, cujus Fundator inclitus fuit *Sanctus Franciscus de Paula* Italus, qui obiit Turonis in Gallia. Approbatus fuit a *Sixto IV.* anno 1474. per Bullam, quæ incipit: *Sedes Apostolica &c.*

Hujus Sacri Ordinis Alumni, præter tria vota substantialia, aliud emittunt, quo profitentur nullatenus se vesci carnibus, excepto infirmitatis tempore.

III.

Religio percelebris, & doctissima *Societatis Jesu*. Originem duxit a *Sancto Ignatio de Loyola*, Hispano, circa annum 1550.

Lutetiæ Parisiorum, adjunctis sibi ex illa Academia, variarum nationum sociis novem, qui omnes artium Magisteriis, & Theologiæ gradibus insignes erant, ibidem in Monte Martyrum, prima ordinis fundamenta jecit.

Confirmatus fuit a *Paulo III.* anno 1545. A multis Pontificibus summopere honorificata, & multis gratiis, privilegiisque locupletata fuit hæc *illustris Societas*, cujus præcipuum studium est proximorum saluti incumbere, docendo, prædicando, pueros in humanioribus litteris, & in doctrina sana erudiendo, cum totius Ecclesiæ ædificatione, & summo animarum fructu.

Hujus instituti professores *Jesuitæ* nuncupantur, ob maximam devotionem quam *Sanctus Ignatius* semper habuit erga Sanctissimum *Nomen Jesu.*

IV.

Congregatio piissima, & exemplatissima *Patrum Oratorii*. Incœpit in Gallia anno 1611.

V.

Congregatio *Sacrarum Missionum* anno 1617. Originem duxit in Gallia a *Sancto Vincentio de Paulis*.

VI.

Religio *S. Hieronymi*, quæ initium debet cuidam Eremitæ *Hispano*, nomine *Toma*, Sancto Hieronymo multum devoto, circa annum 1370.

Multæ, & prope innumeræ sunt aliæ Religiones, Congregationes, Fami-

liæ

liæ quas videre licet apud nostrum eruditissimum Patrem *Vincentium Coronelli*, olim nostri Ordinis Generalem, virum in omni scientiarum genere profundissimum, in Historia *Religionum Claustralium, Equestrium &c.*

Q. *Quot sunt Ordines Mendicantes, & quare Mendicantes dicuntur?*

R. Quatuor principales enumerantur, qui sunt *Prædicatorum*, seu Dominicanorum, *Franciscanorum*, *Augustinianorum*, *& Carmelitarum*: ad quos nonnulli reducuntur.

Mendicantes dicti sunt; quia vi primævæ institutionis eorum, ex fine particulari, ad vitam mixtam destinati, paupertatem non tantum in particulari, sed etiam in communi observabant, viventes de his solis, quæ vel mendicabantur humiliter; vel liberaliter donabantur; vel honesto acquirebantur labore, & industria. Arg. C. *Exivit* in 6. Tales eo jure communi *Mendicantes* appellati sunt.

Dixi, *vi primevæ institutionis*: nam postea privilegiis Summorum Pontificum, sicut &. sacri Concilii Tridentini, Sess. 25. cap. 3. conceditur omnibus Religionibus, *etiam olim vere Mendicantibus*, exceptis *Observantibus*, *& Capuccinis*, bona immoblia, dominiumque rerum *in communi habere*.

Q. *Fuitne expediens ut in Ecclesia Dei instituerentur Religiones quædam?*

R. Nullus Catholicus hanc veritatem, fuisse scilicet expedientissimum, in dubium revocare potest.

Primo, quia Dominus noster *Jesus-Christus* primus est Religiosi status auctor, & institutor, ad quem amplectendum Apostolos, & multos alios efficacissimis verbis exhortatus est: id quod non fecisset, si Religiones Ecclesiæ suæ utiles esse non cognovisset.

Secundo, quia *teste continua experientia* Religiosi suis meritis, & precibus; exemplo, & doctrina; zelo, & labore, plurimum semper profuere Ecclesiæ, innumera eidem conferendo bona, & gravissima ab eadem avertendo mala: adeo ut Christus ipse *Sanctæ Theresiæ* dixerit: *Væ mundo, si Religiones non essent*.

Religionum utilitatem comprobat adhuc celeberrima illa visio, quam habuit *Innocentius III.* qua vidit *Lateranensem* Ecclesiam ruinæ proximam *Sancti Francisci* suppositis humeris, sustineri. Ex quo tempore erga ipsum præcipuam devotionem concepit. Et petitioni ejus per omnia se inclinans, Regulam suam approbavit, Cardinalibus adstantibus dicens: *Vere hic est ille qui opere ac doctrina Christi sustentabit Ecclesiam*.

DE

DIVERSO STATU ORDINUM RELIGIOSORUM.

Q. QUotuplex *est Religiosus status?*

R. Si finis generalis, & primarius inspiciatur, qui est *charitas Dei*, *& hominis salus*, unicum Religionis statum, seu unicam Religionem esse dicemus. Ubique sunt eadem vota, & eadem traditio sui ipsius in potestatem Superioris, in quibus subsistit tota consubstantialitas, seu essentia status Religiosi.

Si autem speciales fines considerentur, tres assignari possunt Religionis status, qui sunt, Activus, Contemplativus, & Mixtus.

Q. *Quis est status Religiosus activus?*

R. Ille est cujus Religiosi instar *Marthæ* occupantur circa ministeria externa; operibus scilicet misericordiæ insistendo; incarceratos visitando; captivos redimendo; ægrotis subveniendo; contra Ecclesiæ hostes militando, ut sunt Religiones Militares, Hospitalariæ &c.

Q. Quis est status Contemplativus?

R. Is est cujus Religiosi, instar *Mariæ*, occupantur ad pedes Domini, contemplationi, orationis, lectioni, meditationibus cœlestibus vacando, ut sunt *Religiones Monachales* Sancti Basilii, Benedicti, Hieronymi, Bernardi, Brunonis &c.

Q. Quis dicitur status Mixtus?

R. Ille, qui simul Martham, & Mariam imitatur: hoc est, cujus Religiosi contemplativam, & activam vitam simul ad tempus exercent, concionando, docendo, Sacramenta administrando &c. Quales sunt Ordines Mendicantes Sanctorum Francisci, Dominici, Augustini, Carmelitarum, & Societatis Jesu.

Hanc vitam, ut pote perfectiorem, Christus exercuit, & Apostoli eum imitati sunt.

Q. Si finis primarius omnium Religionum sit idem, ad quid multiplicatæ sunt Religiones? Nonne melius foret, ut omnes ferventius Deo servire desiderantes eamdem ingraderentur Religionem?

R. Maxime congruum fuit, ut in Ecclesia Sancta Dei variæ forent Religiones, seu potius Religionum instituta.

Nec est quod diversitatem illam irrideant hæretici, quia quælibet propriam utilitatem habet. Licet enim finis ultimatus, qui est Deus, sit omnibus communis, multa tamen sunt media, atque itinera, varia præcepta, & exercitia religiosa, quibus homines ad Deum, & ad culmen perfectæ charitatis pervenire possunt. Unde expediebat ut plures instituerentur Religiones, non ad ornatum Ecclesiæ tantum, sed & ad *Fidelium utilitatem, & commoditatem*, quibus unicus vivendi modus non poterat esse accommodatus.

Non omnibus inest eadem ingenii propensio, nec æqualibus gaudent talentis. Dispares sunt corporis vires, & animi inclinationes. Unus potest hoc vitæ genus amplecti: alter omnino ineptus est. Unus amat solitudinem: alius hominum frequentiam. Alter studiis incumbere delectatur: Alter libentius orationi, & Chori exercitiis vacat. Quidam abstinentiam, & continuum observant jejunium. Alii per vigilias, disciplinas, corporis macerationes in victu, & vestitu ad votorum observantiam securius se disponunt.

Ex quibus constat, qualiter fuerit necessaria Ordinum diversitas, quæ in solis accidentibus consistit.

Q. Cum tot Sancti Ordines, & approbatæ Regulæ fuerint; Cur Sanctus Franciscus novam Regulam facere voluit, quasi non sufficerent priorum instituta Sanctorum?

R. Respondet Sanctus Bonaventura, quod Pater Sanctus Franciscus, *spiritu Dei plenus, & zelo charitatis Dei, & proximi totus ignitus*, triplici desiderio flagrabat; videlicet, ut totus posset esse imitator Christi, in omni perfectione virtutum.

Secundo, ut totus posset adhærere Deo, per assiduæ contemplationis ejus gustum.

Tertio, ut multos posset lucrari Deo, & salvare animas, pro quibus Christus voluit crucifigi, & mori.

Et quia non suffecit ei, ut ista in propria persona tantum ageret; voluit instituere Ordinem, ut multos cooperatores haberet, non solum in præsenti, sed etiam in futuro; qui & sanctitatis ejus imitatores existerent, & alios plurimos Deo lucrarentur.

Ordines autem quos ipse Sanctus Franciscus invenit in Ecclesia, aliqua prædictorum trium ex parte habebant, ut *Cœnobitæ*, qui in studio virtutum Christi imitantur vestigia. *Eremitæ*, qui contemplationi divinæ frequentius vacant; & *Clerici Lectores*.

res plebium, qui animarum curam habentes ex officio, lucris animarum omni vigilantia intendere debent.

Et quia hæc tria simul invenit in nullo Ordine; *Spiritu Sancto eductus* novam condidit Regulam, & novum Ordinem instituit, quo in professione Evangelicorum consiliorum, obedientiæ videlicet, & castitatis, & abdicatione proprietatis, Christi vestigia sequeretur, & in officio prædicationis, & confessionis animarum lucra utiliter quæreret: & in altissimæ paupertatis mendicitate, libertatem spiritus retinens, contemplationis supernæ apprehenderet paritatem.

Noluit tamen Franciscus, esse Fratres suos adstrictos ad curam animarum, ex debito necessitatis, sed *ex meræ charitatis affectu*: & ut meritum expectarent *de fructu salutis aliorum*, & periculum evitarent *de perditione eorum*. Participes *in lucro*, indemnes *in detrimento*; ut alios extrahant *de naufragii, seu incendii periculo*; ipsi tuti consistentes *in solido*, non periclitentur *cum pereuntibus in peccato*.

Q. *Quæ Religio est melior*?

R. Hanc quæstionem movet *Sanctus Bonaventura*, & respondet esse illum, in qua sequentia quinque inveniuntur.

Primum. Si in studio omnis virtutis communiter personæ illius Ordinis ferventius exercentur, maxime charitatis, humilitatis, & internæ devotionis.

Secundum. Si omnia vitia, & scandala odio habent, & sollicite cavent; & occasiones peccatorum amputant, & extirpant; & munditiam diligunt, & conservant.

Tertium. Si boni apud illos *diliguntur ac foventur*, & despectis aliis, in regimine animarum *soli assumuntur*, & per eos maxime gubernatur Ordo.

Quartum. Si *a seculari frequentia* se substrahunt, & honores fugiunt. Si divitias non ambiunt, & conformari huic sæculo, tam in moribus, quam factis, seu qualibet apparentia, erubescunt.

Quintum. Si damnum & injurias illatas, ac despectiones, *tacite, & patienter sufferunt*, nec per quærimonias vindicare se cupiunt: sed Deum inspectorem attendunt, qui suos, cum vult, & expedit, potest defendere.

Quæ ista signa plenius habent Religiones, meliores sunt: & quæ minus habent, sunt minus bonæ.

Religiosus, qui etiam singulariter hæc omnia habet, bonus est, etiamsi alii communiter non habeant.

Q. *Quænam requiruntur ad valorem professionis*.

R. Requiritur. *Primo* ætas legitima, quæ jure antiquo incipiebat ab anno decimoquinto in masculo: in fœmina vero ab anno decimotertio. Modo *Concilium Tridentinum* pro quovis ordine, & sexu requirit annum ætatis *decimum sextum completum*, Sess. 23. de Regul.

Secundo, ut annus probationis sit completus.

Tertio, ut adsit animus, seu intentio profitendi.

Quarto, ut vovens nec fraude, nec metu sit inductus.

Quinto, ut non habeat impedimentum, quod in illo Ordine sit essentiale.

Sexto, ut fiat consentiente eo, cujus est incorporare Religioni.

Septimo, ut in Religione approbata profiteatur.

Octavo, ut persona sit sui juris, non servus, non conjugio obstrictus &c.

Q. *Filius habens patrem, & matrem in magna necessitate constitutos, quibus subvenire non potest, nisi manens in sæculo, licitene professionem emittit*?

R. Sciendum, triplicem esse necessitatem. *Extremam*, qua proxime mors timetur, quæ raro, aut nunquam ac-

cidit. *Gravem, sive magnam*, qua status decentia conservari nequit, nisi notabiliter eum imminuendo, famulando, mendicando &c. Et *levem, seu parvam, & communem*, ut cum quis potest sine status dedecore tenuiter vivere, licet sæpius, convenientibus careat.

Jam ad quæsitum dico primo, filium habentem parentes in quavis ex dictis necessitatibus actu existentes, *valide* professionem Religiosam emittere posse.

Ratio est, quia nullo jure talis professio irritatur. Tum quia necessitas illa parentum est quid extrinsecum professioni.

Illicite tamen Religionem ingreditur, & professionem facit; quando alio modo patri, & matri succurrere non potest per se, vel per alium, nisi in sæculo existens: etiamsi dictus filius *vovisset Religionem ingredi, & in ea permanere*.

Ratio est, quia præceptum subveniendi parentibus præferendum est *consilio*, & etiam voto professionem emittendi, quod in his circumstantiis non obligat: imo peccat graviter votum exequendo.

Si tamen filius in sæculo manens haberet occasionem proximam peccandi mortaliter, quam evitare non posset nisi Religionem ingrediendo, pro tunc teneretur ingredi; quia bonum spirituale præfertur temporali vitæ alterius.

Q. Estne valida professio viri in Monasterio Monialium, & fœminæ in Monasterio virorum.

R. Non est hic casus metaphysicus, sed verus, & realis, qui non numquam accidit.

Exemplum præclarum habemus in *Sancta Marina*, quæ habitu virili induta, in quodam Monasterio virorum religiosum sumpsit vestitum; Noviciatum perfecit; professionem emisit: & falso accusata virginem oppressisse, ab eaque filium suscepisse, in rigorosissima pœnitentia, quam declinare poterat sexum suum declarando, sanctissime vitam finivit.

Dum Fratres, prout de more, cadaver lavare voluerunt, sexum fœmineum agnoscentes, non sine stupore, planctu, & dolore, confratris sui innocentiam, animi fortitudinem, & horrendam impudicæ mulieris accusatricis calumniam, falsorumque testium nequitiam detegerunt. In vitis Sanctorum Solitariorum Orientis, & Occidentis hoc mirabile factum cum omnibus suis circumstantiis legi potest.

Nunc ad propositum nostrum redeamus.

Dico professionem utriusque, viri scilicet in Monasterio Monialium, & fœminæ in Monasterio virorum esse invalidam, ob rationes sequentes.

Primo, quia consensus requisitus ad validam professionem, in præsenti casu, ex parte profitentis viri inter fœminas, & fœminæ inter viros, *sine speciali inspiratione Spiritus Sancti*, ut in exemplo allato, est fraudolosus, irrationabilis, & nulla lege permissus.

Secundo, quia deest consensus ex parte Conventus, & superiorum, qui dubio procul volunt & intendunt acceptare personam sui sexus, & non diversi; ob inconvenientia quæ possunt inde oriri.

Tertio, quia Jure Canonico id vetitum est; ut patet ex cap. *Nullo loco*, 18. quæst. 2. & ex cap. Definimus, in quibus prohibetur cohabitatio virorum & fœminarum simul in eodem loco, ergo & inibi professio, quæ jus dat ad cohabitandum cum personis suæ professionis. Unde localis superior, cognito in aliqua persona sibi subdita fœmineo sexu, debet eam statim a Religione expellere.

Q. Si Religiosum pœniteret emissæ professionis, graviterne peccaret?

R. Si haberet legitimam causam pœnitentiæ facti, vel quia experitur novas difficultates in votorum observatione; vel quia superiorem habet perpetuo

con-

contrarium; vel quia mortalia peccata commisit in Religione, in quæ, ut ipsi videtur, nunquam incidisset in sæculo manens: vel ob aliud quodcumque rationabile motivum, non peccaret mortaliter, pœnitendo se statum Religiosum amplexum fuisse: quia nulla est obligatio non pœnitendi post factum, dummodo pœnitens habeat intentionem standi promissis, observandi scilicet Regulam quam professus est. Si tamen nullam justam causam haberet pœnitendi, non esset a peccato veniali immunis; quia pœnitentiæ illa defectum bonæ & solidæ voluntatis, & amoris erga Deum super omnia indicaret, sicut & in ipso pœnitente vitium accediæ.

Q. *Quid si invalide professus fuisset, possetne absque omni culpa reclamare contra nullitatem suæ professionis?*

R. Extra omne dubium est, posse nulliter professum reclamare, & causis coram judicibus legitimis deductis, & ab iisdem approbatis, ad sæculum, unde exierat, redire, & hoc absque omni peccato: nullus enim peccat utendo jure ab Ecclesia sibi concesso.

Ecclesia autem justam reclamationem approbans, eam *licitam* facit; etiamsi ad hoc moveatur propter duritiam cordis conquærentis, & ad evitanda multa inconvenientia, seu pericula multorum peccatorum, si in Religione retineretur sine pleno consensu, stante invaliditate pro essionis.

Sic penes ipsum stat, & in ejus libertate est, aut remanere, aut exire a suscepta Religione, sine ullo peccato; dummodo serventur conditiones Concilii Tridentini, *sess.* 23. *cap.* 19. & non adsint circumstantiæ exitum vitiantes.

Q. *Quot modis Religiosa professio potest esse nulla, seu invalida?*

R. Variis modis, deficientibus scilicet requisitis ad ejus valorem, tam ex parte profitentis, quam ex parte recipientibus ejus professionem.

1. Si defuit ejus ætas legitima. 2. si defuit verus consensus in profitente. 3 si annus probationis non fuit completus. 4. si fraude, vel metu fuit inductus. 5. si habuit impedimentum essentiale. 6. si servus, aut conjugatus erat, 7. si defuit potestas in recipiente ejus professionem. 8. apud nos Fratres Minores Conventuales, si Novitiatum perfecit in loco ad id non deputato &c. unusquisque consulat Regulas, & Constitutiones sui Ordinis.

Q. *Quid si nulliter professus velit remanere in Religione, sine animo ratificandi professionem, nec reclamandi de nullitate, nec a Religione discedendi?*

R. Peccat mortaliter; quia usurpat sibi aliena jura, quæ sibi in eo statu non competunt.

Primo, percipiendo alimenta; nisi labores, & obsequia Religioni præstita æquivaleant expensis.

Secundo, recipiendo Ordines, *ficto titulo Religiosæ paupertatis*; cum prohibitum sit nondum professos recipere hoc titulo Ordines Sacros. Bul. S. Pii V. *Romanus* data anno 1568.

Invalide professus non est professus; ergo non habet legitimam licentiam a Prælato Regulari: imo si suscipiat Ordines, est *ipso facto suspensus*: etsi in illis ministret, fit irregularis.

Tertio, peccat excipiendo Confessiones, ob defectum ejusdem legitimæ licentiæ a superiore, licet approbatus sit ab Episcopo. Tenent tamen absolutiones ab ipso datæ sæcularibus, & etiam Religiosis, si ad hoc officium sit a superiore deputatus; quia habet titulum coloratum cum errore communi Prælatorum, & Religiosorum, juxta legem *Barbarius* §. de Offic. Prætr.

Quarto, non potest absolvi a Confessario, solum intra Religionem approbato.

Quinto, non potest suffragium in electionibus ferre sine peccato; quia utitur jure alieno, solis professis concesso.

His, & aliis de causis, aut debet exire, aut professionem ratificare. Quod si noluerit, potest a superioribus cogi, & a Religione ejici, supposito quod nullitas professionis sit ipsis nota.

Q. *Quot conditiones requiruntur ad justam & legitimam reclamationem?*

R. Quatuor. *Primo*, debet professio esse nulla, & a vovente non ratificata: nam si tantum sit dubium de ejus valore, nullo modo potest revocare: quia professio dubia habetur pro valida.

Secundo, debet fieri reclamatio *intra quinquennium a die professionis*, cum tempus illud sufficere videatur, ut merito præsumatur, si non reclamet, vel professionem fuisse validam; vel saltem fuisse ratificatam. Si tamen posset probare se toto quinquennio, vel ignorasse nullitatem professionis, vel toto illo tempore fuisse impeditum, aut impotentem ad reclamandum, posset a Sede Apostolica obtinere restitutionem quinquennii; etiamsi Sacros Ordines suscepisset, & alios actus professorum exercuisset.

Tertio, causas nullitatis suæ professionis deducere, coram *suo Superiore* & Ordinario, seu *Episcopo*, aut ejus Vicario.

Quarto, reclamatio facienda est *cum habitu Religionis*. Quod si ante reclamationem, aut pendente lite, habitum sponte dimiserit, *non est audiendus*; sed ad Monasterium redire cogendus est, & ut *apostata* puniendus.

Sed hoc debet intelligi, nisi adsit justa causa dimittendi habitum, ut, v. g. quia non potest reclamans obtinere licentiam eundi ad reclamandum: nam Concilium intendit tantum punire temerariam habitus dimissionem.

Durante vero lite, tenetur Religio Religiosum litigantem alere, cum usque ad definitivam sententiam reputetur filius Conventus.

Q. *Quid nomine Superioris intelligitur?*

R. Nomine Superioris intelligitur *Prælatus immediatus Conventus, in quo professionem emisit*, & qui professionem admisit; vel is qui in ejus locum successit.

Nomine Ordinarii intelligitur *Episcopus*, in cujus Diœcesi Religiosus domicilium habebat, antequam Religionem ingrederetur.

Ad superiorem igitur localem illius Monasterii, ubi professus est, sive ille professionem receperit, sive non; & ad *Episcopum ejusdem loci* spectat audire reclamantem; *& non ad Provincialem, neque ad Generalem*. Ita decisum refert Barbosa, *ad alleg. cap. 19. n. 22. in una Romana &c.*

Q. *Religiosus sciens pro certo nullitatem suæ professionis, teneturne servare Regulam?*

R. Non tenetur *ex vi votorum*, quæ cum nulla fuerint, nullam inducunt obligationem. Debet tamen ad evitandum scandalum vivere more aliorum Religiosorum professorum. Quamdiu enim in Religione manet, reputatur membrum illius; ergo non debet a suo capite discedere, sed conformare se aliis Religiosis ad bonum eorum exemplum, & ad evitandum in aliis scandalum, *Capit. 1. dist. 12. cum non liceat de Præscript.*

Q. *Estne consultum, ut male professus reclamet, & ad sæculum redeat?*

R. Minime. Ejusmodi exitus, quamvis permissus, potius perniciosus est reclamanti, quam utilis, adeoque minime consulendus. Ad perseverantiam exhortandus est, quia status Religiosus omni quocumque alio melior, & salubrior est.

Nec refert quod jura licentiam istam concedant; *multa enim licent, quæ non expediunt*, juxta Apostolum, & maxime in hoc præsenti casu, ob rationes sequentes.

Primo, quia qui statum amplectitur Religiosum, & in eo professionem quo-

quomodocumque emittit, Deo se consecrare, & trium votorum vinculis ad ei perpetuo serviendum se adstringere voluisse, *quantum in se est*, communiter creditur, & quidem cum fundamento; quia præsumi potest, quod aliter Religionem non fuisset ingressus.

Si postea animadvertat, ex aliquo capite professionem suam fuisse nullam; non ideo expedit illi priorem mutare voluntatem, divina consulente Sapientia: *Manete in vocatione, qua Deus vos vocavit*.

Tum quia *nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*.

Tum quia experientia monstrat, recedentes a sua professione, quæcumque ea sit, fere omnes male vitam finire, & in multas prius calamitates ruere.

Vix unum inter multos reperire est, qui in extremis constitutus, factæ reclamationis, habitusque Religiosi dimissionis, non pœniteat. Novi ego quosdam, qui morti proximi, & ad finem suum tendentes, *tacti dolore cordis intrinsecus*, Religionem ab ipsis professam deseruisse, etiam servatis servandis, continuo lamentabantur, & super hoc punctum inconsolabiles erant, morsibus conscientiæ dilacerati.

Q. *Potestne quis esse perfectus absque eo quod Religionem profiteatur?*

R. Ratio quædam dubitandi est, quomodo nimis qui perfectionis viam non est ingressus, ad perfectionis terminum pervenire poterit? Affirmative tamen ad quæsitum respondemus. Nostram assertionem quamplurima probant veteris & novi Testamenti exempla.

Primi generis sunt *Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Job, multique Reges Israelitarum*.

Secundi generis sunt *innumeri Episcopi, Confessores, Virgines, Viduæ, Martyres &c.* qui Religiosum statum nunquam professi sunt; & tamen perfectissimi, & in charitate abundantissimi fuerunt.

Aliud enim est esse perfectum; aliud eligere perfectionis statum, qui est Religionis. Frequentissime evenit quod sæculares sint perfectiores, quia majori cum zelo, & pietate, mediis ad perfectionis apicem conducentibus utuntur, & majori cum diligentia, & fervore observant ea, ad quæ nunquam se obligarunt, quam aliqui Religiosi, qui in perfectionis statu constituti, non adimplent ea, ad quæ se obstrinxerunt; & acquirendæ perfectionis media prætermittunt.

Q. *Qui sunt effectus Religiosæ professionis?*

R. Multi, & quidem præclarissimi, quos hic breviter recenseo.

Primo, Religiosa professio omnia vota antecedenter emissa remittit, unde si quis vovisset recitare quotidie *Rosarium Beatæ Mariæ Virginis*, non teneretur amplius. Votum enim illud adimpletum censetur per professionem religiosam, in qua eminenter continetur, cum sine controversia melior sit omnibus votis simplicibus. Per eam enim nos, & omnia nostra Deo dicamus. Sicut ergo debitor cedendo omnibus suis bonis, & se totum tradendo creditori, solvit omnia sua debita; ita Religiosus per professionem se totum tradendo divinis obsequiis, liberatur a quacumque priori obligatione spirituali. Ita indulsit Ecclesia, cap. *Scriptura* de Voto.

Secundo, dissolvit Matrimonium ratum, & sponsalia etiam jurata, *Conc. Trid. sess. 24. can. 6.*

Tertio, parit mutuam obligationem inter Religionem, & Religiosum. Hinc tenetur Religiosus obedire in omnibus, quæ sunt secundum Regulam, & Constitutiones, tanquam filius matri: & Religio tenetur eum alere, vestire, gubernare, sicut mater filium.

Quam-

Quarto, tollit *irregularitatem ex defectu natalium*, non quoad *prælaturas*, sed quoad *Sacros* Ordines suscipiendos. Ita habetur in Jure Canonico, *capit. de Filiis Præsbyterorum*?

Constitutiones nostræ idem aperte declarant, his verbis: *Natalium defectum patientes, quicumque hi fuerint, ad prælaturas, gradus, & officia Ordinis inhabiles sint, & in officiis tantum Guardianatu inferioribus ministrare queant*, in cap. 8. Reg. tit. 3. n. 5.

Quinto, est remissio plenissima peccatorum, non *quoad culpam*, cum professio Sacramentum non sit, sed *quoad pœnam*: non ex *opere operato*, sed ex *opere operantis*; ex eo quod sit opus præstantissimum, quo non solum bonis omnibus, sed & sibi ipsi, homo renunciat, ut alieno subdatur regimini, quo factum est ut Sancti Patres professionem Religiosam *secundum Baptisma* non renuerint appellare.

Paulus V. intrantibus, & professionem emittentibus, *plenariam Indulgentiam concessit*.

Q. *Quid dicis de renovatione votorum in Religionibus bene ordinatis fieri solita*?

R. Dico laudabilem esse, & non satis commendandam consuetudinem, diebus solemnioribus, coram *sanctissimo Sacramento*, post Confessionem, & Communionem, aut Missæ celebrationem, si sit Sacerdos, suam ratificandi professionem, sub certa devota formula, quæ habetur in libro cui titulus, *Veni mecum &c.* cum ex ea renovatione ingentes fructus referantur; novusque zelus concipiatur ad promissa majori cum spiritus fervore adimplenda.

Per hanc renovationem Religiosus ulterius contra tentationes summopere roboratur; amor sæculi, & terrenarum rerum in eo extinguitur; desiderium æternorum bonorum accenditur; cœlestibus thesauris ditatur, nullam aliam a professione obligationem inducendo.

Adde, quod *Clemens XII.* Indulgentiam *plenariam concesserit* omnibus Fratribus nostris, & Tertiariis, qui professionem Religiosam renovabunt singulis annis, die 28. Novembris, quo die Seraphicus Pater suæ regulæ confirmationem obtinuit, & accepit.

Q. *Solemnis ista votorum renovatio estne ejusdem meriti apud Deum, ac ipsa professio*?

R. Licet aliqui sentiant non esse ita meritoriam, & satisfactoriam, ac ipsa actualis professio: pie tamen credi potest, Religiosum, suam professionem renovantem ex affectu, quo tunc de novo illam emitteret, si nondum emisisset, consequi *ex Dei benignitate* eamdem Indulgentiam, easdem gratias, ac si revera de novo profiteretur.

Q. *Quæ est boni, & veri Religiosi vita*?

R. Viro Religioso, qualis esse debet, *nullus est fœlicior*. Vitam ducit quietam, cœlestem, angelicam, ab omni inquinamento mentis, & corporis illibatam. Sanctorum Beatitudinis, in hac lacrymarum valle, jam quodammodo particeps est.

Vota sua corde pleno Domino suo reddit; & promissam cum fervore, zelo, & diligentia observat sui Fundatoris Regulam.

Præclaros in dies in via virtutis, & perfectionis facit progressus, & nova semper acquirit merita in omnibus suis actionibus, studiis, laboribus, pœnis, religiosis exercitiis; imo, & in omnibus suis naturalibus motibus. Et hoc virtute sacrificii sui corporis, & spiritus, in *holocaustum medullatum*, Deo per professionem Religiosam oblati.

Raro cadit in defectus graves, & cadendo cito resurgit per quotidianos spirituales actus; peccatorum suorum veniam obtinere meretur frequenti Sacramentorum susceptione.

Caute incedit, pericula in via salutis non

non raro occurrentia superno lumine detegit, & effugit; latentesque dæmonis insidias, divino fretus adjutorio, superat.

Summa gaudet animi quiete, & perpetuo per fidem, spem, & charitatem Deo suo magis ac magis unitur.

Nihil ipsum perturbat, ut pote divinæ voluntati totaliter submissus. Cœlestibus gratiarum imbribus continuo irrigatur. Et ut uno verbo absolvam quod cœpi, *fœlicius vivit nemo*.

Q. *Qualis est mors boni Religiosi?*

R. Lætus moritur, quia securus hinc exit, ad cœlestem patriam desideratam, & concupitam iturus. In ultimo vitæ termino constitutus, contra communis hostis fraudes, & feros impetus, dilecti sui fundatoris patrocinio fulcitur. Jesu Christi gratiis singularibus mirabiliter roboratur, & gloriosam de superbo infernali inimico reportat victoriam.

Si quid, post mortalis hujus vitæ exitum, purgantibus flammis ipsi luendum remaneat, prompte, & efficaciter, suffragiis, precibus, sacrificiis, bonisque operibus suorum confratrum adjuvatur: & post pusillum tempus cœlos ascendit, æterna in eminenti gradu fruiturus Beatitudine; assidetque Jesu Christo judicaturus cum ipso, & omnibus Sanctis, duodecim tribus Israel, & omne genus humanum. Amen.

QUÆSTIO SINGULARIS.

Quare Fratres magis honorent divites, quam pauperes, & promptius serviant eis in Confessionibus audiendis, & aliis consiliis, & obsequiis?

HAnc quæstionem habet Sanctus Bonaventura, quam sic sibi propositam enarrat, & resolvit. *Cum acceptio personarum sit apud Deum culpabilis, & ab Apostolo Jacobo prohibita; quare vos Religiosi magis honoratis divites, quam pauperes, & promptius eis servitis in Confessionibus audiendis, & aliis consiliis, & obsequiis, sicut sæpe videmus, & scimus?*

Respondeo. Deus pusillum fecit æqualiter, & magnum; & æqualiter est illi cura de omnibus, in quantum factura ejus sunt, ac ad salutem pertinent sempiternam: ideo igitur nos omnes diligere debemus in Domino, & tam divitum, quam pauperum salutem desiderare, & pro viribus nostris promovere, sicut expedit his, & illis. Unde si pauper melior est divite, plus debemus eum diligere: tamen debemus divitem plus honorare quadruplici ratione.

Prima. Quia cum Deus in hoc sæculo divites, & potentes prætulerit pauperibus, quoad mundi gloriam, ubi est necesse, alios aliis subesse, vel præesse: nos honorando potentes, ejus ordinationi concordamus, quos & ipse Deus honoravit in hac parte.

Secunda. Propter infirmitatem ipsorum divitum, qui si non honorarentur, indignando magis infirmarentur, & deteriores efficerentur, & gravamen nobis, & aliis pauperibus inferrent. Ne quod offendiculum demus infirmis; ne per nos deteriores fiant, qui omnes debemus potius ad meliora trahere, & provocare.

Tertia. Quia major utilitas provenit ex correctione unius divitis, quam plurium pauperum. Pauperis enim salus sibimet prodest. Dives autem emendatus multis prodest, & propter exemplum aliorum, qui inde ædificantur, & provocantur ad bonum: & propter alia bona quæ per eum promoventur in aliis, & mala impediuntur. *Qualis Rector civitatis, tales habitantes in ea*. Ecclesi. capit. 10. Conversio Constantini Imperatoris ad Fidem plus profuit Ecclesiæ in pluribus, quam multorum aliorum.

Quarta. Cum a divitibus plus reci-

pia-

piamus de corporali subsidio, eo quod magis abundant in talibus, justum est, ut eis vicem rependamus, & proniores simus eis ad obsequia spiritualia impendenda. Pauperes etiam facilius expediuntur, quia tantis perplexatibus non ligantur. Divites vero, pluribus laqueis irretiti, frequentioribus, & diligentioribus indigent consiliis. Ideo necesse est nos circa illos studiosius occupari, ne profundius in peccato mergantur: nam, ut dictum est jam, qui potentem in bono promovet, multos juvat. Sicut e converso, ipsius subversio multorum est detrimentum &c.

DE

TRIBUS VOTIS SOLEMNIBUS.

Q. *QUodnam votorum solemnium est præstantius, & Deo magis gratum?*

R. Votum Deo magis acceptabile est indubitanter Votum obedientiæ, quo Religiosus abnegat propriam voluntatem, & offert Deo bonum animæ, quod inter cætera bona excellentius, & nobilius est.

De hac virtute Scriptura dicit; *melior est obedientia quam victimæ*, 1. Reg. 15. unde si quis Martyrium sustineret, vel omnia sua pauperibus erogaret, nisi hæc ordinaret ad impletionem divinæ voluntatis, quod certe ad obedientiam pertinet, meritoria esse non possunt.

Constitutiones nostræ Urbanæ tanti faciunt hoc Votum obedientiæ, ut affirmare non dubitarint: *obedientiam esse fundamentum, & basim totius regularis ædificii; ita ut hac virtute a Religiosis contempta, totam Religionem labi necesse sit*, in cap. 1. Reg. tit. 6. n. 1.

Q. *Quid sentis de Castitate?*

R. Etsi cœlica sit virtus, quam potens natura suis non ausa est includere legibus, solum tamen *secundum* inter solemnia Vota obtinet *locum*.

Ratio est, quod per Votum castitatis, Religiosus non offert Deo, nisi bonum corporis delectabile, renunciando matrimonii oblectamentis, quibus licite gaudere poterat in sæculo manens, quod certe animæ bonis ignobilius est.

Q. *Quem locum inter Vota solemnia occupat religiosa paupertas?*

R. Votum paupertatis infimo collocatur loco.

Ratio est, quia per ipsum Religiosus offert tantum Deo bona exteriora fortunæ, quibus renunciat cum omnibus suis juribus; ita ut vere dicere possit cum Apostolis: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

Bona autem illa exteriora minoris sunt ponderis, & existimationis, quam bona animæ, & corporis: satius enim quis divitias perdit, quam animam, & corpus.

Concludendum est igitur, *obedientiæ Votum*, non solum esse essentiale Religioni; sed etiam esse præcipuum inter tria substantialia Religionis Vota; eo quod per illud propria voluntas Deo offertur, quæ potior est quam corpus, quod offertur per castitatem, & transitoria externa bona, quæ per paupertatem Deo offeruntur.

DE

VOTO OBEDIENTIÆ.

Q. *QUid est obedientiæ Votum?*

R. Votum obedientiæ est promissio, qua Religiosus in professione proprio judicio, & voluntati renunciat, subjiciens se prælato Regulari, ad parendum ei in omnibus quæ cadere possunt sub virtute obedientiæ.

Q. *Estne licitum tale votum emittere?*

R. Cum

R. Cum Sacra Scriptura ubique obedientiam maxime commendet, & præcipiat, nullus est ambigendi locus, licitum esse obedientiam vovere. Obediendum autem esse Deo, & hominibus ab ipso constitutis, clarissime habetur in pluribus, & quasi innumeris locis, quos recensere nimis longum esset. *Numquid*, ait Samuel Propheta, *vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini?* 1. Reg. 15. In quem locum Sanctus Gregorius lib. 6. cap. 2. Moral. *Quid est*, inquit, *quod dicitur vult, ut obediatur voci Domini, nisi quia omnia bona opera postponenda sunt his bonis quæ jubentur?*

Et per Jeremiam corripit populum Deus: *Numquid non accipietis disciplinam, ut obediatis verbis meis, dicis Dominus*, Jerem. 35.

Christus præcipit obedire Scribis, & Pharisæis: *Omnia*, inquit, *quæcumque dixerint vobis, servate, & facite*, Matth. 23. Et adolescenti interroganti qualiter vitam æternam possidere valeret? Respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata &c.*

De obedientia præstanda hominibus Sanctus Paulus ait: *Obedite Præpositis vestris, & subjicite vos eis*, Heb. 13. & alibi: *Ideoque necessitati subditi estote, non solum propter iram, sed & propter conscientiam*, Rom. 13. & S. Petrus: *Servi subditi estote in omni timore Domini non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis*, 1. Petr. cap. 2. item *subjecti estote*, inquit, *omni creaturæ propter Deum* &c. ibid. Confirmatur hæc obediendi necessitas ex suppliciis variis, quæ prævaricantibus legem, & præcepta, tam sua, quam Superiorum, Deus comminatur, & frequenter intulit. Item, ex variis bonis, quæ obedientibus præstitit &c.

Q. *Cur ergo Lutherani, Calvinistæ, & alii hæretici, votum illud improbant?*

R. Quia dicunt Christianos *liberos esse; a Christo redemptos*, & consequenter non debere fieri servos, juxta illud Pauli: *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum*, 1. Corinth. cap. 9. v. 6. atqui per Votum obedientiæ, quo quis abnegat propriam voluntatem, & se subjicit alteri, fit servus illius; cum teneatur ejus arbitrium sequi: ergo Votum obedientiæ fieri nequit, cum sit a Paulo prohibitum.

Q. *Quid huic rationi respondendum?*

R. Dicendum, Apostolum solum hic declarare illicitum esse homini servire, aut se subjicere alteri *propter ipsum*, non vero se subjicere ei *propter Deum*, ut fatetur idem Apostolus ad Collossenses scribens: *Quodcumque facitis ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus; scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis: Domino Christo servite*, cap. 3. &c.

Non ergo prohibet Apostolus servire hominibus, *propter Deum*, sed solum propter *ipsos homines, ultimate*; cum in eodem capite dicat: *Servi obedite per omnia hominibus carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed in simplicitate cordis timete Deum &c.* vers. 22.

Quod si dicant ulterius, soli Deo obediendum esse, qui hominem omni creaturæ subjecit, juxta illud: *subjecti estote omni creaturæ humanæ, propter Deum*, 1. Petr. 2. *si omni creaturæ*, ergo non uni Prælato tantum, quod tamen fit per Votum obedientiæ. Respondendum Sanctum Petrum per humanam creaturam intelligere omnem hominem *potestate imperandi donatum*; non vero omnem hominem absolute. Neque quodlibet obedientiæ genus postulat Petrus; sed *propter Deum*. Posset avaritia, spes lucri, prœmii, metus pœnæ aliquantisper continere hominem in officio, in subjectione, at nobiliorem rationem adducit Petrus, *propter Deum*: quia, inquit, *sic est voluntas Dei*, c. 15.

Q. *In quo consistit principaliter obedientia?*

R. In tribus causis. *Primo*, in reverentia superioribus debita. Tenetur enim subditus Prælatum suum colere, honorare, & venerari.

Secundo, in prompta executione eorum quæ ab illis rationabiliter præcipiuntur. Dicebat Sanctus Franciscus, *eum qui præcepta non festinanter obedit, nec Deum timere, nec hominem revereri*, dum scilicet non habet causam necessariam retardandi.

Tertio, in submissione proprii judicii voluntati, & sententiæ ipsorum Prælatorum. *Vera obedientia Præpositorum intentionem non discutit, neque præcepta discernit, quia omne vitæ suæ judicium majori subdidit*, S. Greg. 1. Reg. lib. 2. cap. 4.

Quarto, in humilitate, & constantia: *Nonne Deo subjecta erit anima mea*, dicebat Regius Propheta? Et Augustinus: *Constanter*, inquit, *crede Deo, eique te totum committe...... Nihil tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias*, Lib. 1. Soliloq. 15.

Tandem obediendum est *hilariter*. *Apostoli*, inquit Sanctus Basilius, *obedientiæ jugum subierunt, submissa mentis cervice, alacrique animo in fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces processerunt*.

Hanc obedientiam præstare debent omnes Religiosi.

Q. *Quot sunt gradus obedientiæ?*

R. Ex dictis colligi possunt quatuor obedientiæ gradus.

Primus est, exequi exterius quidquid præcipitur: & hoc prompto alacrique animo.

Secundus est, voluntatem suam omnino subjicere voluntati Superioris; ita ut libenter facias, *propter Deum*, quidquid ipse mandaverit.

Tertius est, subjicere judicium suum judicio Superioris, credendo id melius esse, vel meliorem exitum habiturum, quod ipse jusserit.

Quartus, hæc observare non solum in iis, quæ stricte præcipit; sed solum fieri desiderat.

Q. *Quænam pertinent ad obedientiam?*

R. *Primo*, Regula, & si sermo sit de nostro Ordine, Constitutiones Urbanæ, Statuta Generalia, & Provincialia, & quotidiana Superiorum vivæ vocis mandata.

Secundo, omnia quæ multum utilia, aut necessaria sunt ad prædictorum observantiam.

Tertio, ea omnia quæ concurrunt ad bonum, & rectum Conventus Regimen; ut sunt opera corporalia, & officia temporale, & spirituale Religionis bonum concernentia.

Quarto, ea quæ conducunt ad præceptorum naturalium, Ecclesiasticorum, & divinorum observantiam.

Quinto, omnes actus virtutum qui præcipi possunt, tum proprium judicium, tum propriam voluntatem mortificandi causa; vel in cautelam peccati vitandi.

Q. *Quotuplex est obediantia?*

R. Triplex. Expressa, Tacita, & Interpretativa.

Expressa versatur circa res a Superiore clare & manifeste, sive viva voce, sive scriptis commendatas, aut prohibitas.

Tacita versatur circa res non ita clare declaratas, quæ tamen quibusdam signis sufficienter aut præceptæ, aut prohibitæ dignosci possunt.

Interpretativa versatur circa ea quæ nullo ex duobus modis præcipiuntur; Superior tamen vellet fieri. Id quod cognoscens ex certis inditiis subditus intentionem ejus, etsi nullo præcedente mandato, exeguitur.

Hæc obedientia, regulariter loquendo, magnum habet meritum.

Perfectiorem tamen ego existimarem eam, qua inferior pro amoris proprii destructione, majorique erga Deum submissione.

ſtone, præceptum ſuperioris humili corde requirentes.

Q. *Qualiter vota, Regulæ præcepta, & conſtitutiones obligant Fratres Minores?*

R. Tria vota, & Regulæ præcepta, *ad mortalem culpam obligant:* iis dumtaxat exceptis, ſuper quibus fuit, vel fuerit a Sancta ſede Apoſtolica expreſſe aut virtualiter diſpenſatum. *Quod autem reliquum eſt in Regula*, modo formalis, & verus contemptus abſit, *venialem tantum culpam inducit*.

Item quoad nos Conventuales, conſtitutiones, & decreta tam generalia, quam provincialia, in iis quæ vere præcepta ſunt, & quæ immediate ad votorum, & præceptorum Regulæ obſervationem conducunt, ad *mortale obſtrigunt*: in reliquis vero *ad veniale* ſolummodo.

Idem enim obſervantiæ rigor, ſunt verba Conſtitutionum noſtrarum Urbanarum, quæ bene ponderanda ſunt, cum ſervare Regulam juxta eaſdem Conſtitutiones profiteamur, *idem*, inquam *obſervantiæ rigor, iiſdem Conſtitutionibus debetur, qui Regulæ ipſi debitus eſt*, in cap. 1. tit. 6. n. 4.

Q. *Quomodo quis dignoſcere poterit, an præcepta Superioris ad mortalem culpam obligent?*

R. Ex quatuor capitibus, nempe, ex materia, pœna, verbis, & intentione præcipientis.

Si *materia* quæ præcipitur ſit gravis, & ad ſalutem neceſſaria, ut *non occides, non mœchaberis &c.* tranſgreſſio eſt mortalis.

Similiter loquendum de *pœna*, ſi gravis imponatur, ſive *ſpiritualis*, ut excommunicatio, ſuſpenſio &c. ſive *temporalis*, ut pubblicæ diſciplinæ, expulſionis a Conventu, carceris &c. in iſtis caſibus tranſgreſſor cum ſe notabili periculo exponat contra propriam charitatem, mortalem culpam incurrit, non vero ſi pœna ſit levis.

Ex verbis, ſi ad meritum *ſalutaris obedientiæ*, vel in virtute *Spiritus Sancti*, ſub pœna *divinæ indignationis, maledictionis æternæ &c.*

Tandem ex intentione præcipientis; ſi Superior in ſuis præceptis ad mortale obligare intendat, obligat. Si non intendat, non obligat. Ita Doctores communiter apud noſtrum Maſtrium.

Admonitio ad Superiores.

„ Meminerint Superiores manſuetudinis Sancti Patris noſtri Franciſci, qui dicere ſolebat: *Raro per obedientiam eſſe præcipiendum; nec primo eſſe fulminandum jaculum, quod debet eſſe extremum. Ad enſem*, inquit, *non cito manus mittenda eſt*.

„ Nihil verius iſtis: nam auctoritas imperandi in temerario præceptore quid eſt aliud, quam gladius in manu furioſi, *Barth. Piſan. lib.* 1. *Conform. tit.* 17.

„ Sint igitur Superiores in Ordine Fratrum Minorum, in præcipiendo, & prohibendo circumſpecti, prudentes, cauti, attendendo an id quod exigunt a ſubditis, Religioſo ſtatui non officiat; an regularem obſervantiam non evertat; an Fratrum vires non ſuperet; an ad eorum ſalutem, & perfectionem conducat; & multa alia &c.

„ Cavere ſtudioſe debent, ne more Phariſæorum, gravia onera humeris pauperculorum Religioſorum imponant, præcepta multiplicando, quæ ipſi nec obſervare, nec pondus digito tangere vellent.

„ Zelus, ſi quem habent, ſit rationabilis, non cæcus, ardens, ſed non impetuoſus, non acer, non minax, non imperioſus; ſed blandus, lenis, vera charitate compaſſiva inflammatus; memores verbi ſalvatoris Domini noſtri Jeſu-Chriſti: *diſcite a me, quia mitis ſum humilis corde: jugum enim meum*

„ *ſua-*

„ *suave est, & onus meum leve, Reges* „ *gentium dominantur eorum; vos au-* „ *tem non sic; sed qui major est inter* „ *vos, fiat sicut minor &c.*

Q. *Potestne Superior quæcumque subditis præcipere?*

R. Solum potest præcipere quæ ad Regulam, & regularem observantiam, directe, vel indirecte pertinent.

Religiosi enim non censendi sunt omnem voluntatem in Superiorem transtulisse, ut quælibet ipsis imponere possit, v. g. austeritates extraordinarias, continuum jejunium, vel cibis quadragesimalibus semper uti; sed solum se obligasse ad ei obediendum in iis, quæ observationem Regulæ, quam profitentur, concernunt.

Unde Sanctus Bernardus dicere non timuit: *Nihil mihi Prælatus prohibeat horum, quæ promisi; nec plus exigat, quam promisi.* Opusc. de præcepto, & dispens. cap. 3.

Et Sanctus Franciscus, dum *præcipit firmiter Fratribus* ut obediant suis ministris, Superioribus scilicet, *obedientiam restringit ad ea, quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ, & Regulæ nostræ.*

Q. *Quæ dicuntur esse contra animam, & Regulam nostram?*

R. Omnia illa quæ sunt illicita, quæ lege divina, naturali, Ecclesiastica prohibentur, sunt contra animam nostram. Et si Prælatus aliquid simile, quod scilicet in se est peccatum, vel incentivum, & inclinans ad illud, imperaret, *quod absit*, non teneretur subditus obedire: imo peccaret mortaliter, vel venialiter, secundum quod res imperata esset peccatum mortale, aut veniale. *Si Dominus carnis alia a Domino spiritus jubeat, non est illi obtemperandum*, Sanctus Hieron. in Epist. post Sanctum Petrum dicentem: *Deo magis obediendum esse, quam hominibus*, Act. 5. v. 29.

Illa vero adversantur præceptis Regulæ, quæ observationi trium votorum, præceptorum Regulæ, constitutionum, statutorum Ordinis, & regularis disciplinæ opposita sunt. In iis nullus obedire tenetur, etiamsi, *sub anathemate*, præciperentur. Patet ex textu.

Alia possunt esse præcepta a Superiore *supra Regulam*, hoc est quæ non comprehenduntur sub præceptis, nec sub consiliis expressis in Regula.

Alia dicuntur esse præcepta *præter Regulam*, quando scilicet, *ex genere suo*, sunt indifferentia ad Regulæ observantiam, licet variis rationibus & motivis possint aliqualiter ad illam conducere.

Q. *Superiori præcipienti aliquid supra Regulam, teneturne subditus obedire?*

R. Quæ sunt supra Regulam omnino, v. g. ire semper pedibus nudis cilicio, & flagellis se cruentare, quotidie jejunare in pane, & aqua, & similes extraordinariæ macerationes, nec possunt, nec debent a Superiore præcipi; nec Religiosus ad ea tenetur, quia Votum obedientiæ, ut dictum est, solum obligat ad ea quæ Regulam concernunt; sive explicite, sive implicite; hoc est sine quibus Regularis observantia servari non potest.

Et hæc intelligenda sunt de obedientia, *secundum necessariam obligationem*, quæ certis limitibus coarctatur.

Si vero sermo sit de obedientia *secundum perfectionem*, ad quam Religiosi tendere debent; extendit se ad ea omnia quæ non sunt contra Deum, animam, & Regulam nostram, quam professi sumus. Et de hac perfecta obedientia dicit Sanctus Bernardus finem nescire: *Terminis*, inquit, *non concluditur: nec contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis: & ad omne quod injungitur spontaneo vigore liberalis alacrisque animi, modum non considerans,* in

in infinitam libertatem extenditur. Super Cant.

Q. Potestne Papa dispensare in præceptis Regulæ Sancti Francisci?

R. Si de facto in aliquibus dispensarit cum *Fratribus Minoribus Conventualibus*, signum manifestum est quod habeat hanc potestatem: cum Regula nullam vim habeat, nisi quatenus ab ipso Summo Pontifice approbata, & confirmata est. Si igitur potest totam Regulam infringere, & abrogare; quanto magis in nonnullis ejus præceptis dispensare? Etenim sic utpote statem habet ligandi, ita & potestatem habet solvendi.

Merito igitur condemnati sunt a *Joanne XXII.* Fratricelli, seu Fratres Narbonenses, qui dicebant Regulam Sancti Francisci esse novum aliud Evangelium, aut saltem idem cum Evangelio, & propterea ejus præcepta a Pontifice esse indispensabilia, maxime in iis, quæ præceptorie, vel inhibitorie in Regula præscribuntur.

Extant duæ Bullæ *Joannis XXII.* contra præfatos Fratres, quos Pontifex vocat *superstitiosos, rebelles, pacis, & unitatis perturbatores, mira vanitate se solos de observantia Regulæ jactantes &c.* Una incipit: *Quorumdam exigit*, stilo eleganti, & gravibus verbis extensa. Altera incipit: *Gloriosam Ecclesiam &c.*

Recordari debent omnes, Beatum Franciscum nomine suo, & omnium futurorum suorum discipulorum *promisisse obedientiam, & reverentiam Domino Papæ, totamque suam Regulam subjecisse pedibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ &c.*

Q. Quare Sanctus Franciscus ordinavit suis Fratribus illam Domino Papæ obedientiam? Nunquid forte omnes Fideles eidem obedire non tenentur?

R. Hoc fecit in signum summæ fidelitatis; ut Ordo Fratrum Minorum ad finem mundi duraret.

Sicut fides Ecclesiæ, & successorum Petri deficere non potest; ita nec Ordo Franciscanus, quamdiu *subditus, & subjectus pedibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ perstabit.*

Tenentur quidem omnes Fideles obedientiam, & reverentiam Summis Pontificibus exhibere. *Obedientiam* in injunctis, & præcipiendis. *Reverentiam* in obsequendis, & perficiendis iis, quæ injuncta, & præcepta sunt ab eis.

Sed Fratres Minores duplici jure tenentur, *Christiano*, nempe Domini nostri Jesu Christi *decreto*: & *ex speciali promissione*, quam Romano Pontifici, & Sedi Apostolicæ fecit Seraphicus fundator, *in quo vovente* universi Fratres voverunt.

Unde subsunt *ut Christiani* quibusvis Pontificiis sanctionibus. Et ut *Fratres Minores* obedire debent omnibus ejus decretis, ad Regulam declarandam, glossandam, modificandam, & quovis alio modo pertinentibus. Hoc significant hæc verba: Obediant Domino Papæ; id est sine rebellione; sed cum omni subjectione, & reverentia, si aliter Regulam nostram vellet adhuc interpretari, pro ut nostro statui opportunum videret.

Q. Superiores Ordinis possuntne etiam dispensare in præceptis Regulæ; vel ea solum interpretari?

R. Possunt utrumque, ut ostendemus. Prius tamen sciendum est, quid sit interpretari legem, & dispensare in præceptis legis.

Interpretari legem, seu Regulam, nihil aliud est quam consideratis rebus, & rerum omnium circumstantiis, declarare rationabiliter legem in singulari casu non obligare. Ut quando *Mathatias* declaravit legem de sabbato servando non ita ligare quominus pugnare possent Hebræi contra inimicos, eo die insurgentes: cum tamen plurimi Judæorum, ejusmodi scrupulo turbati, se permisissent in sabbato interfici. *Lib. I. Machab. cap. 2.* Ut quando præceptum de non furando declaramus

X non

non obligare in extrema necessitate. *Dispensare in lege* est relaxare, per legitimam auctoritatem, obligationem legis cum aliqua persona, vel in aliquo casu, permanente adhuc legis obligatione respectu communitatis.

Ad licitam dispensationem requiritur justa, & rationabilis causa; & legitima auctoritas dispensantis, saltem cum haberi potest, & periculum non est in mora: quia nullus est judex in propria causa; sed Superioribus demandata est cura legis interpretandæ.

Tota igitur differentia inter dispensationem, & interpretationem in hoc consistit, quod *dispensatio* legem obligantem relaxet, *interpretatio* declaret non obligare.

Jam ad quæsitum dico, Superiores nostros præcepta Regulæ posse interdum interpretari, ut in certis casibus non obligantia; quia ipsi *ex vi officii* sunt interpretes legum. Si enim leges interpretationem non paterentur, frequenter in casibus particularibus injustitia committeretur; ut v. g. quando Frater gravi morbo laborans, teneretur recitare divinum Officium, vesci in diebus jejunii cibis quadragesimalibus, jejunia observare &c. Esset contra charitatem, si non liceret Superiori declarare præcepta illa in talibus circumstantiis non obligare.

Q. Nunquid posset subditus interpretari, æque ac Superior, præcepta Regulæ?

R. Posset quidem ubi Superior non adesset, & necessitas urgeret operandi. Si foret præsens, aut facilis esset ad eum accessus, necessario ad ipsum recurrendum est: quia ipsi soli, *vi sui Superioratis*, competit interpretatio legis, cum in casibus particularibus repræsentet legislatorem.

Dixi, si *necessitas* urgeret: alias si nullum esset periculum in mora, non opus est interpretatione; unum potest exequi, & aliud non omittere.

Q. Potestne Prælatus injungere subdito, ut se exponat periculo vitæ ob bonum proximi? Et teneturne subditus ei obedire?

R. Distinguendum est. Vel periculum, ut pestis, v. g. aut alius morbus contagiosus versatur inter Religiosos, & in Monasterio: Et sic potest Superior imperare Fratribus ut assistant in corporalibus, & spiritualibus peste infectis. Quia præstare Religiosos sibi invicem mutua pietatis, & charitatis ministeria, concernit Regulam quem professi sunt subditi; & ideo tenentur ad ea, etiam cum periculo vitæ, cum id exigat bonum commune Religionis.

Quod si hoc verum sit de omnibus Regularibus in communi, quanto magis verificari debet *in Fratribus Minoribus*, qui circa curam Fratrum infirmorum habent in Regula, singulare præceptum; dicente Sancto Patre: *Siquis Fratrum in infirmitatem ceciderit, alii Fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri*, Cap. 6. Regulæ. At quilibet, quovis morbo laborans, vellet sibi serviri, tum in temporalibus pro sanitate corporali recuperanda; tum in spiritualibus pro salute animæ suæ: ergo tenetur etiam aliis inservire, in iisdem circumstantiis, maxime dum ei a Superiore injungitur.

Vel pestis sævit extra Ordinem in civitate: Et tunc regulariter loquendo non tenetur subditus obedire Prælato jubenti ut ministret extraneis, cum periculo vitæ, quia hoc est *supra Regulam*: & quia officium illud spectat ad Episcopos, & Parochos.

Dixi, *regulariter*, quia per accidens, in casu, v. g. quo deessent Episcopi, & Parochi, qui Sacramenta infirmis ministrarent; vel qui ob infirmorum multitudinem non sufficerent; vel quia Religiosi fuerunt admissi in civitate sub conditione, ut inservirent peste infectis &c. tunc tenerentur obedire; tum ob conventionem præfatam, tum quia

Reli-

Religiosi sunt Episcoporum, & Parochorum coadjutores in salute proximorum procuranda. Et ob id fidelium eleemosinis sustentantur. Notandum quod Superior in prædictis casibus debeat eligere Fratres robustiores, minus utiles, & quidem pro corporalibus obsequiis erga infirmos primo debet eligere laicos postea Sacerdotes, bono communi id exigente.

Q. *Teneturne subditus sub mortali, obedire Prælato præcipienti* aliquid leve, *in virtute sanctæ obedientiæ*?

R. Peccaret quidem, & indubitanter, mandatum transgrediendo. Non tamen mortaliter, sed solum venialiter. Ratio est, quia præcepta humana non magis obligant, quam præcepta divina, quæ in rebus parvi momenti non obligant ad mortale.

Si tamen materia, seu res levis præcepta gravis esset ratione finis, obligaretur subditus præceptum servare sub mortali.

Multa enim præcipiuntur, quæ *ex se levia videntur, & indifferentia*, quæ tamen sunt materia gravis præcepti, propter finem, quem Superior in præcipiendo sibi proponit, puta, ut servetur castitas, paupertas, honestas morum, & hujusmodi, &c.

Sic præceptum Adamo impositum in ordine ad finem, quem Deus sibi proponebat, ut creatura suo creatori servitutem suam, & dependentiam testaretur, erat in materia gravi: licet abstinentia ab aliquo fructu *in se levis* appareat. In ordine tamen ad finem, sub mortali obligabat, quod patet ex verbis ipsiusmet Dei legislatoris: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, Gen. 2.

Cum ergo multa, quæ apparent levis momenti, valde tamen conducant ad ea quæ sunt explicite aut implicite in Regula, potest ea Superior *in virtute sanctæ obedientiæ* præcipere; & tenebitur inferior obedire, licet finem, ob quem ea imperat, non manifestet.

Pro majori securitate obediant Fratres nostri in omnibus, quæ non sunt contra Regulam, & animam nostram, sive illa levia, sive gravia sint. *Facies*, inquit Deus per os Moysis populo Israeli, *facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum*, Deut. 17.

Q. *Quot, & quæ sunt conditiones virtuosæ, & meritoriæ Obedientiæ*?

R. Quatuor, nempe promptitudo, fortitudo, humilitas, & cœcitas.

Primo, debet esse *prompta*, ut vitetur omnis mora, torpor, pigritia. Verus obediens non expectat, ut formaliter præcipiatur, vel pœna imponatur.

Fidelis obedientia, dicit Sanctus Bernardus, *moras nescit, fugit crastinum, ignorat tarditatem*, Serm. de vera Obed. Et alibi ait: *Verus obediens mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui; linguam voci; pedes itineri; manus operi; & se totum intus colligit, ut mandatum peragat imperantis*, De præcep. & dispens.

Seraphicus Pater noster Franciscus Fratribus suis sæpe dicebat: Charissimi Fratres, *primo verbum præceptum implete, nec expectetis iterari quod dicitur vobis. Nihil etiam impossibilitatis judicetis esse in præcepto; quia etsi supra vires ego vobis mandarem, sanctæ obedientia viribus non carebit, ut multa probant sanctorum Eremitarum, & Religiosorum exempla*. In vita apud Pisan.

Secundo, debet esse *fortis*, ad superandas difficultates, & ad vincendas, seu repellendas tentationes quæ insurgunt. Vix res præcepta est, quin diabolus adversarius noster statim impedimenta vera, aut apparentia proponat, ut obedientiam inanem, & vacuam reddat.

Tertio, debet esse *humilis*, ad refrænandam vanam gloriam. Hanc hu-

militatem commendat Jefus Chriftus, dicens: *Cum feceritis omnia, dicite quia fervi inutiles fumus*, Luc. 27.

Quarto, debet effe *cœca*, ad evitandas omnes controverfias, & inquifitiones de rationibus, feu de motivis præcepti, & de Superioris intentione, qui occultam quandoque habet rationem ita præcipiendi, quam in certis circumftantiis non tenetur fubdito revelare; cum in omnibus licitis, ex voto obedientiæ, voluntatem propriam illi fubjecerit.

Hinc Sanctus Paulus vult, *ut fubditi verbo Superioris obediant, & ad omne opus bonum fint parati*, ad Tit. cap. 3.

Debet etiam effe *cœca* ad imperfectiones, & vitia Superioris, ut ea non confideret, nec ob illa minus parere velit: verum confideret eum, cujus locum ille tenet.

Q. *Eftne differentia inter facere aliquid ex obedientia, & de licentia?*

R. Multum certo differunt. Aliquid peragere *ex obedientia* eft actus fummæ virtutis, & magno dignus præmio: Et quod plus eft, procul eft ab omni errandi periculo.

Quæ autem fiunt ex *licentia*, non funt ab omni periculo libera. Non raro accidit, quod Superior involuntarie concedat fubdito facultatem petitam, ad evitandum majus malum, rixas, jurgia, murmurationes, detractiones &c. Deinde in licentia aliqualiter concurrit voluntas fubditi; id quod valorem & meritum obedientiæ non parum minuit.

Q. *Quæ funt motiva fufficientia ad fatisfaciendum obedientiæ voto?*

R. Motivum neceffarium & fufficiens ad fatisfaciendum fuæ obligationi, eft rem præceptam adimplere, eo fine, ut Superiori promiffa obedientia præftetur.

Motivum magis neceffarium eft ad fubmittendum fe judicio, & voluntati ejus qui præcipit, contra propriam voluntatis inclinationem, feu repugnantiam.

Maximi meriti eft obedire pro amore Domini noftri Jefu Chrifti, qui cum Deus effet altiffimus, & omnipotens, *factus eft obediens pro nobis ufque ad mortem; mortem autem Crucis*; & ipfum Chriftum in perfona Superioris revereri.

Q. *Habemus ne exempla perfectæ illius obedientiæ?*

R. Plurima nobis exhibentur tam in veteri, quam in novo Teftamento.

Abraham ut Deo obediret, patriam, domum, cognationem reliquit; & filium unicum, unice dilectum, fuis immolaffet manibus, fi Deus quod jufferat impleri voluiffet. Non dixit: *in Ifaac mihi promiffum eft femen; quare nunc puer occidi mandatur?* Hoc non dixit, docens nos, non difcutiendum effe mandatum eorum qui præfunt, fed perficiendum.

Mirabile exemplum obedientiæ habemus in Apoftolis. Nondum Chriftum miracula facientem confpexerant, nondum cœleftis regni retributionem per illum futuram audierant; & ftatim ut vocavit eos, relictis omnibus, ipfum fecuti funt, atque ita ei adhæferunt, ut nulla deinde adverfitate, nullis perfecutionum tempeftatibus, avelli, fepararique potuerint.

Qui enim femel guftaverit, quam fuavis eft Dominus, omnes alias fuavitates facile contemnet. Ipfe quoque Dominus nofter Jefus Chriftus, ut nobis obedientiæ, fuo exemplo, præberet documentum, parentum obfequio fubdi voluit: *Et erat*, inquit Evangelifta, *fubditus illis*.

Qualiter autem, & cœlefti Patri obfequendum effet, monftravit cum dixit: *Non quæro voluntatem meam, fed voluntatem ejus qui mifit me Patris*. Et: *Defcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, fed voluntatem ejus qui mifit me*. Et ad Patrem: *Non ficut ego volo, fed ficut tu*.

In vitis Patrum, Eremitarum, Monachorum, & Sanctorum miranda leguntur perfectissimæ obedientiæ exempla.

Q. *Quid est inobedientia, & quale peccatum?*

R. Inobedientia est vitium oppositum obedientiæ. Et duplex est, *materialis*, quæ nihil aliud est, quam prævaricatio cujusvis præcepti? & sic omne peccatum est quædam inobedientia. Et *formalis*, quæ est vitium quo contemnitur aliquod præceptum, vel præcipiens, idque ea intentione, & deliberatione ut contemnatur. Atque hoc modo sumit suam speciem ab ipso præcepto, quod ita deliberate violatur.

Inobedientia, *ex genere suo*, peccatum est mortale. Sic ait Samuel: *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*. Et Apostolus: *Qui potestati resistit, divinæ ordinationi resistit*, Rom. 13.

Q. *Castigavitne Deus quandoque inobedientes?*

R. Imo severissimas pœnas inflixit, maxime illis qui jussionibus suis obtemperare detractarunt. Primo notissimum exemplum habemus in Adamo, qui per inobedientiam peccatum, & mortem invexit in mundum, seque Paradiso fecit indignum.

Chore, *Dathan*, & *Abiron* contra Domini præceptum, quod per Moysen eis dabatur, facientes, vivi a terra absorti fuerunt, *Num. cap.* 16.

Saul ob inobedientiam a Deo projectus est, ne esset Rex, 1. *Reg.* 15.

Propheta veniens de Juda in Bethel, quia contra Domini præceptum fecerat, a leone occisus fuit, 3. *Reg.* 13.

Populus Israeliticus propter inobedientiam ductus est captivus in Babilonem, *Jerem.* 34.

Historia Ecclesiastica repleta est similibus exemplis. Quod cuidam Fratri accidit, hic breviter enarrabo.

Cum quidam Religiosus solitus esset sæpe discurrere per civitatem, restrictus est a Priore suo, ita ut nisi in casu necessitatis non deberet exire extra Conventum. Sed ipse tot causas necessitatis finxit: nunc prætexendo se vocatum ad infirmum, nunc ad emenda hæc, nunc illa, quæ videbantur necessaria. Sed sub clamide talis licentiæ ibat ad alia loca sibi placita; & sic illudebat Priori. Cum semel a civibus compulsus fuisset hominem abreptum a dæmone exorcizare, venit ad illum, & cum legisset Evangelium S. Joannis, & alia quæ sibi legenda videbantur, subjunxit: *Præcipio tibi, in virtute sanctæ obedientiæ, ut exeas*. Tunc dæmon de corpore possesso respondit: *quid tu mihi habes præcipere in virtute sanctæ obedientiæ, qui nunquam vere obediens fuisti?* Ille vero Frater verecundatus, & confusus abscessit. Quod si verus obediens fuisset Superioribus, certe dæmonium illud obediens ei fuisset.

Principales actus inobedientiæ.

Primus est non obedire Prælatis præcipientibus, ex quadam superbia, ac contemptu, seu ex aliis passionibus ab obedientia avertentibus.

2. Obedire cum iracundo impetu, reclamando contra rem præceptam, & obmurmurando, strepitando &c.

3. Se falso excusare, dicendo se non posse præceptum adimplere, cum vere & realiter possit.

4. Dicere Prælatis, habe me excusatum, *hoc faciatis vos*, *aut alteri jubeatis*, ego nolo facere; quod est induere personam Superioris, cum sint subditi.

5. Vocatos non respondere, & fingere se non audivisse vocem appellantis, aut quid præcipiebatur; se abscondere ad evitandum Superioris mandatum, & ut alteri exequendum imponatur.

6. Improperare Superiori, dum bis idem præcipit, dicendo ex accidia, & im-

impatientia: *toties jam feci istud*, quasi obedientia sit terminis clausa, & non perpetua.

7. Obedire ob mercedem temporalem, ut Superiorem sibi reddant favorabilem, & amicum, & licentias exeundi facilius concedat, alioquin obedientiam non præstituros. Et in hoc non tantum perdunt meritum laboris, sed etiam peccant ob malum finem.

8. Timorem incutere Prælato; studiose satagere ut nihil imperare audeat, vel ut non possit; & ut dato præcepto illud habeat revocandum, ad quam revocationem minime inclinare dignoscitur.

9. Importunis precibus, & amicorum sollicitationibus Superiorem constringere, ut subditi beneplacitum exequatur, eique concedat, contra propriam suam inclinationem, & voluntatem, quæ ab ipso exiguntur &c.

DE

VOTO CASTITATIS.

Q. *Quid est Castitas Religiosa?*

R. Est votum solemne, quo Religiosus promittit Deo, sese cohibiturum ab omni delectatione venerea, licita, & illicita.

Dicitur *votum solemne*, in quo convenit cum Obedientia, & Paupertate, & disconvenit cum voto castitatis simplici.

Dicitur, ab *omni delectatione venerea*, quia per tale votum Religiosus interdicit sibi omne quod virtuti castitatis adversatur, tam internum, quam externum; cogitationem, desiderium, tactum, aspectum, colloquium, osculum, amplexum, actionem &c.

Q. *In quo conveniunt, & in quo differunt votum simplex, & solemne castitatis.*

R. In hoc conveniunt, quod ambo privent voventes omni actu libidinoso, & carnali, tam licito, quam illicito.

Differunt autem, Primo, quod *votum solemne* inhabilitet voventem in perpetuum ad Matrimonium, ita ut qui illud contrahere præsumeret, excommunicationem Papæ reservatam, *ipso facto*, incurreret.

Secundo, votum solemne irritat sponsalia præcedentia, quæ fieri censentur sub hac tacita conditione, *nisi Religionem amplecti volvero.*

Votum autem simplex non dirimit Matrimonium subsequens, ita ut voto simplici castitatis ligatus, peccet quivem mortaliter contrahendo Matrimonium, regulariter tamen valet, tenetque Matrimonium.

Debitum vero exigere non potest quia hoc se jure privavit; reddere tamen nihil vetat; imo tenetur, quia solum illicite contraxit.

Secundo, votum simplex non irritat sponsalia præcedentia: Unde si possit, & sponsa velit, tenetur dispensationem petere.

Q. *Cur castitatis votum simplex non irritat matrimonium?*

R. Quia Ecclesia voto simplici tale impedimentum dirimens non apposuit. Et ratio est: quia sic vovens non posuit se in potestate Ecclesiæ, nec se tradidit Superiori, sicut ille, qui votum solemne emittit; sed solum potestati Dei se commisit: Unde Ecclesia judicio divino eum relinquit, si votum non servat.

Q. *Si voto simplici ligatus peccat Matrimonium ineundo, quare Ecclesia non illegitimavit tale Matrimonium?*

R. Quia Ecclesia non omnia mala punit, nec sic omnia mala prohibet, ut idcirco pœnas Ecclesiasticas injungat. Malum forte majus sequeretur ex illegitimatione voventium voto simplici, quam ex non illegitimatione, quia

ibi

ibi sequeretur frequenter culpa in actu carnali, si nollent continere, sicut valde probabile est de multis.

Habentes autem uxores ii non petendo, sed reddendo debitum, iis actibus licite uterentur.

Q. *Religiosus peccans contra castitatem, quotuplex peccatum committit.*

R. Duplex. Et ratio est, quia violatio castitatis in eo duplicem habet malitiam specificam, in Confessione necessario explicandam: nimirum *luxuria*, contra temperantiam, & castitatem: Et *sacrilegii*, contra Religionem, ratione voti.

Aliqui dicunt, quod si Religiosus esset Sacerdos, tria peccata committeret fornicando. Unum contra præceptum decalogi: *Non mæcaberis*. Aliud contra votum castitatis in professione emissum. Aliud contra votum castitatis Sacro Ordini annexum, adeoque contra tria præcepta, nempe Dei, Ecclesiæ, & Religionis.

At contrarium multo probabilius est, quia sola præceptorum diversitas non facit malitias diversæ speciei, nisi etiam sint contra diversas specie virtutes, &c. Sicut enim frangens jejunium in vigilia in Quadragesima occurrente, unicum peccatum committit, ita discurrendum est in nostro proposito. Malitia contra castitatem Ordini Sacro debitam, & malitia contra votum ejusdem castitatis non sunt contra diversas virtutes, sed contra eamdem, & ideo cum non sint malitiæ specie diversæ, non constituunt peccata duo specie diversa, necessario in Confessione exprimenda.

Q. *Tenenturne Fratres Minores strictiori præcepto servare castitatem, quam alii Religiosi?*

R. Expositores Regulæ Sancti Francisci affirmant communiter, quod voti castitatis vinculum, sicut & aliorum votorum, strictiori observantia indicitur *Fratribus Minoribus*, quam cæteris Regularibus. Cujus ratio est, quia non solum ipsi tenentur ad venereæ delectationis moderationem, quæ communis est omnibus Regularibus; sed etiam ut omnino evitare debeant, quod ipsis specialiter præcipitur, vitare, inquam, debeant *suspecta consortia & consilia mulierum, ingressum in Monialium monasteria, ac denique compaternitates virorum, & mulierum*, quæ capite decimo prædictæ nostræ Regulæ prohibentur.

Q. *Omne peccatum contra castitatem in Religioso, estne mortale?*

R. Minime. Cum non sit semper peccatum mortale in sæculari, nec pariter in Religioso.

Ratio est, quia votum castitatis non immutat obligationem juris naturalis, sed solum addit circumstantiam *sacrilegii*, quæ circumstantia naturam actus, cui adjuncta est, sequitur. Unde si materia libidinis sit mortalis in sæculari, erit dupliciter mortalis in Religioso. Si venialis, erit & in ipso dupliciter solum venialis, & nihil amplius.

Q. *Quod in sæcularibus solum est veniale, possetne quandoque esse mortale in Religioso?*

R. Ita, si adesset scandalum. V. G. Verbum inhonestum, gestus indecens, & similia, coram sæcularibus, nata sunt eos scandalizare, & tanto magis, quanto Religiosus, ratione status, aliis præesse debet exemplo. *Nugæ*, inquit Sanctus Bernardus, *in ore sæcularium sunt nugæ; in ore autem Religiosorum, sunt sacrilegia*. Hæc attendant Religiosi.

Q. *Cogitationes carnales, & inhonestæ, suntne semper peccaminosæ?*

R. Nemo dicet unquam rationabiliter, quod semper sint peccaminosæ, seu peccata.

Bone Deus! Quis non interdum pulsatur, & inquietatur lascivis, & turpibus cogitationibus, & phantasmatibus? Sed in ipsis sibi complacere, & im-

immorari cum plena advertentia, & voluntate actus carnales, seu libidinosos opere consummandi, si occasio adesset, peccatum est, teste Jesu-Christo Redemptore nostro: *De corde*, inquit, *exeunt cogitationes malæ, adulteria, & fornicationes* &c. Matth. 15.

Q. *Quid ergo, si quis in animo revolvens cogitationes obscænas, in ipsis unice consisteret, absque ulteriori voluntate actus obscænos exterius perpetrandi?*

R. Certissime peccaret, dummodo adesset perfecta rationis advertentia ad malitiam talis delectationis, & illam repellere negligeret.

Similes cogitationes a Theologis vocantur *delectationes morosæ*, quæ aliud non sunt, quam amor, seu complacentia objecti cogitati absque desiderio executionis.

Dicuntur autem *morosæ*, non a mora temporis, sed ex eo quod voluntas, post plenam advertentiam, in eis immoratur, & eas statim non repellit.

Q. *Suntne cogitationes istæ peccata mortalia.*

R. Distinguendum est. Si materia, seu actus, circa quos versantur, sint sub mortali prohibiti, sunt peccata mortalia. Alias non nisi venialia.

Ratio est, quia cogitationes seu actus interni eamdem specie malitiam habent, quam actus exteriores circa quos versantur; cum suam bonitatem & malitiam ab actu externo, tanquam ab objecto desumant.

Q. *Unde dignoscere potero, an consensum libidinosis cogitationibus præbuerim, nec ne, & in ipsis delectatus fuerim?*

R. Ex complacentia in ipsis habita, vel displicentia: Aliquæ cogitationes nobis invitis insurgunt, vel a spiritu immundo, vel ab objecto aliquo amabili, sensibus nostris exposito, vel etiam a naturali carnis commotione.

Hæ cogitationes sunt potius materia conflictus, victoriæ, & meriti, dum eas viriliter reiicimus, tanquam Deo, & nobis displicentes.

Q. *Ego anxius, & scrupulosus semper dubito, num ipsis qua par erat restiterim, aut aliqualem consensum præbuerim, quomodo dubium resolvam?*

R. Si impuras illas cogitationes cum dolore sustinueris, si ad Deum & Sanctos recursum habueris; si pœnale aliquid ad propulsandam tentationem adhibueris; si mentem ad alia distraxeris; manifestum signum est, quod non consenseris.

DE
REMEDIIS
Ad conservandam Castitatem.

Q. *Quæ sunt remedia a Religioso adhibenda ad conservandam castitatem illibatam?*

R. Sanctus Bonaventura plura assignat.

Primum est fuga mulierum. *Qui corpus suum*, ait, *continentiæ dedicat, mulierum consortia fugiat: quia cum muliere semper esse, & mulierem non tangere*, secundum Sanctum Bernardum, *plus est, quam mortuum ressuscitare.*

Q. *Estne ergo consuetudo, & familiaritas cum mulieribus adeo periculosa?*

R. Quis dubitat? periculosissima est, teste Spiritu Sancto per os Salomonis loquente: *Omnes qui ingrediuntur ad eam*, nempe mulierem, *non revertentur, & apprehendent semitas vitæ*, Proverb. 2.

Audiatur iterum expertissimus ille vir: *Lustravi universa animo meo*. Quid tandem curiose omnium rerum indagator reperisti? *Inveni*, inquit, *amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum*

torum est, vincula sunt manus ejus, qui placet Deo effugiet illam, Eccl. 7.

Q. *Qua ratione mulier est amarior morte?*

R. Quia mors semel necat; & mulier quotidie; singulis horis amasios cruciat. Unde Poeta recensens damna libidinosæ mulieris, ingeniose cecinit.

Corpus, opes, animam, consortia, fœdera, famam,
Debilitat, perdit, necat, odit, destruit, aufert.

Qui ergo vult castitatem servare integram, fugere debet aspectus, colloquia, & familiaritatem fœminarum: *In medio mulierum*, ait Sapiens, *noli commorari; a muliere iniquitas viri..... Colloquium illius quasi ignis exardescit*, Ecclef. 9. v. 12.

Hanc doctrinam venusto disticho expressit Poeta, his verbis.

Quid facies, facies Veneris si venerit ante?
Ne sedeas, sed eas; ne pereas per eas.

Meminisse debemus illius dicti: *Peccatum initium duxit a muliere; & per eamdem omnes morimur*, Ecclef. 25.

Item experientia compertum esse; societatem mulieris, etiam piæ, periculosiorem esse, quam viri improbi, juxta illud: *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.*

DE SECUNDO REMEDIO.

Q. QUodnam est secundum remedium? R. Est otium fugere, quod omnium malarum cogitationum sentina est, juxta illud: *Multam enim malitiam docuit otiositas*, Ecclef. 33. Hinc Sanctus Antonius Abbas a Deo audivit: *Antoni, quæris servare castitatem, ora, & dum orare non poteris, labora, & semper aliquid facito.*

Tritum est illud, quod Seraphicus Pater dixisse fertur.

Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora.
Sic erit hora brevis, & labor ipse levis.

Hinc Hieronymus, astutias dæmonis perfectes cognoscens, & quantum prævaleat super homines otiosos, sequens dat consilium: *Aliquid boni operis semper facito, ut te diabolus inveniat occupatum: Non enim facile capitur a Diabolo, qui bono vacat exercitio*, In serm.

Sit tibi *perpetua atque vigil tibi cura salutis.*
Otia perpetuo delitiosa cave.

Q. Habesne exempla aliquorum, qui in otio castitatem perdiderunt?

R. Quamplurima, sed sequentia duo referre sufficit.

Quamdiu David bellum gessit, luxuriam nescivit. Dum otiosus domi remansit, *tempore quo solent Reges ad bellum procedere*, adulterium, & homicidium commisit.

Salomon ejus filius, quamdiu fuit occupatus circa ædificationem Templi, luxuriæ illecebras non sensit. Finito opere, libido ipsum invasit: se totum in alienigenarum mulierum lasciviam commisit, & in Idololatriam lapsus est; vitulum adoravit; & suæ conversionis dubium posteris reliquit.

Q. *Cur otium tantopere confert ad libidinem?*

R. Quia non potest animus noster manere otiosus. Si illum circa res hone-

nestas non occupaveris, ad res inhonestas, & illicitas, ad vana, & carnalia, ad murmurationes, ad detractiones, aliaque scelera cogitanda, & designanda deflectit: juxta illud commune proverbium: *Homines nihil agendo male agere discunt*. Unde optime dixit Poeta Ovidius.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.
Contemptaque jacent, & sine luce faces.

Et Martialis attonitus de rumore excitato ob nefandum impudicitiæ crimen, a quodam bonæ famæ viro commissum, mirantibus cunctis, causamque poscentibus, qualiter in tale scelus incidisset; his versiculis respondit.

Quæritur, Ægyptus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

D E

TERTIO PRO CASTITATE

Servanda Remedio.

Q. Quodnam est tertium remedium?
R. Frequens studium Orationis, & devotionis. Audiatur sapientissimus hominum Salomon: *Ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adii Dominum, & deprecatus sum illum*, Sap. 7.

Sanctus Paulus de seipso loquens, ait: *Datus est mihi stimulus carnis, propter quod ter Dominum rogavi*, 2. Corint. 12.

Q. *Unde tanta virtus Orationis?*

R. Quia Oratio mentem ad Deum elevat, affectiones cordis purificat, desideria casta producit; Dei amorem infundit, quo horror peccati, & maxime carnalis delectationis generatur; voluntatem contra tentationes roborat, & tentationes ipsas debilitat.

Q. *Suntne alia remedia præter recensita?*

R. Plura adhuc sunt, quæ a Patribus adducuntur, præter tria memorata principalia, & quæ breviter perstringemus.

1. *Amor Dei super omnia*: qui enim Deum diligit, ipsi placere studet, & facile omnia carnis oblectamenta contemnit.

2. *Humilitas*. Sæpe contingit, ut qui alios despicit, in immundum, & pudendum carnis peccatum, Deo sic permittente, cadat, ad reprimendam ejus superbiam. *Audeo dicere*, inquit S. Augustinus, *superbis continentibus oportet cadere, ut in eo ipso, in quo se extollunt, humilientur. Quid enim prodest, cui est continentia, si dominetur superbia*, Serm. 37. super Matth.

3. *Sobrietas*. Nullus non scit, intemperantiam, crapulam, ebrietatem continentiæ inimicas esse. *Qui delicate nutrit servum in juventute sua, postea sentiet eum contumacem*, Prov. 29. Ita qui indulget ventri suo, rebellionem carnis habebit sustinendam. *Luxuriosa enim res est vinum*, *ibid.* Unde merito dicit Hyeronimus; *Nunquam ego ebrium, castum putabo*, in Epist.

4. *Corporis macerationes*, ut sunt jejunia, vigiliæ, disciplinæ, & cæteræ austeritates, per quas rebellis caro luxuriosa debilitatur, & victa Spiritui subiicitur: *Corpus, quod abstinentia frangit*, ait Doctor mellifluus, *ignis luxuriæ non exurit*. Et Sanctus Chrysostomus: *Castitas sine comitibus suis, jejunio* videlicet, *& temperantia, cito labescit: quod si his quasi adminiculis roborata fuerit, perfacile coronabitur*. Super. Psal. Hom. 10.

Q. *Frequentia Sacramentorum Pœniten-*

tentiæ, & Eucharistia, numquid plus cæteris remediis confert ad conservandam castitatem?

R. Certissime. Quia his Sacramentis Christus Dominus maximam vim annexit, ad eradicandum funditus peccatum, & potentem gratiam ad superandas tentationes, motusque concupiscentiæ compescendos: Et idcirco voluit, ut ipsa Sacramenta frequentius a Fidelibus reciperentur, quam cætera, quæ non nisi certo tempore & raro conferuntur.

Per Confessionem confunditur peccator; infames actiones, si quas commisit, Confessario declarando; & a novis libidinis actibus retrahitur. Audi Ambrosium: *Quem commissi criminis pudet, nescit postea tale quid committere.*

Q. *Qua ratione Sacram Communionem contra impuritatem valere dicis?*

R. Quia secundum Prophetam Zachariam: *Eucharistia est frumentum electorum, vinum germinans Virgines*, Zach. 9. At quomodo? cupiditatum vires frangendo; impuri amoris flammas extinguendo. Caro enim Christi virginea, quæ nos alit in hoc Sacramento, nos ei similes efficit, puta virgines florentes, & immortales.

Quare fuit olim consuetudo ut energumenis sæpe daretur Eucharistia ad impurum Satanam ejiciendum. Quippe *illa ab homine sumpta*, inquit Serenus, *insidentem in membris luxuriæ spiritum velut exurens, fugat incendio, atque omnium corda, & mentes divinæ castimoniæ ardore inflammat.*

Hinc illud complures observarunt, primis illis Ecclesiæ temporibus, ideo tot floruisse Virgines, quod frequenter divino hoc pabulo reficerentur.

Et nunc, quaso, quid est, quod in tot viris Religiosis immaculatam conservat puritatem? Eucharisticus panis, frequenter ab ipsis cum devotione, & debita reverentia sumptus.

Q. *Quænam remedia adhibenda contra cogitationes inhonestas?*

R. Duo præcipue assignantur remedia.

Primum est rejicere procul a se omnia, quæ luxuriæ ignem accendere nata sunt, ut sunt libri obscæni, picturæ impudicæ, nuditates, & gesta lubrica repræsentantes.

Secundum remedium est cogitationibus turpibus statim, & in ipso exordio resistere: postquam enim phantasiam occuparunt, difficillime rejiciuntur.

Debet ergo tentatus, ut advertit illas cogitationes, alio intellectum divertere, considerando dolorosissimam Passionem Domini nostri Jesu-Christi, pœnas in inferno impudicis destinatas; mortem suam forte esse vicinam, se ad supremum tremendi judicis Tribunal vocari, & similia, quæ a peccato retrahunt, ut scriptum est: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.*

Debet insuper actus oppositos quam primum elicere, invocando Jesu-Christi, Beatæ Mariæ Virginis, Angeli Custodis, & Sanctorum Patronorum suorum auxilium; interius protestando se malle millies mori, quam in minimo Divinam Majestatem offendere.

DE VOTO PAUPERTATIS.

Q. *Quotuplex est paupertas?*

R. Duplex, *necessaria* una, quam patiuntur mendici, qui omnibus fortunæ bonis privati, eleemosinis Fidelium sustentantur.

Voluntaria altera, quam amplectuntur illi, qui sponte rebus omnibus temporalibus abdicatis, vitam parcam, & pauperem agere volunt.

Q.

Q. *Hæc paupertas voluntaria estne multiplex?*

R. Ita. Duplex est, *Phylosophica una*, seu *moralis*, quæ ex motivo humano temporalia contemnit, ut fecit Crates cum multis aliis; ut illi soli toto animo serviat; & *Apostolica altera*, quæ generose omnia abdicat propter Deum.

Q. *Quid est paupertas Apostolica, seu Religiosa?*

R. Est virtus Christiana, quæ a Christo consulitur, per quam Religiosus in sua professione renunciat cum voto rebus temporalibus, sive possibilibus, sive actualibus, abdicando a se omne dominium, & proprietatem earum.

Dicitur, *qua Religiosus abdicat a se*, non a Monasterio, si possideat in communi.

Dicitur, *dominium*, in eo consistens quod quis possit de re sua pro libitu disponere, illamque ablatam juridice repetere. *Et proprietatem*, quod possit re sua independenter ab aliquo uti; cum Religiosus nulla re uti possit, nisi ex voluntate, aut licentia Superioris.

Dicitur, *de rebus temporalibus:* quia Religiosus retinet dominium bonorum spiritualium, honoris, famæ, & similium, quibus per votum paupertatis non renunciat, quia caderet in detrimentum sui Ordinis.

Additur actualibus, & possibilibus, quia non tantum juri in possessa, sed & in possidenda renunciat.

Q. *Potestne Religiosus noster de licentia Superioris habere administrationem bonorum temporalium, usum fructum, vel etiam usum?*

R. Non potest, quia illa directe repugnant voto paupertatis, nec Superior hanc facultatem concedere potest, & si concesserit, nulla est. Ita declaravit Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularibus: cujus decretum renovarunt Constitutiones Urbanæ.

Q. *Si Superior talem facultatem præberet, & inferior ea uteretur, quas pœnas uterque incurreret?*

R. Ultra peccatum utrique commune, Superior omni gradu, & officio, *ipso facto*, privaretur, ad eaque perpetuo inhabilis redderetur. Subditus vero pœnis proprietariis annexis, etiam *ipso facto*, subjaceret.

Q. *Ad quid tenetur Religiosus qui pecuniam a parentibus, aut amicis accipit, aut suo labore, & industria acquirit?*

R. Debet statim pecuniam illam Superiori locali tradere, & consignare; quia ultra spatium viginti quatuor horarum, non potest sine gravi peccato eam apud se retinere, prohibente *Urbani VIII.* decreto, in Constitutionibus nostris inserto. Superior vero accepta pecunia, in ærario Conventus eam reponere debet.

Quod dicitur de pecunia, intelligitur etiam de aliis rebus, prætio æstimabilibus, ut sunt libri, vestes, & alia mobilia, quibus uti non licet, nisi præhabita Superioris licentia.

Q. *Quid si subditus pecuniam apud se retineret, aut apud tertiam personam, ut posset, cum libuerit, de ea disponere?*

R. Superior, habita istorum notitia, tenetur illum *ut proprietarium* castigare, & a Conventu expellere, & ipsum biennio voce activa, & passiva privatum declarare, juxta nostras Constitutiones, quæ habent: *Qui autem suæ professionis, suique voti oblitus, secus attentare præsumpsit; adeo ut intra præfatum temporis,* 24. scilicet horarum, *spatium, pecunias quomodolibet acquisitas, apud semet, vel apud alios retinuisse deprehensus fuerit, biennio utraque voce privetur, & ut proprietarius puniatur... Quod si eleemosinam sibi datam propria auctoritate dispensare ausus fuerit, ab eo Conventu ubi de familia degit, expellatur*, in cap. 4. Tit. 8. n. 5. &c.

Q.

Q. *Quid si animum haberet pecuniam non expendendi sine licentia Superioris, esset ne etiam proprietarius?*

R. Cum dominium, & proprietatem pecuniæ, aut alterius rei non sibi arroget, nolitque de eis disponere, *invito Superiore*, non videbitur aliquibus notabiliter peccare contra votum paupertatis; adeoque proprietatis vitium, & pœnas non incurrere.

Attamen si materia sit gravis, in tali casu dico Religiosum *peccare lethaliter*: si levis, *venialiter*.

Nec refert, quod nolit pecuniam expendere, nisi de consensu Superioris, quia Constitutiones nostræ non admittunt hanc clausulam, seu restrictionem: sed absolute, generaliter, & sine ulla conditione præcipiunt, ut pecunia statim consignetur Superiori, in ærario conventus reponenda, & vitium proprietatis incurrisse declarant eum, qui illam ultra 24. horarum spatium, *quovis prætextu*, quod bene advertendum est, apud se retinuerit: supposito tamen quod nullum legitimum impedimentum habuerit illam cito consignandi.

Cum ergo Constitutiones nullam retinentis intentionem excipiant, non enim dicunt, *nisi animum habeat pecuniam non expendendi sine Superiorum facultate*, sed pure & simpliciter ordinent deponendam esse intra 24. horarum spatium, *sub pœna proprietatis*, si retineatur, non video qualiter proprietatis notam non incurreret.

Q. *Quid est recipere pecuniam per se, & per interpositam personam?*

R. Recipere pecuniam *per se* est eam immediate, in propria scilicet persona, & privata auctoritate acceptare, & in proprios usus pro libitu convertere.

Recipere autem pecuniam *per interpositam personam*, est substituere aliquem, qui ejus nomine denarios, seu pecuniam recipiat; de quibus postea substituens ad placitum *sine Superioris* dependentia disponere possit, mandando substituto, ut in tale, vel tale quid, *pro necessitate, vel utilitate propria*, denarii expendantur.

Utraque denariorum receptio, modo dicto, omnibus Franciscanis est interdicta, quia proprietatis includit vitium.

Q. *Cum Seraphicus Pater prohibeat receptionem pecuniæ, vel denarii, quæ differentia est inter unum & alterum?*

R. Aliqualem esse diversitatem inter hos duos terminos animadvertunt Expositores, ratione istius particulæ, *vel*, in hoc præcepto appositæ, *non recipiant denarios, vel pecuniam*. Licet pro nunc secundum usum civilem & ordinarium pro eodem accipiantur *denarius*, & *pecunia*, ut interrogationi aliqualiter satisfaciam, dico: quod per *denarium* intelligitur *moneta numerabilis*, seu numerata, *ad usus publicos, ex ære, argento, auro, vel quocumque metallo fabricata, emptioni rerum specialius destinata*. Per *pecuniam* vero intelligitur quæcumque alia res, sive mobilis, sive immobilis, qua uti possunt homines loco denariorum ad aliqua emenda. Verb. Grat. desunt mihi nummi, seu denarii ad emendum granum, vel quid aliud mihi necessarium, offero pro prætio vinum, oleum, libros, equos, vestimenta, vel quodlibet aliud, æquali, vel majori prætio æstimabile: illa omnia sub nomine *pecuniæ*, comprehenduntur, *quando destinata sunt ad prætium rerum emendarum*.

Q. *Quæ fuit voluntas Sancti Francisci circa receptionem pecuniæ, & denariorum?*

R. Voluntas ejus fuit prohibere suis Fratribus, non solum ne *denarios*, id est ne quamcumque *monetam* reciperent, sed etiam *pecuniam*, id est quodcumque aliud, quod loco monetæ datur, vel quo res ab eo diversæ emi possunt.

Unde aliquibus visum est, non pos-

se Franciscanos, sermo est de iis, qui pure simpliciter, & ad litteram Regulam profitentur, non posse, *inquam*, recipere v. g. vinum, oleum, pannum, cum animo istis rebus non utendi *in propria specie*; sed in granum commutandi, vel cum intentione vendendi pro alia re; quia hoc esset *recipere pecuniam*, non quidem *formaliter*, cum nomine pecuniæ *moneta* ex ære, argento, vel auro confecta intelligenda veniat; sed *æquivalenter*, cum ex eo idem acquiratur.

Alienum esse dicebant a mente, & a spiritu Seraphici Patris prohibentis tam severe Fratribus suis, ne *pecunias*, *aut denarios* reciperent, non interdixisse iisdem quominus fieri possent mensarii, seu permutatores, imo & emptores quarumcumque rerum, ex eleemosinis oblatis, aut proprio manuum labore acquisitis, *taxato*, tum rerum commutandarum, tum emendarum, & recipiendarum, *justo prætio*, cum in talibus circumstantiis res commutanda, v. g. granum in vinum, habeat rationem pecuniæ, ex eo enim æqualiter negotiari possent Fratres, ac facerent cum pecunia in specie numerata.

Q. *Suntne ergo Franciscani illi Regulæ suæ transgressores?*

R. Tales forte reputarentur ab iis, qui præfatæ sunt opinionis: sed opposita suis rationibus non caret. Pater Marchantius, ex Reformatis, seu Recollectis scriptor illustris, pro suo toto Ordine, sustinet non esse Fratres Minores Regulæ Seraphicæ transgressores, quando unam rem *superabundantem* vendendam tribuunt per persones idoneas: aut ipsi commutant pro alia re necessaria, etiam *taxato prætio*.

Denarius, *& pecunia*, secundum ipsum, sunt fere synonima, quia communiter per eodem usurpantur.

Pecunia, *inquit*, nihil aliud est quam id, quo publica auctoritate uti solent homines ad prætium rerum emendarum; sed homines uti non solent ordinarie grano v. g. ad emendum vinum; ergo granum quod dant Religiosi citati pro habendo vino, dici non potest *pecunia*.

Nemo inquam dicat merces mercatorum esse *pecuniam*, nisi forte *analogice*; quatenus per eas pecunia acquiri potest: Ergo pariter granum Franciscanorum dici non debet pecunia.

Nec refert, quod granum ab eis collectum, *etiam prætio ipsius taxato*, donent *loco pecuniæ*, pro habendo, v. g. vino: reipsa tamen *pecunia* non est; alias non fuisset ipsis licitum granum recipere, aut colligere, si granum esset pecunia.

Deinde *Nicolaus III.* in Extravaganti, *Exiit qui seminat &c.* permittit Fratribus Minoribus acceptare legatum *alicujus domus*, *agri &c.* ut per personas idoneas vendantur, & pecuniæ in Fratrum necessitates expendantur; ergo legatum ipsum, sive domus quæ acceptatur, non est *pecunia*, sed potius pecunia ex domus venditione conflatur, quæ postea in Fratrum necessitates convertitur per personas idoneas, seu Syndicos: Ergo nec similiter granum, aut aliud quodcumque, *exceptis denariis*, quod Fratres Minores recipiunt, ad hoc ut vendant aut commutent, reputari debet *pecunia*, quamvis ex illa re conflari queat.

Hæc sententia licite, & tute excipi potest, non contradicente, sed potius consentiente Pontifice, cujus est Regulam interpretari, & declarare.

Non desunt tamen responsiones ad rationes adductas; sed nihil ad nos Fratres Minores Conventuales. Hæc exercitii causa dicta sint.

Q. *Cum in Regula habeatur:* Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec aliquam rem &c. *Filiationes quæ sunt in usu in nostro Sacro Ordine, suntne contrariæ huic præcepto?*

R. Primo intuitu videtur quod filia-

tio-

tiones sint huic textui directe, & omnino oppositæ; adeoque per Regulam prohibitæ. Quia, cum quis in filium Conventus admittitur, Conventus fit ei proprius; & sæpe auditur, & quandoque etiam habetur in nostris Constitutionibus, gravium criminum reos expellendos esse a *proprio seu nativo Conventu*.

Nihilominus Constitutiones ipsæ clare, & aperte declarant: *neque paternitatis, neque filiationis usum arguere adversus Regulæ præceptum, domus, aut loci appropriationem &c.* in cap. 6. tit. 2. n. 1.

Sed nullam adducunt rationem, quæ esse potest, meo judicio, quod Religiosus per affiliationem *nullum jus, aut dominium acquirat*, ita ut de Conventu, & de rebus ad eum spectantibus disponere valeat; cum solum talis Conventus, in cujus filium admissus est, usibus ejus assignetur, ad nutum Superiorum revocabilis, cum possint ab hoc loco eum amovere, prout propriæ Fratris saluti expedire judicaverint.

Res clarius patebit infra, explicando vocabulum appropriare.

Q. *Quid igitur est rem aliquam sibi appropriare?*

R. Est rem in suum dominium convertere, & de ea pro suo arbitrio disponere, eam donare, vendere, commutare, sine alterius dependentia.

Q. *Qualiter dicitur quis appropriare sibi domum; Et quid nomine domus intelligitur?*

R. Nomine domus in hoc textu Regulæ intelligitur *Conventus*, qui communi vocabulo etiam *domus Religiosorum vocatur*.

Tunc aliquis appropriare sibi censetur *domum*, aut *Conventum*, non quando alteri dat, quod non est in sua potestate, sed quando ita sibi usurpat dominium Conventus, ut alios ibi de familia collocari ægre sustineat, vel dum ipse alio missus, de eo exire recusat; ibidemque contra obedientiam, & Superiorum mandatum ei intimatum, remanere *toto conatu* ad laborat, cum præfatorum suorum Prælatorum confusione, & contemptu. Vel ita se gerit, amicos, & magnates in sui favorem implicando, ut Superiores inviti, *ad evitandum majus malum*, cedere cogantur, & subditi rebellis voluntatem, beneplacitum, & sensum exequi: sic ut non Frater Superiori; sed Superior *in tali casu* inferiori obedientiam præstet.

Q. *Quid intendit Sanctus Franciscus prohibendo ne Fratres non solum domum, sed nec locum sibi appropriarent?*

R. Probabiliter intentio ejus fuit, ut Fratres non solum domum, seu Conventum; sed nequidem ejusdem domus minimum locum, seu cellam sibi propriam facerent.

Quando ergo Religiosus vult cellam aliquam inhabitare, quasi ut propriam, renitente, aut non consentiente Superiore; nec vult, *jubente Superiore*, eam alteri cedere, ob speciosa motiva, qualia esse possunt: v. g. vel quia est senior illo, cui camera destinatur: vel quia illam prius incultam, & desertam, suis eleemosinis habitabilem reddidit: vel quia reparavit, ornamentaque adjecit; vel ob alias ejusmodi sive majoris, sive minoris momenti rationes, *vitii proprietatis reum* se reddit.

Neque adducta renitentiæ sua motiva ipsum excusant, licitumque ei faciunt, ut possit ab obedientia recedere, & in *dilecta cella* remanere, & in possessione ejusdem perseverare.

Q. *Quid statuunt Constitutiones nostræ circa habitacula, seu cameras usui fratrum destinatas?*

R. Statuunt, ut juxta antiquitatis, & dignitatis gradum, cameræ distribuantur, per patentes a Generali, vel Provinciali, non absolute, vel perpetuo, sed ad nutum revocabiles, ut sic nullus proprias sibi vendicare valeat; cum sim-

simplex tantum usus *ad tempus* ipsi tanquam peregrino & advenæ concessus sit, *In cap. 6. tit. 1. n. 1.*

Q. *Camera salubriori aeri exposita, locoque commodiori sita, vacat, Petro existente Guardiano, poteſtne cameram illam usibus suis destinare, in concursu Patrum graduatorum, & seniorum?*

R. Potest quidem, *qua Superior*, illam sibi reservare inhabitandam toto sui gubernii tempore; quis ei in hoc obstaret? At non potest illius usum sibi vendicare pro tempore quo non erit amplius Guardianus, seu Superior, si adsint Patres eo seniores, eam postulantes.

Ratio est. Primo, quia ad ipsum non spectat sibi, & aliis Religiosis cameras distribuere; sed ad Generalem, vel Provincialem, qui juxta Constitutionum præscripta in camerarum distributione se gerere debent.

Secundo, quia hoc est contra justitiam distributivam, quæ exigit ut præmia concedantur juxta labores, & merita personarum.

Tertio, quia est contra ordinationem Constitutionum, quæ volunt, ut juxta *antiquitatis, & dignitatis gradum* cameræ distribuantur.

Nec refert quod frater Petrus Superior actualis reperiatur, actualemque præcedentiam habeat super quoscumque Patres graduatos, & ipso seniores. Quia Constitutiones nostræ non dicunt attendendum esse ad superioratum actualem, *sed ad antiquitatis, & dignitatis gradum*. Junior Guardianus actualis non acquirit antiquitatis gradum super Patres seniores, qui longe per plures annos portarunt onera Religionis, & qui iisdem officiis, & forte majoribus dignitatibus ante ipsum condecorati fuerunt.

Et licet super omnes præcedentiam actu habeat, ipsa præcedentia non est perpetua, nec suæ personæ annexa, sed officio ejus, quo finito ad priorem suum locum revertitur, ergo & ad priorem suam cameram reverti debet.

Q. *Possuntne Fratres nostri debita contrahere, pecunias mutuo dare, libros aliasve res, proprio usui assignatas, in pignus tradere, vel in alios usus transferre?*

R. Nequaquam. Id maxime prohibent Constitutiones: *Neque etiam de expresso Superioris concensu*, quod valde ponderandum est, quia illa omnia sonant proprietatem. Quod si quis hoc attentare præsumpserit, omnium legitimorum actuum privationis pœnam incurrere declarant, cap. 4. tit. 7. n. 4.

Cur dicatur, *etiam de expresso Superioris consensu*, id quod certo difficultate non caret, cum talis consensus auferre videatur a subdito omnem proprietatem, aliis examinandum relinquo. Attamen sequens proponitur quæstio.

Q. *Hæc probibitio estne tam generalis, ut nullam patiatur exceptionem, ut in nullo casu liceat Religioso vendere, in pignus dare &c.*

R. Intelligenda venit, prout cæteræ leges, sano modo. Si Conventus necessitatibus Fratrum non subveniat, aut subvenire non possit, non videtur subditus peccare, si de licentia Superioris aliqua mobilia ad usum suum concessa, pro gravioribus suis indigentiis sublevandis, vendenda porrigat, vel in pignus tradat, dummodo id faciat per manus officialium ad quos bonorum quorumcumque administratio pertinet.

Similiter loquendum de debitis contrahendis, dum aliter quis sibi providere non valet, obtenta semper Superioris facultate, & hoc pariter fiat per officiales Conventus; quia procurare sibi necessaria per debita, cum intentione solvendi in tempore, nulla lege vetitum est.

Q. *Poteſtne saltem Religiosus commodare libros, vestes, & alia mobilia ad usum suum concessa?*

R.

R. Potest, & quidem sine ullo peccato, si interveniat Superioris consensus; quia commodare non est actus translativus dominii, sicut est venditio, & alienatio; sed potius actus charitatis erga proximum, sine monasterii præjudicio, saltem notabili, licet res præstita ex usu parum deterior evadat.

Q. Estne licitum Religioso eleemosinas largiri?

R. Cum Religiosus nihil habeat proprii, nec sui sit juris, nihil dare potest; quidquid enim habet, suum non est; sed monasterii: nullus autem debet eleemosinam dare de bono alieno, sed de suo; & qui reciperet, ad restitutionem teneretur.

Si tamen accedat Superioris consensus, potest ex suo peculio, & etiam ex iis quæ Religio ipsi concedit pro victu, & vestitu pro decenti suo statu, & aliquid pauperibus erogare. Nec est quod Superiores sint scrupulosi, in concedenda tali licentia; quia, *ubi est charitas, & amor Dei, non est quod adsit scrupulus.*

Bene agit Religiosus parcens superfluis expensis, tenui victu, & vestitu contentus, ut possit habere quod distribuat in eleemosinam, opus misericordiæ, tam Deo gratum, ut in die judicii erga cunctos dicturus sit: *Venite Benedicti.... Esurivi, & dedistis mihi manducare &c.* Ultra quod Religiosi actus charitatis exercendo, Fidelium affectum, & venerationem sibi conciliant; qui ædificati remanent, & excitantur ad idem liberalius præstandum erga miseros, & pauperes, imo & erga ipsosmet Religiosos.

Q. Religiosus habens libros a se manuscriptos, & compositas, Conciones &c. potestne extraneis illa omnia donare, sive in vita, sive in morte, sine violatione paupertatis?

R. Aliqui dicunt non posse sine licentia Superioris, quia, dicunt, *manuscripta sunt prætio æstimabilia*, imo sæpe cariora libris impressis, cujus rei non habens Religiosus dominium, non potest aliis donare.

Attamen opposita sententia magis arridet, hac ratione. *Manuscripta*, cum sint partus scientiæ Religiosi componentis; *scientia vero non cadat sub materia voti paupertatis*, ita neque ejus manuscripta. Quod etiam dici potest, sive ipse ea confecerit, sive ab alio confecta acceperit, dummodo sua sint.

Unde probabilius est ipsum dare posse ea, imo & comburere si velit: consultius tamen est, ut illa relinquat Superiorum suorum dispositioni.

Nec obstat, quod illa manuscripta prætio vendi possint, ad hoc ut dicantur *prætio æstimabilia*: non enim omnia, quæ vendi possunt, prohibentur per votum paupertatis; sed bona corporalia, quæ divitem faciunt; non spiritualia, ut notitia intellectualis, & scientia, ob quam papyrus prætio digna est.

Q. Religiosus librum a se compositum imprimi curavit, ex suis eleemosinis, vel amicorum pecunia, cum onere eam restituendi; licite ne potest exemplaria vendere?

R. Cum nullibi prohibeatur Clericis, & Religiosis, ne libri a se compositi imprimantur, & vendantur, quin potius duplici honore digni sint, dum laborant pro Ecclesia Dei, verbo, calamo, doctrina, & exemplo; non apparet cur non liceret prefato scriptori, in casu supposito, exemplaria vendere, sive per se, sive per Typographum, aut per interpositam personam, ad resarciendos sumptus factos, & ad aliquid, pro decenti sustentatione, ex suo pervigili, & pio labore acquirendum: Nonne Christus dixit, *operarium mercede sua dignum esse*? Nonne *omnis labor compensandus venit*? Nonne *spes præmiorum ad agendum movet*? Nonne *inclinavit* Propheta Regius *cor suum ad faciendas justificationes Dei, propter retributionem*?

Q. Sed numquid intervenit ibi negotiatio, Clericis, & Religioſis a ſacris Canonibus interdicta?

R. Nulla eſt in hoc caſu negotiatio proprie dicta, quia negotiari eſt rem emere, & eamdem immutatam, in ſua ſcilicet ſpecie & forma, carius alteri vendere, ita ut lucrum intendatur ex illa emptione prius facta.

Componere autem libros eſt *honeſtum ſpiritus & ſcientiæ artificium*, quod conficere nulli unquam prohibitum fuit.

Exemplaria vendere, etiam cum aliquo fructu, ſeu emolumento, eſt recipere quoddam prætium laboris, & induſtriæ, ex quo licitum eſt unicuique vivere.

Nonne Apoſtoli perfectionis Magiſtri laborantes manibus ſuis, inde victum & amictum aliquo tempore ſibi procurarunt? Nonne Seraphicus Pater permittit Fratribus ſuis *de mercede laboris corporis neceſſaria recipere*?

Cur ergo non liceret Auctori alicujus boni operis, aliquid præmii ſperare, exemplaria diſtribuendo, ut ſupponitur licito modo, ſub conſenſu expreſſo, aut tacito Superiorum? Si obmurmurant aliqui, certe id ſine cauſa, & ratione faciunt. Non eſt profecto cur invideant; non ditantur Auctores librorum. Audiant Salamonem Zoilos alloquentem: *Rurſum contemplatus ſum omnes labores hominum, & induſtrias, animadverti patere invidiæ proximi; & in hoc ergo vanitas & cura ſuperflua eſt*, Eccleſ. 4.

Q. Quomodo dignoſcere quis poterit, Religioſum peccare contra paupertatem?

R. Multipliciter. Dignoſcitur Religioſus peccare contra paupertatis votum ex pluribus proprietatis actibus, quos omnes referemus, prout deſcripti ſunt in noſtris Conſtitutionibus, agendo de caſibus reſervatis.

Pro nunc ad ſatisfaciendum aliqualiter quæſtioni, dico.

Primo. Peccat Religioſus mobilia quæcumque retinens, vel abſcondens, invito aut inſcio Superiore, iiſque ſi utatur pro libitu, nec ſit paratus ſe iis ſpoliare ad nutum Prælati. Et tanto peccatum eſt gravius, quo materia major eſt.

Secundo. Peccat, quando res ſuis uſibus conceſſas, aliis vendit, donat, in pignus tradit, præſertim ſæcularibus, debita contrahit &c. quia illa omnia redolent proprietatem, & dominium.

Tertio. Quando res communitati deſtinatas ſibi appropriat, prætextu, *quod omnia ſint in Religione communia*, cum per hoc de illis diſponat tanquam ſi eſſet illarum rerum dominus.

Q. Quæ conditiones requiruntur, ut Religioſus uti poſſit rebus ſibi conceſſis, abſque peccato?

R. Quatuor a Doctoribus aſſignantur.

Primo. Ut de rebus ſibi coneſſis utatur, non tanquam foret ipſarum dominus, ſed tanquam ad alienum pertinentibus, cui rationem reddere debet; iiſque non uti præter, aut contra intentionem ejus.

Id colligitur ex Actibus Apoſtolorum, ubi dicitur, quod primi fideles omne dominium ſuorum bonorum abdicabant, & ea communitati diſtribuenda relinquebant: *Nec quiſquam illorum ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*, Act. 4. poſtquam ſcilicet ad pedes Apoſtolorum ea depoſuerant.

Idem colligitur ex Concilio Tridentino Seſs. 25. cap. 2. ubi prohibetur, ne Religioſus *aliqua*, quovis modo *ab eo acquiſita, tanquam propria, ac etiam nomine Conventus, poſſideat vel retineat*. In hoc enim conſiſtit eſſentia paupertatis, *ut quis alieno vivat, alieno utatur*: Et ſi quid uſibus ſuis ſit conceſſum, non ſuum, ſed alienum reputet.

Secundo. Ut rebus utatur cum libera, vera, & rationabili licentia Superio-

perio-

perioris ; quia nisi illa adsit, *est proprietarius* .

Dixi, *cum libera, vera, & rationabili* licentia; quia si fraude, minis, allegatione falsi obtineretur, & sine justa causa ; ut si reticeret ea , quibus cognitis , licentia fuisset denegata , non est subditus liber a vitio proprietatis . Ratio est, quia *fraus, & dolus nemini patrocinantur* .

Tertio . Ut in rebus ipsi concessis , nulla sit superfluitas , curiositas , prætiositas , quæ si multum excedant, gravius erit peccatum.

Ratio est, quia Religiosi non tenentur tantum ad præcisam paupertatis essentiam, quæ in abdicatione omnis dominii & proprietatis consistit ; sed etiam ad illius accessoria, idest ad *temperantiam* , quæ tollit abundantiam , & prætiositatem, sicut & superfluitatem ; & *ad modestiam* , quæ tollit fastum, & curiositatem .

Meminisse debent se esse pauperes , & Jesum-Christum , quem perfectiori modo imitari professi sunt, fuisse pauperem in hoc mundo ; *nec habuisse ubi caput suum reclinaret* , tanquam sibi proprium .

Pudeat Religiosos cellas suas more magnatum ornantes .

Insuper advertere debent , quod nequidem ipsi divites habeant omnia , ut vellent habere.

Sunt, inquit Sanctus Bernardus, *qui pauperes esse volunt , eo tamen pacto , ut nihil ipsis desit , & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur*, Serm. 4. de Adventu.

Quarto . Ut servetur *honestas* . Hoc est , ut res concessa non expendatur nisi in usus licitos , & honestos : non vero in turpes , & scandalosos, V. G. cum meretricibus , in ludo prohibito , in emendis mobilibus prætiosis ultra decentiam status; in conviis sumptuosis , in canibus , & equis alendis &c. Illæ enim expensæ fieri non possunt , nequidem *cum Superiorum licentia* ; cum juxta Sacros Canones non possint sibimetipsis hanc facultatem concedere , *Cap. Nemo potest. de Reg. juris in 6.*

Habent quidem Prælati auctoritatem disponendi de rebus Monasterii , sed non ad turpia , & inhonesta : ergo talem licentiam alteri dare non possunt: *quia nemo dat quod non habet*.

Q. Poteſtne Superi r dare facultatem subdito ludendi, seu aliquid pecuniæ ludo exponendi?

R. Potest concedere Religioso , honestæ recreationis causa, licentiam supra dictam ludendi , dummodo sit in modica quantitate , in ludo licito , manente intra limites honestatis , secluso scandalo , legeque prohibente.

Ratio est , quia dare possunt Superiores licentiam subdito , aliquid expendendi in usus honestos ; atqui ludus, omni mala circumstantia carens , est actus virtutis *Eutrapeliæ* , juxta Sanctum Thomam , *2. 2. quæst. 168. art. 2. & ergo &c.*

Dixi , *in modica quantitate* , alias ludus esset indecens , nec reputaretur pro pauperibus Religiosis honesta recreatio .

In quo autem consistat illa modica quantitas , certo determinari nequit , sed relinquitur arbitrio Viri prudentis, considerata Religione , persona , & dignitate ludentis, uti & quantitate concessi peculii .

Dixi , *seclusa lege prohibente* . Hinc non potest Superior indulgere, ut subditus ludat principaliter propter lucrum, vel ut ludat aleis ; intelligendo per aleas omnem ludum , qui nititur sorte, & fortuna , magis quam arte , & industria humana .

Dixi , *actus virtutis Eutrapeliæ* . Eutrapelius dicitur a bona conversatione, quia scilicet bene convertit aliqua dicta , vel facta in solatium , cum moderatione, & modestia .

Q. *Si ludus est Virtus; quomodo dicere potuit Chrysostomus, ludum non esse a Deo, sed a Diabolo?*

R. Verbum illud Sanct. Chrysostomi intelligendum est de illis, qui inordinate ludis utuntur, & præcipue qui finem in delectatione ludi constituunt, luduntque cum anxietate, & turbulenta aviditate ad lucrum, sicut de quibusdam dicitur: *Æstimaverunt esse ludum, vitam nostram*, Sap. 15.

Ludo, & joco uti quidem licet, sed sicut somno, idest moderate, postquam gravibus, seriisque rebus satisfactum erit; non autem sicut illi, de quibus Scriptura refert: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*.

Q. *Quotuplex est Superioris licentia?*

R. Quadruplex. Prima, *expressa*, & *formalis*, quæ verbo, vel scripto, vel aliquo exteriori signo conceditur: Et hæc licet optima sit, non tamen semper est necessaria; imo nec in quovis casu haberi potest, ut cum Superior non adest.

2. *Virtualis*, quæ in expressa continetur; ut dum alicui committitur officium, censentur etiam ei permissa ea omnia quæ necessaria sunt ad officium illud recte, & debite exequendum: Et hanc licentiam sufficere indubitatum est.

3. *Implicita*, quæ colligitur, vel ex communi consuetudine, vel ex certis quibusdam circumstantiis creditur, usum rei, dominationem, receptionem a Superiore approbari, dum videns aut sciens, non sibi displicere manifestat; maxime in rebus levis momenti.

Hæc licentia etiam excusat a peccato: tum quia *eadem est vis taciti, & expressi*: tum quia licentia tacita domini sufficit, ut alienæ rei usurpatio excusetur a furto: tum quia subditus in hoc casu re temporali non utitur independenter a placito Superioris, cum hic juste non censeatur invitus.

Quarta denique est *præsumptiva*, seu *interpretativa*. Quando occurrente necessitate, vel justa aliqua causa, concluditur Superiorem concessurum, & licentiam daturum, si adesset, aut si ab eo requireretur: ut si hoc, vel aliud fecero; si librum emero, vel aliquid donavero, in talibus circumstantiis placebit Prælato.

Q. *Hæc præsumptiva licentia excusatne etiam a peccato?*

R. Non omnes super hoc conveniunt. Probabilius est non excusare in rebus saltem magni momenti.

Primo, quia illa licentia non est dum operatur, sed tantum adesset, si peteretur.

Secundo, quia illa præsumptio enervat votum paupertatis, cum facile ex ea sequerentur varii abusus. Quilibet enim posset pro libitu de multis rebus disponere, sub prætextu quod Superior approbaret, si sciret: cum tamen *Superior zelator disciplinæ*, qualis debet esse, potius invitus censendus sit.

In rebus vero ordinariis, ut sunt munuscula pauci valoris, uti licentia præsumpta, non videtur grave peccatum, saltem mortale.

Limitandum tamen in casu quo Superior statuisset, ut licentia expressa peteretur; vel si foret *præceptum in Regula, aut in Constitutionibus* de eadem expressa licentia habenda, ut quis licite recipere, vel donare possit: tunc ex vi voti obedientiæ non sufficit præsumpta, sed expressa necessaria est; *quam apud nos*, Superiores non solent tam rigorose exigere a *Patribus emeritis, & senioribus*, quam a junioribus.

Q. *Prælatus videt, aut scit subditum aliquid distrahere, vel acquirere, & non contradicit: hæc Prælati taciturnitas æquivaletne licentiæ tacitæ, ita ut subditum a vitio proprietatis excuset?*

R. Ad resolvendum hunc casum, sciendum prius taciturnitatem esse duplicem.

Pere-

Permissivam unam, sicut dicitur quod Deus permittit peccatum, quia non impedit: sic dicitur Superior permittere, cum non impedit, dum posset absolute, si vellet.

Alteram *approbativam*. Prima non excusat: bene vero secunda, juxta Regulam Juris: *Qui tacet consentire videtur*.

Q. *Quomodo quis cognoscere poterit, an taciturnitas Superioris sit permissiva tantum, an vero approbativa?*

R. Ex circumstantiis loci, personæ, valoris rei, occasionis, temporis &c. ob quas potest rationabiliter præsumi voluntas Superioris, maxime si ejus taciturnitas sit justa, si non clamet, si non arguat, cum id facile, & sine timore possit. V. G. videt *Fratrem transportantem vinum, panem, carnem, caseum*, ex loco communi, ubi asservantur, ad comedendum cum amicis, parentibus, & aliis, qui ipsum inviserunt: hoc videt Superior, scit parentes, aut tales adesse, & subditum non petiisse licentiam: nihil dicit; tacet; hæc taciturnitas *approbativa* censetur; & in tali casu valet Regula Juris citata: *Qui tacet consentire videtur*.

Si autem Superior sit vir modestus, timidus, pacificus; subditus vero impudens, colericus temerarius, audax quærulosus, & turbulentus, Superioris taciturnitas *permissiva* censeri debet, ad evitandum majus malum, scandalum, murmurationes, detractiones, rebelliones &c. hæc taciturnitas *non excusat a peccato &c.*

Q. *Potestne Religiosus aliquid donare amico, causa mortis, V. G. picturam, libros, & alia mobilia?*

R. Si accedat licentia Prælati, & res donanda sit moderata, paupertatis statum non excedens, non videtur illicitum similem donationem facere alicui Fratri, vel extraneo amico, in signum amicitiæ, & gratitudinis.

Si Religiosus vivens, facultate Prælati habita, statim librum, vel picturam alicui Fratri sibi benevolo tradere valet, quare non potest eumdem librum eidem amico *causa mortis* donare, id est, ut donatio solum post mortem suum habeat effectum?

Q. *Prælatus promisit huic Religioso morienti, se hoc & illud daturum post illius mortem juxta suam intentionem: teneturne stare promissis?*

R. Distinguendum est. Si is cui distribuendum est quoddam mobile, sit sæcularis, *tenetur Superior in conscientia promissa servare*, ne levis & mendax habeatur.

Ratio est, quia Prælatus sic paciscens cum suo subdito, videtur cedere juri suo; sicut Dominus si pacisceretur cum servo. Non enim allegari potest diversitatis ratio: atqui Dominus est obligatus, *in foro conscientiæ*, servare pactum cum servo suo initum; ergo etiam Prælatus pactum cum suo subdito initum servare tenetur.

Quod si res promissa danda esset alteri Religioso sibi subdito, posset Superior, *citra injustitiam*, illam reservare, & Conventui applicare. Quia, sicut potest auferre a subdito res illi datas, sic potest & non dare. *In direct. Regul.*

Q. *Frater Petrus morti proximus declarat se debere, V. G. decem nummos Paulo, vel alteri sæculari. Teneturne Conventus debitum solvere?*

R. Si *Frater Petrus* pecuniam debito æquivalentem reliquerit, vel si major summa ab aliis deberetur, quocumque modo debitum acciderit, tenetur Conventus in conscientia creditoribus satisfacere; imo & in foro externo, si alias debitum probetur. Incumbit tamen Paulo, & aliis creditoribus onus probandi, quantumvis declaratio Petri morti proximi sufficere videatur.

Si vero peculium *Fratris Petri*, post mortem ejus repertum, aut relictum in ærario, conjunctim cum eo, quod

ab aliis ipsi Fratri Petro deberetur, non ascenderet ad formandam summam Paulo debitam, non tenetur Conventus reliquum ex suis redditibus supplere.

Ratio est, quia cum *Frater Petrus* non esset sui juris, utpote professus, non potuit licite debita contrahere, saltem ultra quod de suis eleemosinis, seu de peculio legitime sibi concesso, poterat statim solvere.

Nec Religio obligat se pro debitis Fratrum, quia bonum commune non concernunt, alias propriæ suæ ruinæ auctrix esset.

Q. *Religioso mortuo, reperitur in ejus cella summa pecuniæ ad mortale ascendens, quam nullatenus Superiori, nec ulli officialium declaravit, estne sepultura Ecclesiastica privandus?*

R. Caute admodum, & maxima cum prudentia agendum est in hoc casu. Si peccatum proprietatis Religiosi defuncti sit grave, ut supponit quæstio, & notorium; & ante mortem non pœnituerit, nullique declaraverit se pecuniam habere, aut saltem ad quem spectaret, aliquo scripto non indicaverit, proprietarius censeri debet, & ut talis, pœnis a Sacris Canonibus, & Constitutionibus nostris infligendis subjectus: quæ sunt sequentes. Decretum adduco.

Si vero, quod Deus avertat, proprietarius quispiam in ea proprietate obstinatus moreretur, Ecclesiastica sepultura, juxta sacros Canones, legitime careat: *ejusque cadaver ad sterquilinium deferatur.*

Quod si forte Ecclesiastica sepultura potiretur, statim ac ipsum eo modo decessisse constiterit, exhumetur.

Prius tamen formandus est processus, ut prudenter agatur in re tanti momenti; judicisque sententia expectanda est. In dubio autem sepeliri debet sicut cæteri Religiosi. Ratio est, quia fundamentum privationis Ecclesiasticæ sepulturæ est *notorium peccatum mortale proprietatis*, in quo defunctus decessit: sed hoc certo non scitur de illo Religioso: dubia enim sunt in meliorem partem interpretanda: *Et quilibet est habendus bonus, donec probetur malus;* igitur non est communi sepultura privandus, cum juridice non probetur proprietarius.

In simili casu potest judicari, quod defunctus habuerit facultatem a Superiore majori; vel quod non fuerit recordatus pecuniam consignandi, vel quod pecunia sit apud eum deposita pro aliqua restitutione; pro danda eleemosina certis personis, quas accedere non licuit; vel ob alias plausibiles rationes &c.

Nec obstat, quod *Beatus Gregorius* Monachum repertum proprietarium fecerit tumulari in sterquilinio, non obstante quod ante pœnituisset; quia hoc factum est in exemplum, & terrorem aliorum. Ut scilicet extremum diem non expectarent, pro abdicanda a se rerum omnium nefanda proprietate; & sanctam perpetuo colerent, & servarent promissam paupertatem &c.

DE
RELIGIOSORUM PECULIO.

Q. A*Uditur aliquoties, quod quidam Religiosi habeant peculium. Quid est Peculium?*

R. Peculium, juxta communem acceptionem, est census, seu redditus annuus, pensio vitalitia, vel summa pecuniæ, ex proprio Religiosi labore, vel industria, vel omni altero modo, sive donatione, sive eleemosina acquisita; vel quam ipsi concedit Monasterium pro quotidianis suis necessitatibus.

Q. *Estne licitus hujusmodi peculii usus?*

R. In Conventibus ubi observatur per-

perfecta vita communis, ideſt, ubi Religioſis neceſſaria omnia pro victu & veſtitu, ſecundum decentiam eorum ſtatus, tribuuntur, non licet habere peculium, nec eodem uti, ſine *proprietatis* nota.

Ratio eſt, quia peculium in tali caſu repugnat Regulæ, quam profeſſi ſunt; & poſſidetur contra intentionem Superiorum, ac Summorum Pontificum, & contra Concilii Tridentini decreta.

In Monaſteriis autem in quibus vita communis in victu, & veſtitu, proh dolor! obſervari non poteſt, vel ob nimiam ejus paupertatem; vel ob negligentiam Superiorum; peculium habere poſſunt Religioſi, dummodo illud non habeant per proprietatem, ſed per ſimplicem *uſum facti*; nec illud expendant ſine Superiorum licentia; nec per ſe ipſos immediate, ſed per manus officialium Monaſterii, & in ordine tantum ad uſus neceſſarios, pios, honeſtos, & licitos.

Q. *Peculium illud uſibus alicujus Fratris particularis deſtinatum, & reſervatum, nonne repugnat voto paupertatis?*

R. Ex natura ſua non repugnare peculium paupertatis voto, certum videtur, quia votum illud ſolum dominium & uſum rerum independenter a voluntate Superioris excludit. Peculium autem, de quo agimus, non eſt in poteſtate ſubditi, qui pro ſuo libitu diſponere de eo non poteſt; ſed in poteſtate Superioris remanet, ad cujus nutum eſt revocabile, quantumvis juſta & rationabili cauſa conceſſum.

Q. *Cur ergo Concilium Tridentinum, & Summi Pontifices prohibuerunt omne peculium?*

R. Verum eſt, quod omne peculium Religioſis prohibuerint, tanquam paupertatis voto contrarium. Ratio ipſorum fuit, quod crederent omnia neceſſaria ipſis a Monaſterio, vel a Superioribus ſubminiſtrari. Ergo ubi deficiunt tam Monaſterium, quam Superiores, prædictæ leges tum Concilii, tum Pontificum, in caſu ſuppoſito, obligare non cenſentur, cum adſit moralis impoſſibilitas.

Dici etiam poteſt, quod illa prohibitio habendi peculium, ſano modo intelligenda ſit, nempe de peculio ſine rationabili cauſa conceſſo; vel irrevocabili, & a voluntate Superiorum independenti, per ipſoſmet Religioſos ad nutum eorum expendibili. Non vero de peculio ſupra relato, cujus adminiſtratio penes Monaſterii Officiales remanet.

Q. *Eſtne licita, & approbanda conſuetudo, qua ſingulis menſibus certa portio pecuniæ Religioſis aſſignatur?*

R. Nullum videtur ſubeſſe dubium: quia aſſignatio iſtius portionis, quæ *veſtiarium* appellari ſolet, nihil aliud eſt, quam Superiorem de bonis communibus Monaſterii applicare unam partem pro Fratrum neceſſitatibus; quæ pars, ſicut & alia bona ab ipſis acquiſita, in communi depoſito reponenda eſt; ex quo extrahi debet, cum dependentia Superioris, quidquid neceſſarium fuerit, juxta uniuſcujuſque exigentiam, & neceſſitatem; alias ſi Religioſi peculium apud ſe retinerent, *ut jam toties diximus*, peccarent contra votum paupertatis, pœniſque proprietariorum ſubjacerent, Conſt. in cap. 4. tit. 1.

Imo Pater *Faber noſter Faventinus*, relatus a *Maſtrio*, aſſerit habere aliquid in particulari, ut peculium prædictum, non repugnare vitæ communi, ſervatis tribus ſequentibus conditionibus.

Primo, quod ſit de rebus neceſſariis, & non vanis, prætioſis, & ſuperfluis.

Secundo, quod ſit conceſſum juſta, & rationabili de cauſa.

Tertio, quod ſit conceſſum, & approbatum a Superioribus.

Obſervantia enim depoſiti, & Ærarii a Conſtitutionibus noſtris præſcripta, & ordinata, quamvis non ſit to-

taliter conformis perfectæ communitati, est tamen prævia, & proxima dispositio ad perfectæ communitatis introductionem: quia depositum ad hoc inventum est, ut auferatur a Religiosis *usus fructus*, & *administratio bonorum*, quæ ab eis habentur, & Monasterio incorporentur. Sed quantum ad usum facti simplicem remaneant designata ad sublevandas eorum necessitates.

Et hac ratione pecuniæ in Ærario reservatæ non confunduntur, *Faber. disp.* 45. *num.* 125. Mastrius, *disp.* 14. 2. 13.

Q. *Tenenturne Religiosi acquiescere vitæ communis introductioni, Superioribus illam instituere volentibus?*

R. Certissime. Omnes Religiosi nostri semper debent esse animo prompti ad laudabilem illam, & sanctam reformationem amplectendam, nec crediderim ipsos *a peccato mortali* immunes fore, si acquiescere renuerent.

Ratio est, quia secundum novam formulam professionis nostræ, ab *Innocentio decimo* approbatam, & in Constitutionibus nostris noviter impressis, sicut & in Diurnali novo relatam, profitemur expresse servare Regulam, *sub exacta vita communi*, servata forma Sacrorum Canonum Concilii Tridentini, necnon Constitutionum Apostolicarum.

Deinde in tantum illam observare non tenemur, seu potius non actu observamus, in quantum Conventus nostri non suppeditant nobis omnia necessaria ad victum, & amictum, secundum decentiam status nostri. Ergo eo ipso, quo hujusmodi necessaria nobis a Conventibus, & Superioribus suppeditabuntur, juxta uniuscujusque gradum; ad vitam communem amplectendam, & servandam obstricti erimus in conscientia: quia tunc nulla remanebit excusationis ratio.

Q. *Quænam sunt ea quæ vere paupertatis Religiosæ voto repugnant?*

R. Sequentia bene attendenda, & a Religiosis vitanda.

Primo, *Dominium*, quod est jus perfecte disponendi de bonis temporalibus, videlicet alienando, defendendo, ac repetendo ea in judicio, vel extra. Dominium hoc repugnat voto paupertatis, quia per ipsum Religiosus hanc facultatem disponendi pro libitu suo a se in perpetuum abdicavit.

Dixi, *de bonis temporalibus*; quia, ut supra dictum est, Religiosus retinet dominium bonorum spiritualium, honoris, famæ, & similium, ut docet Sanctus Thomas, 2.2. quæst. 186. art. 7. quibus non renunciat, nec renunciare potest, quia cederet in detrimentum ipsiusmet Religionis, quæ vilesceret, si membra ejus essent sine honore.

Secundo, *Possessio*, quæ est jus retinendi aliquam rem in sua potestate; vel eam corporaliter apprehendendi, cum facultate eam possidendi, sive res sit sua, sive alterius: vel per se, vel per aliam personam.

Tertio, *ususfructus*, qui est jus fruendi, & utendi aliqua re, vel ejus fructibus, cum facultate tales fructus alienandi, vel aliis concedendi, *salva semper rei substantia*, quæ est alterius; quo jure Religiosus per paupertatem Deo promissam privatur: nec illud habet, nisi dependenter a Superioris voluntate.

Quarto, *administratio*, quæ est jus gubernandi, vel distribuendi rem aliquam juxta conditiones ac leges peculiares ad hoc assignatas, & non alio modo. Quod jus etiam paupertati Religiosæ repugnat, ut per se patet. Et idcirco Summi Pontifices, & Concilium Tridentinum bonorum temporalium administrationem Religiosis omnibus interdixerunt.

Quinto, *usus juris*, qui est jus utendi re aliqua ob solam necessitatem sui ipsius; non tamen ut quis eam aliis concedere queat, vel alienare, vel ad-

mis-

ministrare; sive tandem aliud quodcumque jus in ea habere.

Religiosus ergo per votum paupertatis moritur mundo, & omnibus præfatis civilibus juribus; ita ut non sit amplius capax, nec illius quod antea possidebat, nec illius quod in futurum consequi poterat.

Nihil ipsi remanet nisi purus *usus facti*, id est usus rerum necessariarum dependenter a Superioris voluntate, & ad nutum ejus revocabilis.

Hic usus facti cum paupertate non pugnat, sicut cætera supra memorata, nempe dominium, usus fructus, possessio, jus utendi, administratio: quia hæc omnia aliquid juris important, facultatem scilicet utendi aliqua re ad libitum, & independenter a voluntate alterius; id quod voto paupertatis directe opponitur, per quod vovens redditur incapax omnis juris.

QUÆSTIO PERTINENS.

Q. *SI quis ex nostris mortuus resuscitaretur, maneret ne adhuc Religiosus? Teneretur ne iterum Regulam, ut prius observare?*

R. Non esset amplius Religiosus, nec ad observantiam Regulæ obstrictus remaneret: mors enim obligationem votorum, & Religiosæ professionis extinguit; maxime apud nos *Fratres Minores Conventuales*, qui expressis verbis promittimus *servare Regulam toto tempore vitæ nostræ*, ut habetur in formula nostræ professionis: ergo ubi vita desiit, finem simul accepit obligatio contracta servandi Regulam *toto tempore vitæ*, seu usque ad mortem.

Unde resuscitatus posset ad sæculum redire, Matrimonium contrahere, si in statu erat laicali, & si vellet in Religione permanere, deberet denuo professionem emittere, vel priorem ratificare.

An etiam teneretur novum Novitiatum incipere, videtur quod non, quia vivens sufficienter probavit Religionem, ad quem effectum ordinatus est Novitiatus.

Nec obstat, quod dicatur: *votum factum esse Deo, qui nunquam moritur*, & quod sic professio Deo facta, & ab eo acceptata, nunquam desinere possit; quia actiones voventis, cum non sint perpetuæ, ab eo commensurandæ sunt, & non ab æternitate ejus cui offeruntur.

Deinde vota non obligant ultra intentionem voventis, atqui in nostra Religione nullus profitens intendit se obligare, nisi ut exprimitur in forma ipsa: *toto scilicet tempore vitæ suæ*, de futura resurrectione statim post mortem nihil cogitans.

Tandem morte extinguitur Matrimonium: ergo & professio Religiosa, quæ se habet instar spiritualis Matrimonii?

Q. *Quid si foret Sacerdos, posset ne etiam ipse Matrimonium inire post Resurrectionem?*

R. Hic casus est diversus. Non esset amplius Religiosus, adeoque nec Regularibus præceptis, & observantiis subjectus, possetque in sæculo tuta conscientia permanere: attamen non posset Matrimonium contrahere; quia non desineret esse Sacerdos: Status enim Sacerdotii apud Latinos non est compatibilis cum statu conjugali, sine Pontificia dispensatione.

Quod non desineret esse Sacerdos, sicut nec baptizatus, nec confirmatus, inde est, quod tria Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis imprimant in anima characterem indelebilem, qui etiam remanet in Beatis, & damnatis; quo fit ut Sacerdos resuscitatus in corpore suo mortali, nec rebapti-

baptizandus, nec confirmandus, nec ordinandus denuo esset.

At vero sicut resuscitati conjuges denuo Matrimonio copulandi sunt, si vellent simul ut prius cohabitare: quia Sacramentum Matrimonii non imprimit aliquid indelebile animæ, sed solum vinculum causat indissolubile inter conjuges, quousque ambo vivunt, quodque per mortem omnino dissolvitur, juxta S. Pauli doctrinam: *Si dormierit vir ejus, liberata est a lege viri, cui vult nubat &c.* 1. Corinth. 7. Ita a pari de Religioso resuscitato, si velit in Ordine perseverare, requiritur in ipso novus consensus, seu nova professio, quæ habet quamdam similitudinem cum Matrimonio.

Et hæc de votis, & statu Religioso dicta sunt in gratiam juniorum nostrorum Religiosorum.

DE

ROMANO PONTIFICE,

Supremo Capite Ecclesiæ, & Vicario Christi.

Q. *Fuitne necessarium constituere in Ecclesia supremum unum caput?*

R. Bonum ipsius Ecclesiæ regimen id exigebat. Sicut enim Ecclesia est unum corpus, unum regnum, unum ovile, ita in ea esse debebat unum caput, unus rex, unus pastor. Cum enim sit perfectissima Respublica, perfectissimum etiam expostulat regimen: nullum autem nobilius, & paci, ac concordiæ fovendæ, bonoque publico promovendo aptius erat Monarchico. *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo*, Prov. 20. v. 8.

Q. *Cui primo suprema hæc Ecclesia dignitas collata est?*

R. Simoni Petro, quam dignitatem prius ipsi promiserat Christus, dum ei nomen suum communicavit: *Tu vocaberis Cephas*, idest Petra; *Petra autem erat Christus*, Corint. 10. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni cœlorum*, Matth. 16. Tandem, ipsi eam de facto tradidit cum dixit: *Pasce agnos meos; pasce oves meas*, Jo. ult. v. 15. idest gregem meum, Ecclesiam meam, non populos solum, sed etiam populorum patres, pastores imo & omnes Apostolos, cum omnes sint Christi oves.

Omnium igitur Pastor est, inquit Eucherius Lugdunensis Episcopus, *quia preter agnos, & oves in Ecclesia nihil est*, Serm. de Nat. Pet. & Pauli.

S. Gregorius scribens ad Imperatorem Mauritium; *Cunctis*, inquit, *Evangelium scientibus liquet, quod beatissimo omnium Apostolorum Principi Petro, dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est*, lib. 4. Epis. 32. Idem sentit Hieronymus: *Propterea unus inter duodecim eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio*, Lib. 1. adv. Jovin.

Patribus etiam concordant Concilia Orientalia, & Occidentalia. Unum, & alterum, pro angustia hujus operis referre satis erit.

Concilium Nicænum, lib. 3. Can. 39. habet: *Consideret Patriarcha Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos, ut qui sit Vicarius Domini nostri Jesu Christi.*

Concilium Florentinum: *Beatus Petrus Apostolorum Princeps, verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Pater, & Doctor.*

Q. *Quid objiciunt hæretici contra Petri primatum, & supremam ejus auctoritatem?*

R. Multa producunt, quæ facile refelluntur.

1. *Jacobum* Episcopum Hierosolymæ, ubi Christus *Ecclesiam suam instituit*, potius esse Christi Vicarium, quam *Petrum*.

2. Paulum, per antonomasiam vocatum Apostolum, potius esse caput Apostolorum, & quod idcirco in antiquis sigillis diplomatum Pontificiorum effigies Pauli a *dextris*, & S. Petri a *sinistris* exprimatur.

3. Christum parem omnibus Apostolis dedisse potestatem: *Docete omnes gentes. Sicut misit me Pater vivens, & ego mitto vos*, Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*.

4. *Petrum cum Joanne* fuisse missum ab aliis Apostolis in Samariam, *Act.* 8. quod dependentiam denotat.

5. Paulum restitisse Petro, *ad Galatas* 2. quod minime licuisset, si principatum in eo agnovisset.

6. Apostolos etiam esse Ecclesiæ fundamenta æque ac Petrum: *Superædificati super fundamentum Apostolorum*, Ephes. 2.

7. Cœteros Apostolos Petri primatum nesciisse, alioquin contentio *non fuisset facta inter eos, quis eorum videretur esse major*, Luc. 22.

Et multa alia ejusdem, vel minoris momenti.

Q. *Quid tandem præfatis argumentis respondendum?*

R. *Ad primum* dicendum, Jacobum fuisse quidem Episcopum Hierosolymitanum, sed a Beato Petro institutum, juxta Chrysostomum *hom.* 55. *in cap.* 16. *Matth.* & unius tantum particularis Ecclesiæ curam suscepisse; Petrum vero omnium Ecclesiarum regimen habuisse, dum ei Christus *agnos, & oves* pascendas dedit.

Quod Hierosolyma a quibusdam Patribus *mater omnium Ecclesiarum* nominetur, hoc est, quia ibi primum Christiana Religio originem accepit: unde, *jure antiquitatis* mater dicitur, non vero *jure potestatis*.

Si quæratur, cur Petrus non sederit Hierosolymis? dicam, quia congruum erat, ut locus summi Sacerdotis mutaretur, quoniam mutata est Lex, & Sacerdotium per adventum Christi.

Ad secundum, si Paulus per antonomasiam Apostolus dicitur, idcirco est quod plus cæteris laboraverit, ut ipse fatetur dicens: *Plus omnibus laboravi*; Cæteri enim Apostoli ad certas provincias missi sunt, Paulus vero ad omnes gentes. Solus Petrus *Princeps Apostolorum fuit designatus*, & supremam super alios authoritatem obtinuit.

Quod si in antiquis sigillis quibus diplomata obsignabantur, imago Pauli stet a dextris, & Petri a sinistris, non inde inferri potest Paulum præeminentiam habere supra Petrum, sed quia antiquitus in *Ecclesia* locus sinister forte fuerit honoratior: unde Evangelium legitur in cornu sinistro Altaris, & Epistolæ, & Prophetiæ in cornu dextro, qui locus sinister respectu imaginis Crucifixi est dexter.

Verum quia non solum in sigillis, sed etiam in imaginibus quibusdam a pictoribus colore expressis, Paulus dextrum latus interdum occupat, interdum Petrus; Ideo ratio verior est, quod apud Græcos sinistra erat locus honorabilior, apud Romanos vero erat dextera: unde licitum erat pictoribus istorum duorum Apostolorum imagines efformare aut Græcorum more, aut Romanorum, pro ut ab ipsis exigebatur, & sic nihil in hoc contra Petri primatum.

Ad tertium dicendum, quod etsi Apostoli omnes æqualem Apostolatus receperint potestatem, ut colligi potest ex locis citatis, nihil obstat contra nos, quia tunc nondum erat dictum Petro: *Pasce oves meas*. Erant igitur omnes Apostoli *æquales* ante electionem capitis,

tis, sed ex æqualibus in potestate Christus post Resurrectionem Petrum elegit *in caput aliorum*, & supremam auctoritatem illi tribuit, dum dixit: *Pasce oves meas*. Tunc enim Petrus primatum accepit, quem non acceperunt alii, & ideo licet antea fuerint Petro æquales, non tamen postea. Et in hoc sensu, intelligendus est S. Cyprianus in Tractatu de simplicitate Prælatorum dicens: *Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis.*

Ad quartum, verum est quod Apostoli miserint Petrum, sed de consensu ejus, & de consilio, non vero ex auctoritate, & imperio.

Ad quintum, Paulus restitit Petro, ipsumque corripuit, non ex justitia, & tanquam ejus superior, sed ex charitate; alia enim est correctio ex justitia, & alia ex charitate. Prima competit superiori, alia cuilibet homini, juxta illud: *Unicuique Deus mandavit de proximo suo: Et argue, obsecra, increpa in omni patientia*, 2. Tim. 2. Hanc adhibuit Paulus, videns Petrum errasse non in fide, sed in facto; quia incaute simulabat Judaismum.

Ad sextum, Apostoli Ecclesiæ fundamenta dicuntur, quia fundaverunt quasdam Ecclesias ratione doctrinæ, non ratione supremæ jurisdictionis, quæ soli Petro convenit, ut ordinario, & universalis Ecclesiæ Pastori.

Fuerunt Apostoli Ecclesiæ fundamenta jure extraordinario, & cum dependentia ad Petrum; ipse vero jure ordinario, & sine dipendentia ad illos.

Fundamentum principale est Christus, cæteri Apostoli ministerialiter tantum.

Ad septimum, quando exorta est illa contentio, nondum Apostoli illapsu Spiritus Sancti illuminati erant, & Christus necdum declaraverat Petrum esse Ecclesiæ suæ universalis pastorem, hoc tantum declaravit post Resurrectionem suam, *Joan.* 21. per hæc verba: *Pasce oves meas*.

Q. *Exercuitne Petrus hanc suam supremi Pastoris potestatem?*

R. Maxime, cum plurima nobis præbeant Scripturæ Sacræ exempla.

Primo Petrus, tanquam Apostolici collegii Princeps, decernit alium loco Judæ Apostolum substituendum.

2. Primus omnium Apostolorum, & discipulorum, tanquam caput illorum promulgat Evangelium Judæis; primus etiam Gentilibus.

3. Primum quoque miraculum ipse patrat in testimonium fidei, non *oratione*, sed *imperio*, dans claudo sanitatem: *Surge, & ambula*.

4. Primus in Concilio Hierosolymitano loquitur, & sententiam definit, etiam ante Jacobum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Antistitem, declarans se esse a Deo electum, ut *per os suum audirent Gentes verbum Evangelii*. Vide Act. Apost.

5. Evangelistæ ubique primum inter Apostolos locum tribuunt Petro. *Primus Simon, qui dicitur Petrus*, Luc. 6. Dicitur autem primus non vocatione vel ætate, quia utroque modo Andreas prior erat Petro, Joan. 1. ergo dignitate, & auctoritate.

Q. *Cujus urbis fuit Petrus Episcopus?*

R. Post Christi mortem fere quinque annis Petrus remansit in Judæa: dein *Antiochiam* se contulit, ibique sedem fixit *septem annis*.

Sic primo Antiochensis fuit Episcopus, & interim universalis Ecclesiæ regimini attendens, multas provincias peragravit, *Pontum*, *Asiam*, *Cappadociam*, & *Bithiniam*.

Anno *undecimo post Christi Passionem* rediit Hierosolymam, ubi in carcerem conjectus est ab *Herode*, & paulo post liberatus.

Anno secundo *Claudii Imperatoris* Romam perrexit, ibique sedem constituit

tuit usque ad finem mundi duraturam. Cum ibi ad necem quæreretur ab Ethnicis ob victoriam super *Simonem Magum* reportatam, rogantibus fratribus Christianis, Roma secessit. Cum autem ad portas urbis jam pervenisset, Christum Jesum obviam habuit: illum vero quonam tenderet interrogans, respondentem audiit: *Vado Romam iterum crucifigi pro te.*

Horum verborum sensum Petrus assequutus, mortem sibi pro gloria Dei obeundam intellexit. Quare regressus ad fratres visionem narravit. Mox vero ab Ethnicis comprehensus, post toleratum novem mensibus carcerem, tandem *crucis supplicio* in via Ostiensi sublatus est, die 29. *Junii*, ætatis suæ 75.

Ferunt gravissimi Auctores capite in terram obverso in supplicium elatum fuisse, quod ultro ipse a tortoribus petierat, tum ne Jesu Christi gloriam, ut ait, *S. Ambrosius*, affectare videretur, tum ut supplicii cruciatus augeretur, Serm. 68.

Ejus Apostoli corpus primo in Catacumbas, secundo ab urbe lapide, illatum: deinde in Vaticanum translatum est, ubi hucusque permanet, & totius Orbis veneratione celebratur.

Q. *Quæ erat Petri corporis forma, & habitus?*

R. Corporis illius habitum ex veteri imagine desumptum ita Nicephorus lib. 2. cap. 37. depingit.

Corpore erat non crasso quidem, sed procero rectoque; ore albenti, ad pallorem inclinato; coma, & barba densa, crispanti, atque breviori; oculis nigrescentibus, maculis quibusdam sanguineis aspersis, quibus alta supercilia, & prominens frons imminebant: naso vero oblongo, simo potius, quam acuto.

Q. *Qua ratione probari potest S. Petrum Romæ commoratum fuisse, ibique sedem fixisse?*

R. Petrum Romam venisse ex ipsiusmet Petri confessione habetur. Etenim in fine suæ prioris Epistolæ cap. 5. ait: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babilone collecta, & Marcus filius meus.* Per Babilonem autem intelligitur *Roma*; dum Imperatores Romani in ea regnabant, ut patet ex *Eusebio lib.* 1. *Hist. cap.* 15. Et ex Hieronymo qui in libro de Viris illustribus hæc habet: *Petrus in Epistola prima nomine Babilonis Romam intelligit.* Nec mirum, cum Sanctus Joannes Romam etiam designet sub nomine Babilonis, *Apocal. cap.* 17. ubi dicitur: *Babilonem magnam sedere super montes septem;* in sola siquidem urbe Romana sunt septem montes, seu colles.

Quod autem Ecclesiam Romanam fundaverit Petrus, ibique suam sedem fixerit, constat ex consensu unanimi Sanctorum Patrum, qui Romanam sedem Petri Cathedram appellant, unde S. Prosper sic canit.

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris,
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet &c.

Q. *Quis primus Petri appulsum ad Urbem Romanam oppugnavit?*

R. VVicleffus fuisse narratur, qui vixit in quartodecimo sæculo. Nullus ante ipsum, quod scitur, Petrum Romæ extitisse, ibidemque sedem fixisse, inficiatus fuerat. Sed iste *Hæresiarcha* contrariam sententiam persuadere conatus est, quasi novum lumen habuerit, ut nullus per mille quadringentos annos potuerit inveniri, qui falsitatem opinionis tam antiquæ detegeret.

Nonnulli Protestantes adhuc hodiedum, quæ de S. Petri Romam itineribus, de victoria Simonis Magi, ipsiusque in ea urbe martyrio, narrantur, veluti fabulosa rejiciunt. Hæc tamen si falsa sunt, quid in tota Ecclesiastica Histo-

storia verum erit? Horum veritatem tota antiquitas, nemine refragante, monumenta, sepulchra, templa, statuæ, picturæ, loca publica carcere, & martyrio ejusdem Apostoli consecrata, testantur.

Q. *Petro mortuo, numquid simul cum eo extincta est spiritualis Monarchia totius Ecclesiæ?*

R. Minime, sed in ejus successorem translata est.

Officium Pastoris, quod Petro in universam Ecclesiam commissum est, est officium ordinarium, ac perpetuum, & ex natura rei tamdiu durare debet, quamdiu durat ovile.

Quia ergo Ecclesia Christi duratura est usque ad finem mundi, debet etiam fundamentum supra quod fundata est, tamdiu durare, nempe non in sola Petri persona, sed etiam in ejus successoribus.

Q. *Quis Petro successit in Sede Antiochena?*

R. Quod proxime successit *Evodius*, deinde S. *Ignatius Martyr*, ut refert S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: *Ignatius*, inquit, *Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus:*

Q. *Quis immediate ipsi successit in Episcopatu Romano?*

R. Quod S. Petro immediate successerit *Linus*, Lino *Cletus*, Cleto *Clemens*, hoc habetur in Canone Missæ, *Communicantes* &c. *Lini*, *Cleti*, *Clementis* &c.

Q. *Quare Primatus Ecclesiæ potius Romano Episcopatui annexus fuit, quam Antiocheno?*

R. Aliqui dicunt id factum esse decreto *Constantini Magni*, vel Pipini, aut *Caroli Magni* Imperatorum. Sed hi sunt posteriores, neque dare potuerunt potestatem spiritualem, quam non habebant.

Alii, quod fuerit ex mandato aliorum Apostolorum: at his non suberat Petrus, sed præerat.

Sotus, & quidam cum ipso sentiunt, id factum fuisse ex beneplacito solius Petri. Sed non est verisimile, id illius unius arbitrio relictum.

Melius & verius sentiunt qui dicunt talem fuisse Christi voluntatem. Si enim Petro modum, & tempus mortis ejus præsignificavit Christus, 2. *Pet.* 1. *v.* 14. & Joan. *ult. v.* 19. multo magis quæ circa successorem ejus fieri vellet. Absolute igitur tenendum est, cum communi Theologorum, talem fuisse *Christi ordinationem*.

Unde cum Petrus Roma fugeret, apparuit ei Christus, & ab ipso interrogatus, quo iret? respondit: *Vado Romam iterum crucifigi*. Ex quo responso intellexit Petrus sibi moriendum esse Romæ, & ibidem successori *Primatum* universæ Ecclesiæ transmittendum: quod & factum est.

Quantum ad *Ecclesiam Antiochenam*, ab ipso Petro fundatam, & gubernatam, certum manifestumque est, Petrum in deligendo sibi in eadem Ecclesia successore, non ei renunciasse supremam *sui Pontificii* dignitatem, *a Christo collatam*, quæ non vacavit nisi per ejusdem *Petri* mortem; unde Sole clarius est, quod qui *Petro jam mortuo*, non *viventi* successit in Cathedra relicta Romæ, ille ineluctabiliter, & juxta fidelium sensum sit Petri successor, *ex institutione divina*, & non ex ordinatione Apostolorum, & multo minus Imperatorum; cum ab ipsis Petrus Ecclesiam regendi non acceperit potestatem, sed ab ipso Christo, qui eamdem successori legitimo annexam voluit. Restat igitur verissimum esse, Ecclesiæ Primatum non Antiocheno, sed Romano Episcopatui, *Christo* sic *volente*, *& disponente*, fuisse annexum.

Cur vero potius Romæ, quam alteri Ecclesiæ annexum voluerit Christus hunc Primatum? Congruens ratio fuisse videtur, quod ex urbe *Roma*, utpote quam latissime tunc imperante, & di-

diutissime adhuc imperatura, Evangelium facilius per omnes mundi partes propagari, & tota Ecclesia commodius gubernari posset: unde Paulus scribens ad Romanos ait: *Fides vestra annunciatur in universo mundo*, Rom. cap. I. Ita *Bellarminus*, *Tirinus*, & alii &c.

Q. *Potestne Papa Primatum hunc annectere Ecclesiæ v.g. Leodiensi*, *Assisiensi* &c.?

R. Videtur, quod non. Cum sedem suam, *Deo inspirante*, Romæ fixerit S. Petrus, ut testatur Marcellus Papa in Epistola ad Antiochenos, & multi alii cum ipso; non potest illam ejus successor alio transferre.

Verum quidem est, *aliquos Pontifices Gallos* per tempus *Avenione* mansisse: nunquam tamen *Episcopatum Romanum dimiserunt*, ut patet ex eorum Bullis. Unde Ecclesia Romana fuit, est, & semper erit totius Ecclesiæ Christianæ, & Religionis immobile centrum.

Q. *Estne ampla Romani Pontificis potestas*?

R. Amplissima, ad omnes omnino Christianos se extendens. Hoc patet ex illo Joannis 21. *Pasce oves meas; pasce agnos meos*, idest gregem meum, Ecclesiam meam, adeoque non solum populos, nomine *agnorum* significatos, sed etiam Pastores, & Prælatos, *ovium* nomine designatos, imo & generaliter, ut jam dictum est, omnes Apostolos, cum omnes sint Christi oves.

Omnium igitur Pastor est Petrus, ejusque successor Romanus Pontifex, qui idcirco *Episcopus Episcoporum* vocatur: unde ipsius est imperare, noxia prohibere, leges condere, & exequi, transgressores punire, insolentes compescere, lites decidere, causas judicare, dispensare &c.

Jus habet Concilia Generalia convocandi, illis præsidendi, illorum decreta confirmandi, cogendique fideles, & Episcopos ipsos ad observantiam Canonum, spiritu Dei conditorum. Graviorum criminum absolutionem sibi reservare potest toto Orbe Christiano, Plenarias Indulgentias concedere, & multa alia peragere, quæ hic recensere longum esset.

Nihil certe Pontificis potestate augustius excogitari potest; & sicut hanc potestatem exercuit Petrus, ita adhuc exercent successores ejus.

Q. *Estne Papa Judex infallibilis controversiarum Fidei*?

Catholici omnes, paucis exceptis, communi suffragio propugnant, Romanum Pontificem, dum loquitur *ex Cathedra*, idest dum proponit, vel definit aliqua credenda ab omnibus fidelibus, tanquam a Deo revelata, infallibilem esse; & opposita sententia pluribus Theologicis censuris perstringitur.

Asserti hujus probationes sunt sequentes. Christus dixit Petro, quod *super eum ædificaret Ecclesiam*, contra quam non prævalerent inferorum potestates, *Matth.* 16. Porro si posset Papa falsum proponere, cessaret Ecclesia esse sponsa Christi, quæ pastorem audire tenetur, & sic contra eam prævalerent dæmonum vires. Secundo rogavit Christus pro Petro, ut non deficeret fides ejus: *Ego rogavi pro te*, *ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, Luc. 22. v. 32. Quomodo autem confirmaret fratres, dubia circa fidem resolvendo, si ipse in materia fidei errores docere, & proponere valeret? Quæ de Petro dicta sunt, ad successores ejus transiisse indubitatum est. Alias probationes vide apud Theologos.

Q. *Quomodo stare potest Pontificum infallibilitas*, *si constet plures in suis definitionibus contra fidem*, *& mores errasse*?

R. Scimus hæreticos plures adducere, & enumerare Pontifices, qui *juxta ipsos* a fide aberraverunt, ut *Petrus*, qui Christum negavit; *Marcellinus*, qui thurificavit idola; *Zephirinus*, qui in

hæ-

hæreſim Montani lapſus eſt; *Liberius* in Arianam; *Honorius* in Monothelitarum. Et reſpondemus generaliter potuiſſe hos, & alios errare, ut *perſonas*, & Doctores privatos: non autem ut *Summos Pontifices*, & Doctores univerſales ex Cathedra loquentes, & id forte contigit aliquibus iſtorum; non enim negamus eos errare, & opinari poſſe falſum, ut Doctores privatos. Dico *forte* contigiſſe, quia id poſitive non admittitur, cum adhuc ſub lite jaceat. At quod in Fidei judicio contra fidem aliquid definierint, Eccleſiæque univerſali credendum *ſub anathemate* propoſuerint, & abſolute voluerint, ne unum quidem adverſarii proferre certo poſſunt.

Aliud eſt in Pontifice, quod ſpectat ad hominis privatam excellentiam: aliud quod pertinet ad communem Eccleſiæ utilitatem. Quod v. g. Chriſtum Petrus negarit, *hominis* erat: quod confirmarit fratres, erat *Eccleſiæ*. Similiter quod Fides Petri propria ſemper interius ſervaretur, hominis privilegium erat: quod vero aliis confirmandis ſolidam fidem proponeret, nec in fidei judicio deficeret, Eccleſiæ publicum privilegium erat.

Romanus igitur Epiſcopus non fuit hæres, aut privilegiorum, aut culparum Petri propriarum; ſed ſucceſſit in his quæ ſpectabant ad Eccleſiæ communes, & neceſſarias commoditates.

Non enim fides interior Romani Pontificis Eccleſiæ eſt abſolute neceſſaria, nec illius occultus, & privatus mentis error Eccleſiæ Chriſti nocere poteſt.

Quapropter non eſt neceſſe, ut interioris fidei conſervatione Romanis Pontificibus Deus ſemper aſſiſtat. At quod, dum ea decernunt, quæ fidelibus credenda ſunt, dumque Eccleſiam Chriſti in fide dirigunt, non deficiant, ſed divina manu teneantur, id Eccleſiæ opus eſt, idque proinde Romanis Epiſcopis, etiam privatim errantibus, non negatur; ne videlicet per publicæ poteſtatis errorem, Eccleſiam faciant in communi veritatis ignoratione verſari.

Si ergo quidam Pontifices in errorem lapſi ſunt, errarunt tantummodo ut perſonæ privatæ, non vero *ut Doctores ex Cathedra Eccleſiam univerſalem docentes*, & cunctos fideles ad ea, quæ definiunt, obligare intendentes.

Vide Theologos Scholaſticos, noſtrum Cardinalem de Laurea, Sebaſtianum Dupaſquier, & præſertim noſtrum Guarnieri in egregio ſuo opere de Eccleſia Militante.

Q. *Quandonam Pontifex cenſetur loqui ex Cathedra?*

R. Ex Cathedra loquitur, quoties totam Eccleſiam docet, & ut habens fidei magiſterium dicit: *Definimus, vel declaramus, vel qui oppoſitum ſenſerit anathema ſit, vel tanquam hæreticus habeatur.*

Nec eſt neceſſe, ut ſemper cum Concilio Generali definiat, non enim dixit Chriſtus, ſe pro Petro cum Concilio tantum operante rogaſſe, *ut fides ejus non deficeret*, ſed ei *ſolitarie accepto* dixit: *paſce oves meas*; *confirma fratres tuos &c.*

Idem dicendum de Collegio Cardinalium, quos Papa confirmare debet, ſicut alios fideles. Verba enim Chriſti tantum ad Petrum diriguntur, quem conſtituebat ſuum Vicarium Generalem, & Judicem ac Regulam aliorum. Congrua tamen eſt Cardinalium, & Doctorum conſultatio, quæ ad definitionem debet præmitti.

Q. *Eſtne certum Benedictum XIV. regnantem eſſe legitimum Pontificem?*

R. Certiſſimum, & quidem de fide eſſe ſuſtinetur a nonnullis.

Concilium Conſtantienſe declarat, *non poſſe regi Eccleſiam ſine Papa*. Ergo debet in Eccleſia eſſe talis homo, qui ſit verus Papa. Ille talis eſt *Benedictus XIV.* ergo &c.

Fide etiam credendum eſt, quod hic numero homo canonice electus, & ab

Ecclesia communiter receptus, sit verus Papa Christi Vicarius, & Petri successor. Talis porro est *Benedictus*, si enim dubitari liceret de legitimitate Papæ hujus, similiter & de omnibus aliis, & consequenter dubitari liceret de veritate omnium definitionum, & decretorum Ecclesiæ, seu Conciliorum, quorum decreta de fide esse non possunt, nisi fuerint a legitimo & vero Pontifice congregata, & confirmata, quod si Pontifex Romanus dubius foret, dubia pariter forent, & incerta decreta omnia Conciliorum. Cum ergo tota Ecclesia Romana credat ex fide *Benedictum* esse legitime electum, & verum Papam eum agnoscat, de fide tenendum est illum esse talem, Christi nempe Vicarium, & Petri successorem.

Q. *Cui, & ubi a Deo revelatum est, Benedictum esse verum Papam, ut de fide credendum sit ipsum esse talem?*

R. Verum quidem est nihil esse credendum *fide divina*, nisi revelatum sit, vel explicite, vel implicite. At *Benedictum* esse verum Papam, continetur in illa revelatione: *Ecclesia est columna & firmamentum veritatis: portæ inferi non prævalebunt adversus eam &c.* Ex his enim infertur, quod Ecclesia non errat, cum agnoscit Benedictum ut legitimum suum caput, & verum Papam. Si enim in hoc erraret, posset errare in omnibus aliis, & sic desineret esse *Firmamentum veritatis*. Nec sciret unquam se habere verum caput, & pastorem.

Dici etiam posset, quod Ecclesia non sufficienter dirigeretur a Spiritu Sancto, si in re tanti momenti, posset in errorem incidere, agnoscendo Papam, qui non foret v. g. Baptizatus, masculus, ordinatus &c. imo Deus non staret promissis, neque Christus ipse. Quæ omnia cum absurda sint, & contra fidem dicendum est de fide esse, quod Benedictus XIV. feliciter regnans sit verus Pontifex.

Q. *Quot, & qui sunt Petri successores usque ad præsentem diem?*

R. Difficile nimium est verum, & certum Summorum Pontificum Catalogum texere. Diversi diversa loquuntur, nec inter se conveniunt de numero; nec de anno electionis, & obitus. Videatur noster Antonius Pagi in Critica Annalium Baronii, & Franciscus ejus, Nepos in Breviario Romanorum Pontificum, qui erudite de hac re pertractant. Juxta ipsorum computum, si Petrus comprehendatur, Jesu Christi in terris Vicarius ad Benedictum XIV. usque feliciter Ecclesiam gubernantem, ducenti quadraginta novem fuere, inter quos sequentes diversæ nationis numerantur.

Palestini.	2	Anglus.	1	Benedictini.	31
Græci.	11	Hollandus.	1	Eremitæ.	2
Germani.	4	Hispani.	3	Dominicani.	4
Galli.	15	Africani.	2	Franciscani.	5

Cæteri aut Romani, aut Itali.

Q. *Estne annumeranda inter ipsos Joanna Papissa?*

R. Si Joanna Papissa nunquam, extitit quomodo inter Pontifices locum obtinere potest? Electio mulieris ad Papatum inanis fabula est ab hæreticis, Ecclesiæ Catholicæ infallibilitatem evertere conantibus, & in odium, & contemptum Romani Pontificis, adinventa hujus rei falsitatem moderni eruditi Etherodoxi jam agnovere.

Q. *Unde nam hæc fabula ortum habuit?*

R. Baronius ad annum 879. refert

hanc fabulam originem habere potuisse a *Joanne VIII.* qui cum *Photium Eunuchum* in Sedem Constantinopolitanam intrusum, a Græcorum Imperatore rogatus, abjecta penitus omni virilitate; & ignavia plusquam fœminea approbasset, & ejus iniquam promotionem ratam habuisset, inde ansa invaluit divulgandi irrisorie, in Romana Sede, non virum, sed fœminam sedere, ac proinde non *Joannem*, sed *Joannam* sedere Papissam. Hanc fabulam sic male partam accepit, & nutrivit sola popularis simplicium credulitas: quam deinde primus omnium scripto vulgavit *Marianus Scotus*, Sancti Martini Coloniæ, primum, dein Fuldensis, Congregationis Cluniacensis Monachus; quem postea secuti sunt scriptores alii nonnulli etiam Catholici, ut *Sigibertus*, *Martinus Polonus*, Sanctus *Antoninus*, *Platina*, & alii, præsertim Protestantes hæretici.

Q. *Qualiter factum istud, ut fœmina in Papam eligeretur, evenisse dicunt?*

R. Varie a variis refertur. Dicunt mulierem illam, natione *Anglicam*, ut volunt aliqui, vel *Moguntinam*, ut placet aliis, adhuc puellam in habitu virili fuisse ab Amasio quodam *Athenas* ductam, ibique ita litteris operam dedisse, & in scientiis profecisse, ut ei par non esset.

Postea cum Romam venisset, ibique in triviis legens, & docens, magnos Magistros inter discipulos, & auditores haberet, tantæ opinionis sibi nomen fecit, ut defuncto *Leone IV.* in successorem ejus, & Papam fuerit concorditer electa, *sedemque Apostolicam tenuerit, duobus annis, quinque mensibus, & quatuor diebus*. Sed in Papatu a suo familiari vitiata, temporisque sui futuri partus ignara, cum de Basilica Sancti Petri, ad Lateranum, *in solemni supplicatione* tenderet, partus doloribus correpta publica peperit in via, ibique mortua, & sepulta fuit templum inter Sancti Clementis, & Colisæum.

Q. *Quomodo demonstrari potest fabulosæ hujus narrationis falsitas?*

R. Multiplici ratione.

Primo, quod supposititia sit, colligitur ex non convenientia, seu discordia auctorum ejus: volunt enim aliqui illam fuisse natione Anglicam, Moguntinam alii, cum ob facti raritatem, & perpetuam rei memoriam, omnibus notum esse debuisset, num vere in *Anglia*, vel *Moguntiæ* in Germania originem traxisset.

2. Ex eo quod illam *Athenis* litteris operam dedisse dicatur, cum constet ex *Sancto Synesio*, tempore suo, anno circiter 420. Athænas splendidum habuisse nihil, præter celeberrima locorum nomina, ergo nec a fortiori tempore Joannæ Papissæ, quam sedisse contendunt fabulatores circa annum circiter 850

3. Ex eo quod dicant, illam in solemni supplicatione peperisse, cum incredibile sit omnino, mulierem a tot mensibus fœtu gravidam, partuique proximam, hoc publicum & solemne, laborisque plenum voluisse obire munus, in quo tantum erat futuri partus, honoris, vitæque periculum.

4. Ex eo quod dicant, Papissam hanc sedisse in Cathedra Petri immediate post *Leonem IV.* & regnasse duobus annis, quinque mensibus, & quatuor diebus, quod manifeste falsum est.

Et probatur ex Anastasio Bibliothecario, rei narratæ coævo, qui expresse, ut testis oculatus asserit post *Leonis IV.* obitum quindecim dumtaxat diebus vacasse sedem, statimque Pontificem creatum fuisse *Benedictum III.* Ergo narratio, hæc de Papissa quæ inter *Leonem*, & *Benedictum*, duobus annis sederit, omnino falsa est.

Probatur 2. Ex Adone Viennensi Archiepiscopo, in Chronico ad annum 855. asserente, immediate *Leoni IV.* successive *Benedictum III.*

Pro-

Probatur 3. ex Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, illis iisdem temporibus celeberrimo, Romanisque Pontificibue notissimo, asserente in Epistola 26. se nuntios misisse ad *Leonem IV.* ut ab ipso obtineret aliquod privilegium, quod obtinuit a *Benedicto III.* Leonis IV. *successore*, quia nuntii invenerunt *Benedictum III.* jam in *Leonis* successorem electum.

Probatur 4. ex Nicolao I. Epistola 46. ad Suessionensis Concilii Patres, data anno 866. expresse declarante, *Leoni IV.* successisse *Benedictum III.* quod sine dubio bene noverat Nicolaus ipse Benedicti III. successor immediatus.

Concludendum igitur est, fabulosam esse omnino intermediam alterius cujuscumque, sive Joannis, sive Joannæ Papissæ sessionem.

Q. *Quid ad hoc opponunt Ecclesiæ Romanæ hostes?*

R. Objiciunt auctoritatem scriptorum, suæ sententiæ faventium, quorum præcipui sunt, *Marianus Scotus*, *Sigibertus*, *Martinus Polonus*, *Sanctus Antoninus*, *Platina &c.* nam, *inquiunt*, incredibile est tot tantosque viros, doctrina graves, historiæ de vitis Summorum Pontificum scriptores egregios, in tantum incidisse errorem Romanæ Ecclesiæ odiosum.

Dico argumentum hoc nullius esse momenti, quoniam plures alii æque graves, fideque digniores, hac in re, quia rei narratæ, sive suppositæ, *coævi*, quales sunt inter alios supramemorati, reclamant, & affirmant hanc Papissæ electionem, esse meram fabulam.

Deinde Auctores illi a *Magdeburgensibus hæreticis* præsertim relati, ex sola populari traditione locuti sunt, ut *Marianus Scotus*, cujus ope publicata est insulsa, & inepta de Papissa Joanna fabula.

Quantum, ad alios non loquuntur assertive, sed referunt solum narrationem *Mariani*, ut patet legenti opera eorum.

Q. *Quid ulterius adducunt pro confirmanda Joannæ Papissæ Historia?*

R. Joannam Papissam extitisse, & in publica supplicatione peperisse probare, & confirmare contendunt.

Primo, ex statua marmorea illa fœminæ gerentis infantulum recens natum, quæ olim Romæ videbatur in ipso tam detestandi partus loco, in perpetuam rei memoriam posita; donec jubente quodam Pontifice in Tiberim dejecta fuit.

Secundo, ex eo quod ab iis temporibus, Romanus Pontifex quoties e Vaticano ad Lateranensem tendit Ecclesiam, in hujus horrendi detestationem eventus, hanc consulto declinat viam.

Tertio, ex eo quod ad similem vitandum in creandis Pontificibus errorem, soleat novus Pontifex ad Cathedram perforatam applicari, & ejus ab ultimo Diacono sexus explorari: ergo, *inquiunt*, non fabulosa est, sed vera hæc de Joanna Papissa narratio.

Q. *Quid rationibus istis, speciem quamdam veri præseferentibus, respondendum?*

R. Ad primum; dicendum statuam illam olim Romæ visam, non fabulosæ hujus mulieris Papissæ fuisse. Nam, si ut volunt adversarii, ideo noluere scriptores antiqui, reique narratæ coævi, in gratiam Sanctæ Sedis, & Romani Pontificis reverentiam, hanc præfatam Papissam inter Romanos Pontifices recenseri, ne illius aliqua superesset in libris memoria: quomodo verisimile credendum, passos fuisse Romanos Pontifices, illius in statua marmorea superesse memoriam æternam, & effigiem indelebilem?

Deinde statua illa non infantem recens natum, pannis involutum, sed puerum grandem, & quasi præeuntem referebat. Unde viri in his rebus, &

vetustis explicandis figuris eruditi, colligunt non Papæ, nec Papissæ fuisse statuam, sed antiqui cujusdam Ethnici Sacerdotis ad sacrificium, cum suo præeunte Ministro pergentis; aut aliquod Gentilium numen, hanc statuam referre viri rei antiquariæ periti pridem observarunt.

Eorum ratio est, quia hæc statua altera manu Palmæ ramum humeris innixum deferebat; quod non est insigne *Summorum Pontificum*, qui claves, vel Crucem manibus gestantes effinguntur. Hæc statua sublata fuit tempore *Sixti V.* qui viam in qua posita erat rectiorem duxit, & amplificari curavit ad urbis decorem, & ornamentum.

Ad secundum, dicendum Romanos Pontifices, quoties de Vaticano ad Lateranensem tendunt Ecclesiam, non præfatam declinare viam, licet breviorem, in detestationem hujus prætensi, execrandique Papissæ partus, ut fingunt adversarii, sed quia via illa angusta est, & anfractuosa, Pontificumque comitatui, ut plurimum frequentissimo, minus facilis, & apta.

Ad tertium, dicendum non ad similem vitandum in creandis Romanis Pontificibus eventum vel errorem, nec ad explorandum novi Pontificis sexum, in *perforata Sede*, solitum esse sedere Romanum Pontificem recenter electum, ut perperam, & irrisorie fabulantur hæretici; sed ideo in hac ignobili sede primum sedere solet, ut agnoscat, & recordetur se de humili loco, ad summum evehi honoris fastigium, nec tamen de humanæ vitæ miseriis, & necessitatibus erui. Nam dum in illa sede, quæ *stercoraria* dicitur, sedet novus Pontifex, decantatur in choro illud primo Regum, cap. 2. v. 8. *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.*

Eo simili modo, in ipsa solemni coronationis pompa, dum e sacristia per Ecclesiam tendit ad Altare, in signum & memoriam futuræ mortis, mundanæque brevi perituræ gloriæ, ter stupa in arundinis apice consulto parata solet coram ipso comburi, & tritum illud solemniter acclamari.

Sancte Pater, sic transit gloria mundi.

SIL-

SYMBOLA SEU PRÆDITIONES DE Futuris Romanis Pontificibus.

QUædam de Romanis Pontificibus prædictiones circumferuntur quæ ab aliquibus Sancto Malachiæ Episcopo Dunensi in Hibernia tribuuntur, sed ab aliis eruditis Viris fictitiæ, apocriphæ, & venerando S. Episcopi nomine suppositæ creduntur. Nos hic eas tantum exhibemus, quæ a Clemente XII. usque ad postremum Pontificem verificandæ, supersunt.

Clemens XII. Columna exelsa.	Lumen in Cælo.
Animal rurale.	Ignis ardens.
Rosa umbriæ.	Religio depopulata.
Ursus Velox.	Fides intrepida.
Peregrinus Apostolicus.	Pastor Angelicus.
Aquila rapax.	Pastor et Nauta.
Canis et Coluber.	Flos Florum.
Vir Religiosus.	De medietate Lunæ.
D. Balneis Heturiæ.	De Labore Solis.
Crux de Cruce.	Gloria Olivæ.

In persecutione extrema Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sedebit Petrus Romæ, qui pascet Oves in multis tribulationibus, quibus transactis, Civitas Septicollis diruetur, & Judex tremendus judicabit populum suum.

DE NOTIS.

Seu qualitatibus Propositionum Infidelitatis.

Q. *QUibus titulis ; & qualitatibus propositiones opposita veritatibus Fidei solent ab Ecclesia, & a Summis Pontificibus reprobari?*

R. Aliæ dicuntur *hæretica*, *alia erronea*; *sapientes hæresim*; *male sonantes*, *scandalosa*, *piarum aurium offensiva*, *temeraria*, *seditiosa*, *blasphema &c.*

Quædam notantur una, & pluribus ex his, aut similibus notis, quarum explicatio non displicebit, nec erit inutilis lectori.

1. Propositio *hæretica* illa est cujus contradictoria est de Fide, seu a Deo revelata, & per Ecclesiam definita: Sic hæretica formaliter, & directe est hæc propositio Arii: Christus non est Deus, seu Patri consubstantialis.

2. *Erronea* non dicitur proprie omnis propositio non vera, sed tantum illa cujus contradictoria non est quidem explicite revelata, sed est conclusio illata ex una revelata, & alia evidenter nota, vel quæ opponitur propositioni communiter receptæ in Ecclesia, quamvis non definitæ. Sic erronea est ista V. G. *Christus non est visibilis*, quia opponitur alteri revelatæ: nempe *Christus est homo*. Ex eo enim quod *Christus est homo*, recte infertur,

3. *Sapiens hæresim*, illa est, quæ ex vi verborum significare potest hæresim.

4. Suspecta de hæresi, illa est quæ dat occasionem credendi probabiliter ex circumstantia personæ, loci vel temporis, quod in Auctoris mente latet hæresis: Qualis est ista: *Christus est Creatura*, quæ prolata a Catholico, Catholica est, quia intellecta de humana Christi natura: prolata vero ab Ariano, Arianam sapit hæresim, quia gravis est suspicio, ne intelligatur de Christi *supposito*, ita ut Christus non sit *Deus*, cum creatura sit.

5. *Sapiens errorem* ea est quæ cum erronea similitudinem habet aliquam, ut V. G. si quis negaret propositionem, qua negata videretur istam negare, *Christus est visibilis*.

6. *Male sonans* ea est quæ duplicem patitur sensum, scilicet Catholicum, & hæreticum, vel quæ abutitur vocibus extra communem significationem; ut si quis dicat: *Christus non est in cœlo*: vel *in Eucharistia*: quia vox *est*, ut propositio sit vera, sumitur pro *manducat*; quod est significatum minus commune hujus vocis: secundum vero communiorem usum significat, quod *Christus non existit in cœlo*, quod est hæreticum.

7. *Piarum aurium offensiva* ea est, qua profertur aliquid indecens de Deo, vel de Sanctis, licet non esset falsum, ut si quis diceret, V. G. *Magdalena meretrix*, *Petre perjure*, orate pro me. Illæ enim, aliæque similes propositiones pias offendunt aures, & timoratas lædunt conscientias.

8. *Scandalosa* ea est, quæ dat occasionem ruinæ spiritualis inclinando ad peccata, vel avertendo a virtutum exercitio, ut si quis data opera diceret; plura sequi incommoda *ex jejuniis*, *ex votis*, *ex peregrinationibus*, *ex confessione Sacramentali &c.* Unde homines redderentur segniores, ad vovendum, peregrinandum, & confitendum.

9. *Temeraria* ea est qua aliquid asseritur sine solido fundamento contra communem scholasticorum, & Patrum mentem. Est enim magna temeritas, tot & tantis magistris contradicere. Vel ut explicant alii propositio temeraria ea est, quæ nullo Auctore fide digno, nulla probabili nixa ratione, extra communem Theologorum sensum vagatur: ut si quis assereret, *finale mundi judicium post centum*, *vel du-*

centos Annoi immediate futurum. *Vel si quis Beatam Virginem in cælum, etiam quo ad corpus, assumptam* negaret.

10. *Schismatica* ea est quæ potest promovere, vel excitare seditionem, divisionem, vel scissionem Corporis Christi mystici, scilicet Ecclesiæ, seu quæ fideles ab unitate, a pace, vel a subordinatione, & ab obedientia debita retrahere nata est.

11. *Seditiosa*, quæ in materia virtutum, & Religionis excitare potest seditionem: sed si hoc dicitur in materia politiæ, tales propositiones solent prohiberi, sed non censura notari.

12. *Blasphema*, quæ & impia dicitur, ea est quæ injuriam contra Deum, Deiparam, aut Sanctos continet, illis debitas detrahendo perfectiones, vel indebitos affingendo defectus. Quod si errorem contra fidem contineat, dicitur *blasphemia hæreticalis*; impia vero, si lædat *pietatem*. Sic si quis videns bonos malis opprimi, & malos bonis affluere omnibus, *Deum injustum vocaret*, hic ut impius, & blasphemus puniendus foret. Sic injurius, & blasphemus esset, qui *Paulum* vas fractum, *Petrum* Christi abnegatorem, *Joannem* juvenem stolidum, *Matthæum* fœneratorem, diceret.

Porro, una eademque propositio aliquando meretur plures ex illis censuris, si multiplici modo fidei sit nociva. Ut si quis fidelis diceret hodie cum Pharisæis: *Christus non eiicit dæmones, nisi in Beelzebub Principe Dæmoniorum*: hæc enim propositio nedum esset *falsa*, sed etiam *temeraria*, *scandalosa*, *impia*, *blasphema*, *& hæretica*. *Falsa* esset, quia opponeretur veritati: *Temeraria*, quia sine ullo fundamento contradiceret, communi Theologorum doctrinæ: *scandalosa*, quia retrahens a Christo: *Impia*, quia dæmones ejiciendi potestatem Christo negaret. *Blasphema*, quia Christum Beelzebub inferiorem ostenderet: *Hæretica* demùm qua esset, quia directe Fidei Catholicæ opposita.

13. *Injuriosa* ea est, quæ facit injuriam alicui, vel personæ, vel statui. Dixi personæ, vel statui; nam si sit in Deum, est *blasphema*. Sic si quis V. G. de Religioso Ordine aliquo diceret; *Eo in ordine nullus ordo, & nulla prorsus regularis observantia viget, sed libera cuique permissa est vivendi ratio*; ille sine dubio, injuriose loqui de illo ordine censendus esset, quia sic loquens tali Ordini injuriam irrogaret maximam.

Mitto alias plures hujusmodi malas qualitates propositionum in rebus Theologicis, ut sunt *superstitiosa*, *arrogans*, *vana*; *stulta*, *insana*, *improbabilis*, *judaica*, *pagana*, *athea*; quæ non sunt proprie censuræ Theologicæ, vel saltem non multum in usu.

DE SANCTORUM CANONIZATIONE.

Q. QUid est Canonizatio?

R. Est authenticum Ecclesiæ, seu Summi Pontificis testimonium ac sententia, qua definitur defunctum aliquem inter Sanctos in cœlis esse collocatum, ac pro Sancto in terris a fidelibus habendum esse.

Q. *Quæ differentia est inter Canonizationem, & Beatificationem?*

R. Discrimen inter unum, & alterum est, quod Canonizatio sit *definitiva Papæ* sententia de Sanctitate, & gloria Canonizati, omnibus fidelibus propositi.

Beatificatio autem, quæ via est ad Canonizationem, est *indulgentia* tantum, & *concessio*, *alicui provinciæ*, *aut Religioni*, facta, ut alicui defuncto

possit certos cultus deferre, V. G. Missam & Officium de eo celebrare.

Unde in Bullis Canonizationis utuntur Pontifices his verbis, *definimus*, *decernimus*, *mandamus*. In Bullis autem Beatificationis, *concedimus*, *indulgemus &c.*

Q. *Estne Papa infallibilis in Canonizatione Sanctorum?*

R. Ita censent Catholici doctores. Si enim fallibilis esset, contingere posset, ut Dei hostis, & inferni victima, publicis officiis, & precibus coleretur tanquam Dei amicus a tota Ecclesia, quod sanctitati ejus repugnat.

Q. *Estne de fide ipsum in hoc negotio esse infallibilem, ita ut hæreticus esset, qui oppositum tueretur?*

R. Negant gravissimi Auctores, quos citat Prosper de Lambertinis, S. Petri sedem nunc sanctissime tenens, *Lib.* 1. *de Canon. SS. cap.* 45. Conveniunt quidem Papam errare non posse in Canonizatione Sanctorum, & temerarium, impium, & scandalosum eum fore, qui contrarium diceret, non dicunt tamen quod esset hæreticus; quia, *inquiunt*, ad hæresim formalem constituendam necesse est quod error directe tendat contra fidem, in divina revelatione fundatam, cum vero nec Deus revelaverit hunc individuum hominem a Papa canonizatum esse in æterna gloria, nec id contineatur in divinis Scripturis, nec in traditione, proinde formalis hæreticus esse non potest.

Contra, de *Fide esse* Summum Pontificem falli non posse in Canonizatione Sanctorum, & de Fide esse, canonizatum esse Sanctum, quamplurimi latissime probant: De Fide tenendum est quod infertur ex duabus propositionibus præmissis, quarum una est de fide, & altera moraliter evidens; atqui de fide est, quod is qui perseveravit in observantia mandatorum Dei, æterna fruitur Beatitudine; ex processis autem factis in canonizationibus evidens est moraliter canonizandum perseverasse usque in finem in observantia mandatorum, ergo potest Pontifex ex his duabus præmissis deducere canonizandum esse Sanctum.

Volunt itaque sic sentientes, majorem propositionem esse revelatam: minorem ex ratiocinatione Theologica deduci, ejusque veritatem cognosci a Papa per instinctum Spiritus Sancti, & proinde conclusionem, ut dependentem a majori explicite revelata, tum a minori revelata, seu per instinctum inspirata, dici posse, & debere *obiectum fidei*: Ita Cardinalis noster de Laurea citatus a *Benedicto XIV.* supra laudato: cui sententiæ magis adhærendum censet, quam primæ. Videatur *cap.* 45. per totum *Lib.* 1. *de Canon.* 11. *SS.*

Q. *Quibus motivis hæc Sanctorum solemnis Canonizatio fit in Ecclesia Dei?*

R. Hanc quæstionem aliter proponit Dominicus a Sanctissima Trinitate, *cap.* 8. *in Bibliotheca maxima Pontificia*, *pag.* 491. *Tom. X.* relatus *a Benedicto XIV.* in prælaudato suo opere.

Quæritur, inquit, cur Christus authoritatem Canonizandi Sanctos, Ecclesiæ suæ relinquere voluerit? & respondet, id Christum concessisse o plures congruentissimas rationes, quarum præcipuæ sunt sequentes.

Prima, ut etiam in terris, ubi locus agonis, legitimique certaminis eorum fuit, hanc laborum suorum mercedem, triumphique coronam utcumque reportent.

Secunda, ut gloriæ essentiali, qua gaudent in cœlis, hæc accidentalis gloria respondeat ex parte Ecclesiæ militantis.

Tertia, ut conjungamur nos *viatores* cum illis per affectum, ac venerationem; illi autem jam *comprehensores* uniantur nobiscum per intercessionem, & protectionem.

Quarta, ut nos eorum exemplo provocemur ad earum præsertim virtutum imi-

imitationem, in quibus insignes fuerunt.

Quinta, ut probetur *Ecclesiam Catholicam* non solum, quo ad legem, sed quo ad personas, etiam esse *Sanctam*, dum tot justos, & Sanctos parit ac beat.

Sexta, ut inde Gentiles, & Hæretici confundantur, qui non habent personas justas, & Sanctas, quas consecrent, quia vera Sanctitas non potest a vera Fide disiungi, & separari, nec potest esse vera Sanctitas, nisi ubi adest vera Fides.

Septima, ut ita servetur Communio illa Sanctorum, quam in Symbolo Apostolorum profitemur.

Q. *Sanctorum Canonizatio fuitne in usu a temporibus Apostolorum*?

R. Bellarminus, & Baronius dicunt tantum incæpisse anno 804. tempore *Leonis III.* qui ad instantiam *Caroli Magni Francorum Regis*, & *Occidentis* Imperatoris, *Beatum*, *Suitbertum* præmissis antea jejuniis, & precibus, ac ipsius vitæ & miraculorum examine, pompa solemni, Sanctorum fastis adscripsit, quod & fecere postea alii Pontifices.

Q. *Quomodo ergo antiquitus Sancti canonizabantur*?

R. Voce populi, & Episcopi Diæcesani approbatione, ut colligitur ex Sancto Cypriano *lib.* 3. *epist.* 8.

Nullus tamen Episcopus canonizavit unquam *pro tota Ecclesia*: imo nec possunt pro nunc pro suis diœcesibus, ob expressam *Alexandri tertii* prohibitionem.

Qui plura vult de hac materia, legat præclarissimum opus *Benedicti XIV.* de canonizatione Sanctorum.

Q. *Qui sunt Canonizationis effectus*?

Resp. Sequentes. Beati per Canonizationem ad illum gradum efferuntur.

Primo, ut publice deinceps ab omnibus, singulari modo *Sancti* habeantur, & vocentur.

Secundo, ut in publicis Ecclesiæ precibus invocentur.

Tertio, ut Templa, & Aræ in eorum memoriam Deo dedicentur.

Quarto, ut sacrificia in eorum honorem Deo publice offerantur.

Quinto, ut dies Festi in eorum memoriam publice celebrentur.

Sexto, ut imagines cum certo quodam lumine pingantur, & ad venerandum in Ecclesia illustri loco ponantur.

Septimo, ut eorum Reliquiæ, pretiosis thecis includantur, & publice honorentur.

DE
SACRO CARDINALIUM
COLLEGIO.

Cum Cardinalium munus sit cum Sancta Sede conjunctum, non incongrue de iis aliquid dicendum existimamus; maxime cum de Ecclesia & Summo Pontifice sufficienter pro Tyronibus egerimus. Certum est Pontificatum commode, & perfecte absque Consilio, & aliquorum subsidio, administrari nec posse nec potuisse: unus enim solus tantam molem & pondus sustinere haud poterat, quin in partem ministerii nonnullos idoneos adsciscceret, quibuscum ardua negotia Ecclesiæ, pro temporum occurrentia tractaret, & pensum cuique laboris impartiretur.

Tales fuerunt apud *Petrum Apostolorum Principem*, Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, & Marcus Evangelista, *atque alii permulti*, qui Pontificatus ejus munia, & onus subjerunt, & coadiutores & consiliarii in re gerenda & administranda fuere. Qui, licet nomen

men Cardinalium, tunc insuetum, haud habuerint, munus tamen & officium genuinum, quod nunc *Cardinales* exercent procul dubio præstiterunt.

Q. *Quomodo olim vocabantur Cardinales?*

R. Qui nunc *Cardinales* dicuntur, antiquitus *Præsbiteri*, aut *Diaconi* Urbis Romæ nominabantur.

Idque constat tum ex aliis, tum ex Nicena Synodo, quæ habita est sub *Sylvestro* Pontifice, cui, inter cœteros, duo ita subscribunt: *Victor & Vincentius Præsbiteri Urbis Romæ, pro Venerabili viro Papa & Episcopo nostro Sylvestro*.

Ex quo apparet eos Pontificis locum in eo Concilio tenuisse, quod munus Cardinalium proprium est.

Quin etiam aliquanto post in Synodo a *Gregorio* Romæ habita, anno Domini 594. triginta quinque Sacerdotes subscribunt omnes ex nomine Ecclesiarum suarum.

Deinde Augustinus decertans contra Pelagianos, mentionem facit de Romanis Clericis, qui sub *Zosimo* Pontifice, Cœlestium & Pelagium damnarunt: at hæreticos damnare non est privatorum clericorum; necesse est igitur eos fuisse *Cardinales*.

Q. *Quod fuit initium, & progressus Romani Cleri?*

R. Hoc communi consensu receptum est Beatum Petrum, cum Romæ sedem posuisset, ex omnibus recentibus Christianis probatissimos elegisse, quos partim *Præsbiteros*, partim *Diaconos* ordinavit, distributis utrique ordini suis muneribus.

Verum cum adhuc exiguus & incertus esset Præsbiterorum numerus, *Cletus* Pontifex a Petro *Tertius*, eos ad quinque & viginti redegisse scribitur.

Evaristus anno Domini 96. ne confuse administrarent, ipsis Parochias divisit, ut suam quisque Diœcesim nosset, & in eam excolendam incumberet.

Hyginus vero circa annum 140. aucto jam fidelium numero, plures in unaquaque Parochia Præsbiteros, aliosque Clericos instituit; quæ Ecclesiæ, seu Parochiæ, jam tum ab illo tempore *Tituli* appellari cœpti sunt.

Q. *Qua de causa hæ Parochiæ* Tituli *dictæ sunt?*

R. Causam assignat Baronius in suis Annalibus ad annum 112. Vel quia quidquid ex profano ad Ecclesiam adjungebatur intitulari, vel *in titulum* transire dicebatur, quod etiam ex quadam *Gregorii* Epistola intelligi potest; Vel quia Præsbiteri, quibus eæ committebantur Ecclesiæ, singuli a suis Ecclesiis nomen titulumque acciperent, ut jam non ex familiæ cognomine, sed ex sua quisque Ecclesia nuncuparetur.

Hi vero Tituli frequentius quidem ab ejus Sancti nomine, cui dedicata esset Ecclesia sumebantur, ut *S. Ceciliæ*, aut *S. Mariæ trans-Tiberim*. Interdum tamen ab iis Pontificibus, qui eos titulos instituerant, ut *Julii*, aut *Damasi*; interdum etiam ab iis, qui Templa ipsa ædificaverant, ut *Lucinæ*, *Eudoxiæ*, *Tigridis* &c. nomen desumebant.

Q. *Horum Titulorum quis erat numerus?*

R. Jam dictum est. Viginti quinque instituerat *Evaristus*, his successores Pontifices alios quosdam addiderunt; sic tamen, ut viginti & octo permanserint usque ad annum circiter 1455. idest usque ad *Callixtum Tertium*, qui unum addidit: alterum deinde *Sixtus Quartus*; *Leo Decimus* undecim; tres *Julius Tertius*; unum, *Paulus Quartus*, unum pariter Pius Quartus, tres postremo Pius Quintus, & sic unus & viginti Tituli additi sunt, qui illis viginti quinque veteribus Titulis uniti, quadraginta sex Titulos efficiunt.

Hæc de Præsbiteris, nunc de Diaconis pauca dicemus.

Q.

Q. *Quis Præsbiteris istis* Diaconos *adjunxit*?

R. Cum Apostoli *septem Diaconos* instituisset Jerosolymis, ut Fideli populo inservirent, Romani pariter Pontifices Apostolorum exemplum æmulati septem Diaconos Romæ instituerunt. Verum cum isti nullum certum locum assignatum haberent, sed promiscue sui Ordinis munera obirent, Fabianus Pontifex omnium primus, anno circiter 249. Urbis Regiones distribuit, suamque unicuique assignavit, de quarum Regionum partitione expressa est mentio in ea Oratione quam *Gregorius* habuit ad populum pestilentiæ tempore, quæ adhuc extat in ejus vita.

Ex his autem *septem Diaconis*, unus erat præcipuus a Pontifice electus, cum Cleri populique consensu, qui *Archidiaconos* appellabatur, cujusmodi fuit *S. Laurentius* Sixti minister.

Cum vero tunc quatuordecim essent Urbis Regiones, Diaconus quisque duas administrabat. Postea tamen duplicatus est huic numerus, ut singuli singulas haberent.

Demum adaucto Romanæ Ecclesiæ splendore plures in unaquaque Regione adjuncti Diaconi, sic tamen ut unus emineret, aliosque gubernaret.

Q. *Quæ erant illa loca, quæ* Diaconiæ *appellabantur*?

R. Erant Ecclesiæ Sanctorum nomine erectæ, in quibus nulla animarum cura gerebatur, sed alia munera exercebantur Diaconorum propria, ut inter alia, dispensare eleemosinas pauperibus istius Regionis, subvenire necessitatibus viduarum & pupillorum &c. quod apparet in formula, qua Sanctus Gregorius *Diaconiam* alicui committebat: *igitur te.* Joannem *religioso intentionis tuæ studio provocati, mensis pauperum, & exhibendæ Diaconiæ eligimus preponendum*, lib. 9. indict. 4. Epist. 24.

Hæ Diaconiæ per multa sæcula ita distinctæ permanserunt a Præsbiterorum Titulus, ut neque Titulus ullus Diacono, nec Diaconia Præsbitero traderetur.

Hi quatuordecim Diaconi pro numero Regionum quibus erant assignati, *Regionarii* vocabantur.

His quatuordecim Diaconis, quatuor additi sunt, qui Pontifici assisterent, eique sacrificanti servirent, quam ob causam dicti sunt *Palatini*. Quare decem, jam & octo Diaconi esse cæperunt.

Q. *Quot sunt Episcopi Cardinales, & ad quid assumpti*?

Septem antiquitus erant Cardinales Episcopi; modo vero sex tantum numerantur. Episcopatus enim silvæ candidæ, qui unus erat ex illis septem desiit circa annum MCXX. quo tempore Urbs illa a Barbaris expugnata, & funditus eversa est, & ea Ecclesia, quæ ad illud usque tempus proprium Cardinalem Episcopum, habuerat, Portuensi Episcopatui addita est. Unde ab illo tempore sex tantum fuere Cardinales Episcopi Romanæ urbi viciniores *Ostiensis*, *Veliternus*, *Portuensis*, *Tusculanus*, *Sabinensis*, *Prænestinensis*, & *Albanensis*. Sed inter eos non computandus *Veliternus* Episcopus, ab eo tempore quo *Eugenius* tertius, *Ostiensi*, *Veliternum* univit Episcopatum.

Hi assumpti sunt ad majorem dignitatis Pontificiæ splendorem, ut sicuti aliis Ecclesiis Præsbiteri Cardinales, ita huic uni Episcopi Cardinales deservirent.

Consueverant Episcopi Cardinales singulis diebus per vices in Ara maxima Missas celebrare, modo præsente, modo absente Pontifice: quod apparet ex *Anastasio Bibliotecario*, qui in vita *Stephani* Papæ, quem creatum constat anno DCCLXVIII. Expressam facit mentionem de Episcopis Cardinalibus *Hebdomadariis*, his verbis: *ut omni Dominico die a septem Episcopis Cardinalibus* Hebdomadariis, *qui in Ecclesia Salvato-*

vatoris observant, *Missarum solemnia super Altare Beati Petri celebrentur*.

Igitur in Ecclesia Vaticana celebrabant per vices seu successive omnibus anni Dominicis diebus: & in Lateranensi omni die vicissim per totam hebdomadam; & idcirco Episcopi *Lateranenses*, *Collaterales*, & *Hebdomadarii* dicebantur.

Prima mentio Episcoporum Cardinalium habetur in Concilio a *Stephano IV.* convocato, ubi eorum officium præscribitur.

Q. *Quid hoc nomen* Cardinalis *significat*?

R. Cardinalis nomen idem significat ac præcipuus seu principalis. Et in hoc sensu quatuor principales venti dicuntur *venti Cardinales*. Et similiter Virtutes quædam Morales communi, & usitato more *Cardinales* appellantur. Quare non Romæ solum, sed alibi quoque in cleri Ordine hoc Cardinalium nomen usurpatum est: ex quo illud est quod in Concilio Meldensi statuitur, ut Episcopus *Titulos Cardinales* in Urbibus, vel suburbiis constitutos ordinet atque disponat, Can. 54.

Extat quoque Gregorii Epistola ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum, qua ei Gratianum quemdam concedit, quem in sua Ecclesia *Diaconum Cardinalem* constituat *Epist.* 11. *Lib.* 5.

Idemque in alia epistola, Episcopum Siracusanum monet, ut Cosmum Subdiaconum *Præsbiterum faciat Cardinalem*. *Epist.* 34. *Lib.* 11.

Licet autem vel in omnibus, vel in plerisque Ecclesiis, ut Compostellæ, & Salerni sui essent *Cardinales*; consuetudo tamen obtinuit, ut in sola Romana Ecclesia, excellentiæ causa, id nomen remaneret.

Q. *Unde hoc nomen Romæ ortum habuit*?

R. Non satis compertum est. Plerique, si non omnes, ita dictos putant, quia in singulis Titulis præerant reliquis Præsbiteris, vel in Diaconiis præerant aliis Diaconis; qui etiam alio nomine *Archipræsbiteri*, & *Archidiaconi* dicebantur. Hoc enim indicare videtur nomen ipsum *Cardinalis*, quod, ut paulo ante diximus idem est quod principalis.

Q. *Quis erat veterum Cardinalium numerus*?

R. Viginti octo: Et hoc colligitur ex Titulorum numero, qui ut supra diximus, octo & viginti fuere, quibus si decem & octo Diaconos ac denique septem Episcopos, qui antiquitus erant, addamus, jam apparebit fuisse semper olim tres & quinquaginta.

Hic numerus ad *Honorium* usque *secundum*, anno Domini MCXXV. duravit; a quo tempore sensim minui cæptus, cum in demortuorum locum nemo substitueretur, sed eorum Tituli vel ab Archipræsbitero, vel ab altero Cardinali Pontificis jussu administrarentur.

Itaque incertus ac varius esse cœpit Cardinalium numerus usque ad annum 1476. quo tempore ad *Nicolai III.* electionem *septem tantum Cardinales* affuisse legimus.

Ab eo vero tempore rursum reflorescere & augeri cœpit, ita ut *Bonifacio VIII.* sedente essent jam Cardinales viginti, neque tamen usque ad *Sixtum IV.* ex ordine Fratrum Minorum Conventualium assumptum, trigesimum attingerunt, cum in Constantiensi Synodo cautum esset ne plures essent quam viginti quatuor.

Q. *Quis presens Cardinalium numerus*?

R. Cum Cardinalium creatio ab arbitrio Papæ penderet; *Sixtus IV.* trigesimum supergressus est: *Alexander vero VI.* ad quinquagesimum perduxit: At *Leo X.* cum una vice unum & triginta creasset, usque ad sexagesimum quintum. *Paulus IV.* quinque amplius addidit & *Pius IV.* usque ad sextum & septa-

septuagesimum; quo nunquam ante perventum erat, neque postea perventum est. Postremo *Sixtus V.* nostri ejusdem ordinis, numerum septuagesimum definivit instar illorum, *ut ipse ait*, septuaginta seniorum, quos Dominus Moysi adjutores dedit, in quos tanti oneris partem derivaret. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri: Et duces eos ad Ostium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi: Et auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris*, num. cap. 11. v. 16.

Et ab eo tempore perseverat hic a *Sixto* definitus Cardinalium numerus, qui assistunt in universalis Ecclesiæ regimine Summo Pontifici, sicut septuaginta seniores Israelitici olim Moysi assistebant in regenda Synagoga.

Q. *Quot pro nunc ex tribus ordinibus, in quolibet ordine sunt Cardinales?*

R. Numerus Cardinalium completus ultra septuagesimum cum non ascendat, ut dictum est, sic distributus legitur, ut ex Diaconorum Ordine, solum quatuordecim sint; Ex Præsbiterorum ordine, quinquaginta. Ex Episcoporum ordine, sex, supra numerati.

Q. *Quot sunt Cardinalium Congregationes?*

R. Duodecim principaliter assignantur.

1. Sancti Officii, seu *Inquisitionis* Congregatio dicitur, quæ in rebus Fidei curandis tota occupatur. Fuit autem a *Paulo III.* instituta, & a *Paulo IV.* confirmata; Et huic interesse solent selecti Cardinales aliqui, cum aliis doctis & eruditis viris, Consilii, consultationisque gratia.

Hæc Congregatio haberi solet *die Mercurii* coram præfatis Cardinalibus, & *die Jovis* sequenti coram *Summo Pontifice*, cui referuntur omnia die præcedenti digesta Negotia.

2. Congregatio *Signaturæ gratia* vocatur, a *Pio IV.* erecta, cui solent interesse cum Summo Pontifice plures Cardinales, Prælati multi, & Referendarii qui causas proponant, & explicent.

3. Dicitur *Signaturæ Justitiæ*; & huic intersunt nonnulli Cardinales, & plures Prælati, & Referendarii, qui materias, quæ controvertuntur, & discutiunt proponunt.

4. *De propaganda fide* dici solet, a *Gregorio XV.* instituta, anno 1622. sicque ideo dicta, quia fidei per varias virorum Apostolicorum Missiones dilatandæ destinata; haberique solet apud antiquiorem e Cardinalibus.

5. Ea est, quæ *Concilii* dicitur, quia in explicandis Sacri Concilii Tridentini decretis, eorumque executione promovenda tota versatur; soletque pariter apud antiquiorem Cardinalem haberi.

6. *De Episcopis & Regularibus* vulgo dici solet, quia in causis Episcoporum & Regularium decidendis intenta; haberique solita quolibet *die Veneris* non impedito, præside pro more Cardinalium antiquiore.

7. Dicitur *Sacrorum Rituum*, seu consuetudinum & cæremoniarum Ecclesiæ, & hæc est ea, in qua præsertim agitur de *Sanctorum Canonizatione*, soletque semel in mense apud Præsidem Cardinalem haberi.

8. *De indice librorum prohibitorum* vulgo dicitur, quia circa libros, qui imprimi debent, corrigendos, vel censura notandos occupata: Et pro temporum exigentia apud Cardinalem præsidem haberi solita.

9. *De Episcoporum examine* nuncupatur, quia pro examinandis a i Episcopatus Italiæ promovendis destinata; Et huic interesse consuevere cum *Sum-*

mo Pontifice Cardinales decem, multi Regulares, aliique viri eruditi.

10. *De rebus & caussis concistorialibus* appellatur, quia in ea de his præsertim agitur, quæ Summi Pontificis nomine remitti solent ad Cardinales, ut nominationes ad Episcopatus, & Abbatias, aliaque similia &c.

11. *De immunitatibus Ecclesiasticis* dicitur, estque instituta ab *Urbano VIII.* & haberi solet pro temporum exigentia apud Cardinalem antiquiorem.

12. *De indulgentiis* congregatio dicitur, & huic solent interesse quinque aut sex Cardinales, cum uno, vel duobus prælatis.

Sunt & nonnullæ aliæ minus præcipuæ, ad politiam & temporalem statum spectantes, præter Tribunal *Apostolicæ cameræ*, cui interesse solent cameræ Clerici, cum Camerario Cardinale præside.

Est insuper præter has omnes, congregatio omnium præcipua, & celeberrima, post Summi Pontifici obitum convocari solita, quæque vulgo dici solet *Conclave*.

DE
CARDINALIUM CONCLAVI.

Q. *Quid est Conclave, quod dicitur Cardinalium?*

R. Conclave est celebris ille locus Vaticani, ib quo, decimo die post summi Pontificis obitum, recluduntur Cardinales ad novam novi Pontificis electionem celebrandam, & accelerandam.

Q. *Quodnam fuit principium istius conclavis?*

R. Sic primum recludi cæperunt Cardinales post mortem *Clementis IV.* solebant antea summo mane, singulis diebus, si Romæ erant, *Laterani*, vel in Basilica *Vaticana*, aut alibi, ut occasio erat: si vero extra Urbem in Cathedrali ejus Civitatis Templo, in qua tunc commorabantur, una convenire.

Vita functo *Clemente IV.* Apostolica Sedes per biennium & novem menses vacavit, eo quod non convenirent Cardinales de successore designando cum maximo totius Reipublicæ Christianæ malo, *S. Bonaventur.* Franciscanæ Religionis Generalis Minister, tunc Viterbii degens, civibus Viterbiensibus suasit, si *Dominico Magri* credendum est, ut omnes Cardinales in Episcopali Palatio includerent, ut sic coarctati ad finalem citius devenirent electionem: & usque ad præsens cellularum vestigia in aula cernuntur.

Verum cum electio protraheretur, ob dissidia Cardinalium, qui quamvis numerum octodecimum non excederent, in nullum tamen convenire valebant; *Rainerius Gattus* Civitatis præfectus, & conclavis custos, ad vincendam illorum obstinationem, jussit ut omnino detegeretur aula in qua, muris occlusi erant, nec ullibi patebat exitus: Unde necessitati cedentes, ob ingentia incommoda, & aeris intemperiem, per compromissum, elegerunt *Theobaldum* Placentinum Vice-Comitum, vulgo *Visconti*, familia, Mediolano olim pulsa, suum ducentem genus, *Archidiaconum Leodiensem*, dictum deinceps *Gregorium X.* & defertur lepide dictum a Joanne Portuensi Cardinali.

Papatus Munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit discordia Fratrum.

Q. *Unde constat, quod ita fuerint inclusi Cardinales, & quod tectum conclavis fuerit apertum, & ablatum?*

R. Illius rei veritas clare dignosci-

tur ex Bulla quadam, quæ in Archivio Civitatis Viterbiensis custoditur, ex qua decem & septem pendent sigilla in cera rubra, quorumdam Sanctorum figuras exhibentia, fositan illorum quorum Titulis pro tunc Cardinales illi gaudebant, juxta illius sæculi usum In præmemorata Bulla, Collegium licentiam facit *Cardinali Ostiensi*, infirmo a conclavi recedendi sequentibus verbis, quæ nos hic ad longum dare, pro majori Lectorum notitia, operæ prætium duximus.

„ Nos, *miseratione Divina*, Episcopi, Præsbiteri, & Diaconi Sacro „ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales „ infirmitati Venerabilis Fratris nostri „ N. *Ostiensis*, & *Velletrensis Episcopi*, fraterno compatientes affectu, „ vobis *Alberto de Monte Bono*, potestati & *Rainerio Gatto*, qui pro „ Capitaneo Viterbiensi te geris, & „ communi Viterbiensi tenore præsentium sub *debito fidelitatis*, quo nobis, & Ecclesiæ Romanæ tenemini, „ districte præcipiendo mandamus, „ quatenus, cum idem Episcopus *juri*, „ & *voto sibi competentibus in electione Romani Pontificis renunciaverit* „ coram nobis quantum ad præsentem „ electionem dumtaxat, volens, ut „ non obstante ejus absentia, sine ipso, „ *hac Vice* libere procedamus ad providendum Romanæ Ecclesiæ de Pastore ratam habiturus, & gratam electionem, seu provisionem, quam „ de Romano Pontifice *absque ipso*, „ & ejus requisitione duxerimus faciendam, ac instanter petierit *Vobis* „ *mandari*, ut de Palatio, in quo *sumus inclusi*, ipsum *permitteretis* exire, eumdemque Episcopum de ipso „ Palatio statim egredi libere permittatis, nec ipsum de cœtero aliquatenus detineatis invitum.

„ Datum Viterbii in Palatio *Discooperto* Episcopatus Viterbiensis VI. „ Idus Junii MCCLXX. Apostolica sede „ Vacante.

Q. *Estne magna Cardinalatus dignitas?*

R. Certe talis ac tanta est, ut omnes Ecclesiasticas dignitates, post Summum Pontificem, excedat. Et ratio est, quia Cardinales sunt membra Papæ, & quasi una persona cum illo, & quia non solum Romanæ sed universæ Ecclesiæ consulunt. Quare de Cardinalibus illud dici potest, quod est in Sacris litteris: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos Orbem*. 1. Reg. 2. Hæc enim *terra* tam late patens, ita firma & fixa, & quæ omnes homines & sustinet & alit est *Ecclesia*; ejus autem cardines, ut nomen ipsum admonet, sunt *Cardines*; quare ipsi quoque sunt Principes mundi.

Q. *Episcopi qui sunt Apostolorum successores, numquid majores sunt Cardinalibus?*

R. Si inter eos comparatio facienda sit, profecto si ordinem, & ordinis potestatem spectemus, major est Episcopus, quam Cardinalis. Hic enim Sacerdotes consecrat, confirmat baptizatos, & alia ejusmodi facit, quæ non potest Cardinalis. Idemque sentiendum, si attendamus jurisdictionem ferendi leges, puniendi, dispensandi, indulgendi, quæ item non licent Cardinali, quoniam nullam habet Diecesim. Itaque ex hac parte majus aliquid habent Episcopi, quod non habent Cardinales. Quod etiam in causa est, cur Summus Pontifex *veteri more*, Episcopos quidem *Venerabiles Fratres* appellet, Cardinales autem, *dilectos filios*, quoties scilicet singulis loquitur vel scribit: nam cum universos alloquitur tum communiter *Fratres* vocat, propter admixtos Episcopos.

At vero si universalis Ecclesiæ gubernationem respiciamus, sine ulla dubi-

bitatione major est Cardinalis, non modo Præsbiter, sed etiam Diaconus quam quivis Episcopus. Episcopus enim suæ tantum Diecæsis utilitati servit; at Cardinalis publicæ totius populi Christiani. Ille privatam dumtaxat regit Ecclesiam: hic, una cum Sede Apostolica, universas.

Cardinales solitum ad Pontificum consilia, tum etiam ad Pontificis electionem pro nunc adhibentur, atque etiam ex ipsis fere solis Pontifex eligitur.

Cardinales a nemine, nisi a summo Pontifice judicantur: ipsi tamen simul cum Pontifice omnes Ecclesiæ gradus dijudicant.

Multis aliis privilegiis gaudent, ob quæ non modo quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum atque primatum jura transcendunt.

Q. *A quo tempore Summorum Pontificum electio demandata est solis cardinalibus?*

R. Ab eo tempore, quo in tertio *Lateranensi* Oecumenico Concilio, sub *Alexandro III.* Romæ habito, anno 1179. exclusis omnino Clero, Imperatore, & populo ab electione Summorum Pontificum, totum jus illos eligendi translatum est ad solum Cardinalium collegium, ibique pariter statutum, ut *dua tertiæ* Cardinalium *partes* pro electione convenirent; idque ita decretum occasione *Octaviani* Pseudo-Pontificis, sub nomine *Victoris IV.* de Papatu contendentis, cum ipso *Alexandro III.* vero ac legitimo Summo Pontifice, utpote a majori Cardinalium parte electo, dum *Octavianus* paucorum dumtaxat niteretur Cardinalium suffragio, & Frederici Imperatoris potentia & auxilio.

Sed tandem Victo Imperatore & extincto Schismate Concilium *Lateranense III.* convocavit *Alexander*; in quo inter alia hoc præsertim decretum est, *Canone I.* ut nullus deinceps, ut verus haberetur & legitimus Pontifex; nisi esset a duabus tertiis Cardinalium partibus electus.

Q. *Quandonam cœperunt Cardinales vestibus indui purpureis?*

R. Certum est modernum Cardinalis habitum majestatem quamdam exhibere. Si initium quæratur, factum accipimus ab *Innocentio IV.* anno salutis 1246. cum statuisset ut Cardinales omnes *rubro galero* uterentur, hoc scilicet motivo, ut recordarentur se debere semper esse promptos ad Sanguinem *fundendum in defensionem Fidei, & obsequium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, Insuper etiam indulsit, ut in publicum incederent *equo vecti*. Ex quo sane apparet antea *pedibus ire consuevisse*; quod unum reliquam quoque tenuitatem ac simplicitatem illorum temporum indicat.

Postea, vel *Bonifacius VIII.* ut ait Hieronymus Albanus, lib. de card. q. 8. vel ut plures tradunt, & in primis Platina, & Sabellicus confirmant, *Paulus II.* anno 1454. reliquas vestes purpureas, cæterumque ornatum adjecit: atque ex eo quoque tempore aucta est hujus Magistratus amplitudo, ut internæ ejus dignitati hæc etiam externa species responderet.

Q. *A quo tempore dicuntur Cardinales Eminentissimi?*

R. A tempore Urbani VIII. Summus ille Pontifex anno 1630. speciali decreto sancivit, ut deinceps Cardinales *Eminentissimi* vocarentur, & ut nulli alii *Eminentiæ* titulum usurpare præsumerent, exceptis Cardinalibus, tribusque Imperii *Electoribus Ecclesiasticis*, magnoque Ordinis Sancti Joannis Jerosolymitani *Magistro*. Voluitque ut omnes tenerentur, præter *Imperatorem & Reges*, hos titulos *Eminentissimi* & *Eminentiæ* Cardinalibus tribuere. Quod decretum statim executioni mandarunt omnes Italiæ Principes, hosque *Eminen-*

nentissimi & Eminentiæ titulos Cardinalibus tribuere cæperunt, excepta serenissima *Venetorum* Republica, contendente se non teneri sicut & Reges, hos novos Cardinalibus tribuere titulos, ob Regna suæ ditioni subdita; & ea ratione concessum fuit a Summo Pontifice, *Venetorum* Reipublicæ, ut juxta morem antiquum Cardinales salutaret, nec tribuere teneretur eis hos novos *Eminentissimi & Eminentiæ* titulos.

Qui plura vult legat, Hieronymum Albanum, Platinam, Sabellicum, & Hieronymum Platum societatis Jesu. *Lib. de Cardinalis dignitate & Officio &c.*

DE

CONCILIIS.

Q. QUid *est Concilium*?

R. Est Congregatio Præsulum Ecclesiæ sub uno capite legitime congregatorum, ad tractanda fidei, & morum negotia.

Q. *Quotuplicia sunt Concilia*?

R. Quadruplicia, Generalia, nationalia, Provincialia, & Diœcesana *Concilium Generale* est illud, quod a Papa totius Orbis Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Primates, Cardinales convocante, congregatur, in quo ipse præsidet, vel alius nomine ejus.

Ad illud etiam vocantur Abbates, & Religionum Generales, ex privilegio, & Pontificum concessione, & suffragium decisivum habent, ideoque cum Episcopis signant, *definiens, subscripsi*. Theologi vero qui admittuntur, ut *consultores* tantum signant: *consentiens subscripsi*. Quod si Principes sæculares intersint, nonnisi ad patrocinandum, nullatenus vero ad suffragandum admittuntur.

Concilium Nationale est, in quo congregantur Episcopi, & Archiepiscopi unius Regni aut nationis, cui præest Primas, aut Patriarcha.

Provinciale est, ad quod conveniunt Episcopi alicujus Provinciæ cum Archiepiscopo Præsidente.

Diœcesanum vero, quod & specialiter *Synodus* dicitur, illud est, ad quod convocantur Canonici, & Pastores unius Diœcesis, cuique præsidet Episcopus.

Q. Quare Ordinum Generales votum decisivum habent in Concilio Generali, cum solos *Episcopos posuerit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei*?

R. Quia subditos suos, ab Episcopis non repræsentatos, & in quos jurisdictionem quasi Episcopalem habent, repræsentant: Cum vero jurisdictionem illam ex privilegio, non de jure teneant, ideo non de jure, sed ex privilegio, ut *Judices* vocantur.

Q. *Estne differentia inter Concilium Generale, & Æcumenicum*?

R. Generale & Æcumenicum idem significant. Juristæ tamen per *Oecumenicum* intelligunt Concilium Generale *legitimum*.

Q. *Quid requiritur ut Concilium sit legitimum*?

R. Duo requiruntur. 1. Ut a Romano Pontifice, vel cum ejus assensu convocetur, aut saltem ab ipso ejus convocatio rata habeatur.

2. Ut convocentur ex orbe Christiano, quantum fieri potest, omnes Episcopi, sic ut nullus ex Episcopis positive excludatur, nisi per excommunicationem ab Ecclesia separatus fuerit. Sufficit autem ad integritatem Concilii, ut ex potioribus mundi partibus Episcopi aliqui adveniant, qui possint ex Pontificis assensu cæterorum vices, & vota supplere.

Q. *Concilia suntne necessaria*?

R. Non sunt absolute necessaria, cum tribus primis sæculis nullum fuerit

fit celebratum, nullumque a Tridentino jam a ducentis ferme annis congregato. Quotquot exortæ sunt hæreses post tempora Apostolorum qui primi Concilia celebrarunt, a solo Papa condemnatæ sunt, per tria, ut diximus sæcula.

Q. *Suntne saltem alicujus utilitatis?*

R. Ita, & aliquando maxime utilia sunt, cum per illa facilius extinguantur hæreses, facilius reformetur Ecclesia, promptius publicentur, & recipiantur Fidei, & morum decreta, felicius tollantur divisiones, & schismata, & suavius & commodius pax Ecclesiis omnibus reddatur.

Q. *Estne infallibilis Concilii Generalis definitio?*

R. Ita. Concilium Generale, cum Ecclesiam ipsam repræsentet, errare non potest in condendis Fidei, & morum decretis, ob peculiarem Spiritus Sancti assistentiam. Sicut enim astitit Concilio Jerosolimitano ab Apostolis celebrato, *visum & Spiritui Sancto, & nobis*. Act. 15. ita nullum est dubium quin posterioribus legitimis assistat, cum æque, imo magis necessarium fuerit, pluribus exortis identidem hæresibus, pro Ecclesiæ conservatione.

Alias probationes vide supra, ubi de Ecclesia, & eas Concilio applica.

Q. *Si Controversiæ resolvi possunt per Summum Pontificem, nonne frustra congregantur Concilia?*

R. Non recte infertur; cum ut diximus, concilia sua utilitate non careant. Licet Apostoli potuissent seorsim definire controversiam de legalium observatione, id tamen sine Concilio præstare noluerunt: Sed coacto Jerosolimis Concilio, *convenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc*, Act. 15. v. 6.

Ne quoddam remedium a Christo institutum spernere viderentur: Concilia enim instituit, & commendavit, dum dixit, *ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Matth. 18.

2. Decisio Summi Pontificis, in materiis Fidei, non ita quietat discordes animos, ac Concilii Oecumenici definitio, cum non conveniant omnes *de fide esse* Papam esse infallibilem, & e contra fateantur omnes *infallibilia* esse Concilia, accedente tamen Papæ confirmatione. Id autem dico, quia si Concilium congregaretur pro aliqua Ecclesiæ necessitate, *sede vacante*, aut vivente tantum *dubio Pontifice*, erit infallibile in iis quæ requiruntur, ut præsenti necessitati subveniatur: alioquin non satis prospexisset Christus suæ Ecclesiæ gubernationi, nec suppeteret ratio tollendi Schismatis contumacis.

Q. *Estne Concilium supra Papam?*

R. Minime. Papa legitime electus, & indubitatus nullum Superiorem agnoscit, cum ipse sit Pastor totius Ecclesiæ. Pastor autem non subditur ovibus, sed oves Pastori. Igitur non subest Pontifex Concilio, sed Concilium Pontifici: Patres in Concilio congregati non desinunt esse oves Christi, adeoque non desinunt subiici ei cui dictum est *Pasce oves meas*.

2. Ille est Superior Conciliis Generalibus, cujus est Concilia Generalia convocare, illis præsidere, acta eorum confirmare, vel irritare, atqui talis est Romanus Pontifex: Ex Latera, V. sess. 11.

3. A sententia *Concilii Generalis*, a Papa *non approbati*, recte appellatur ad ipsum Papam; ergo est ipso Concilio Superior.

Tandem non dixit Christus Episcopis *pascite Petrum*, *confirmate Petrum*, sed Petro, *confirma fratres tuos; pasce oves meas*, idest totam Ecclesiam, extra quam non sunt oves Christi actuales.

Q. *Concilia Nationalia, & Provincialia suntne etiam infallibilis auctoritatis?*

R.

R. Non; cum pluries errarint, ut Carthaginense sub S. Cypriano, quod nationale fuit, & in quo ordinatum fuit *rebaptizandos esse ab hæreticis baptizatos*; & plura alia. Infallibilitas Ecclesiæ universali promissa est, quam non repræsentat Concilium particulare. Firmæ tamen sunt ejus decisiones, si Papæ confirmatio accedat; tam enim infallibilis est in confirmandis aliorum decretis, quam in suis condendis.

Q. *Tenenturne fideles particularium Conciliorum decretis se conformare?*

R. Certe. Temerarium foret eis non acquiescere, si præsertim ex illis essent, quæ videntur ipso usu Ecclesiæ quodammodo probata, ut Toletana, Arelatensia, &c.

DE CONCILIIS APOSTOLORUM.

Q. *QUot celebrarunt Apostoli Concilia?*

R. Septem enumerantur, quamvis non proprie dicta.

Primum celebratum est Jerosolymis anno 34. a nativitate Christi, paulo post Ascensionem ejus, ante Missionem Spiritus Sancti, pro eligendo Apostolo, loco Judæ proditoris.

Reclusi Apostoli in Cænaculo, præmissa oratione, statutis in medium duobus æque dignis, *Joseph* videlicet, qui vocabatur *Barsabas*, & *Matthia*, processerunt ad electionem, & sortibus datis, & Spiritu Sancto invocato Matthias electus est, ut refertur in Actis Apostolicis, cap. 1. v. 15. *Et dederunt sortes, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis.*

Q. *Sortibus ne propriis usi sunt Apostoli?*

R. Quidam dicunt non fuisse sortes proprie dictas, sed signum aliquod divinitus e cœlo lapsum super Matthiam, puta lucis radium aliquem, quo designatus fuit Matthias.

Alii volunt Apostolos sortibus proprie dictis usos fuisse, hoc enim indicant verba Scripturæ citata. Nec mirum, quia in lege veteri e Sacerdotibus, *sorte eligi solebat unus*, qui incensum adoleret ante Altare Dei, ut patet de Zacharia Patre Joannis, de quo S. Lucas, cap. 1. v. 9. sic ait: *secundum consuetudinem Sacerdotii, sorte exiit, ut incensum poneret, ingressus in Templum Domini.*

Deinde Apostoli sequi potuerunt alia Scripturæ exempla varia: sic Saul sorte creatus est Rex. 1. Reg. 10. v. 20. Sic sorte divisa est terra promissa. Josue, cap. 15. &c.

Q. *Estne hodie licitus sortium usus in sacris electionibus?*

R. Nequaquam. Talem usum jam interdixit Ecclesia, ut constat ex Honorii III. Decretali ad Lucanum capitulum directa, & in Jure Canonico inserta, Lib. 5. decret. Tit. 21. de sortilegiis, cap. *Ecclesiæ*. Pontifex electionem Episcopi sic factam quidem admittit, sed addit: *sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus &c.*

Ratio est. Quia in electionibus, præsertim ministrorum Ecclesiæ, curam animarum habentium, dignior est eligendus, secundum Theologos, & S. Concilium Tridentinum, sess. 24. cap. 18. utendo autem sortibus in electione, minus dignus eligi posset.

Si tamen candidati ita essent meritis, & doctrina pares, ut vix humano judicio posset determinari quis esset dignior, nihil obstare videtur, quominus in tali casu sortibus uti liceret.

Talis olim, & non alia fuit mens Patrum Concilii Barcinonensis sub Gregorio Magno anno 599. celebrati, dum sortium usum in electionibus Episcoporum approbarunt. Merito tamen impo-

sterum usus ille interdictus est, quia tentare Deum est illicitum, & illum tentare est in Sacris electionibus sortes adhibere; est enim totum illi committere, qui hoc humana providentia peragi vult, & quasi ipsum obligat, ad manifestandam suam voluntatem. Quod si Apostoli in electione Matthiæ ita se gesserint, non debet trahi in exemplum, quia hoc ex singulari privilegio, & inspiratione divina factum, credendum est.

DE SECUNDO APOSTOLORUM CONCILIO.

Q. UBi, & qua de causa celebratum fuit secundum Concilium?

R. Jerosolymis, eodem anno Christi 34. post descensum visibilem Spiritus Sancti, pro eligendis septem Diaconis, ut habetur, Actorum cap. 6. *Crescente fidelium numero factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio Viduæ eorum:* Viduæ enim tunc temporis, utpote quia seniores, & matres familias, ministrabant aliis necessaria: cumque Hebrææ magis faverent Hebræis, quam Græcis, tam in distributione ciborum, quam vestium, exivit a Viduis Græcorum, seu Gentilium murmur, & a viduis transiit ad viros. Quare ut Schisma hoc nascens sedarent Apostoli, Jerosolymis iterum congregati sunt, pro septem eligendis Diaconis, boni testimonii viris, sapientia & Spiritu Sancto plenis, qui mensarum ministerio vacarent, & providerent ut omnia tam alimenta, quam vestimenta omnibus æque distributa forent.

Q. *Qui fuerunt hi septem Diaconi?*

R. Sequentes enumerantur.

Primus *Stephanus*, laudatus a scientia, eloquentia, constantia, & martyrio, quod primus sustinuit.

Secundus *Philippus* Cum hoc nomen Græcum sit, sicut & cætera reliquorum diaconorum, delectos illos fuisse e cætu Græcorum, colligi potest. Hic autem diversus est a Philippo Apostolo; & ut referunt gravissimi Auctores, universam Samariam Evangelium promulgaturus peragravit, ubi ingenti miraculorum gloria, & populorum conversione claruit.

Tertius *Prochorus*. Hic vir parum notus, a Græcis primus Nicomediæ Episcopus statuitur. Martyrium subiit Antiochiæ die nona Augusti.

Quartus *Nicanor*, cujus mors consignatur in insula Cypro ad diem decimam Januarii ubi virtutis, & fidei specimina exhibuerat.

Quintus *Timon*, primus Bostrensis in Arabia Episcopus fuit, ibidemque a Judæis, atque Ethnicis igni traditus est. Cum autem illæsus ignem evasisset, in Crucem actum fuisse nonnulli scripsere.

Sextus *Parmenas*, præcedentibus ignotior, cujus mors in Martyrologio Romano sub Trajano constituitur die 23. Januarii. Martyrem obiisse *Philippis in Macedonia* docet Ado Tractatu de Festivitatibus Apostolicis.

Septimus *Nicolaus advena Antiochenus*. Hic cum Ethnicus esset origine Judæis primum, postea Christianis se adjunxit, ac inter illos excelluisse credendum est pietatis amore, fide, probitate, cum unus e septem Diaconis electus fuerit.

Q. *Estne Nicolaus iste Diaconus auctor turpis Sectæ Nicolaitarum?*

R. Sic est; non quod ipse forte Hæreticus fuerit, sed quod occasionem nefandæ hujus sectæ præbuerit: Dixi, *forte hæreticus*; quia si aliqui inter Sanctos Patres eum accusant, non desunt qui eum a formali hæresi vindicant.

S. Clemens Alexandrinus, sic rem

ra-

contigiſſe narrat: cum ab Apoſtolis, & aliis increparetur, quod de eximia uxoris ſuæ forma plus nimis ſollicitus eſſet, zelotypiaque laboraret: ut hujus rei ſuſpicionem a ſe amoveret, coram fidelium cœtu eam ſtatuit, & poteſtatem ſe cuilibet facere illam ducendi, profeſſus eſt; volens hoc facto oſtendere ſe non eſſe adeo *zelotypum*, ut ei impingebatur. Verbum quod imprudenti excidit, acceptum eſt avide, eodemque poſtea abuſi quidam, in eam lapſi ſunt ſententiam, nimirum mulieres eſſe, communes, quæ certe a mente Auctoris longiſſime aberat, cum teſte Clemente Alexandrino, Lib. 3. ſtromatum, vir eſſet ſobrius, & continentiſſimus.

Alia pariter Nicolai ſententia in pravum ſenſum detorta circumfertur, nimirum *abutendum eſſe carne*. Licet autem hæc ſententia ex Auctoris mente deſignet tamtummodo, coercendos eſſe voluptatis motus, & pravorum affectuum, & carnis impetus; eo tamen pertracta fuere ejus verba, quaſi ſalaciſſima quæque permitteret. Cum tamen, ut ait Euſebius, Lib. 3. Hiſt. cap. 29. non alia, quam ſua uxore uſus; ſit, & filiæ ejus conſenuerint Virgines, ac filius permanſerit incorruptus?

Q. *Septem illi Diaconi, fueruntne ſicut noſtri hodie, Sacri Altaris miniſtri, vel ſolum prophanæ menſæ Præfecti?*

R. Dico, quod ad utriuſque menſæ miniſterium fuerunt electi. Et hoc conſtat ex iis quæ obſervarunt Apoſtoli, In conſtituendis illis Diaconis. 1. Quæſierunt an eſſent boni teſtimonii, & Spiritu Sancto, ac ſapientia pleni. 2. Oraverunt ſuper eos. 3. Impoſuerunt eis manus, ut patet ex Actibus ſupra citatis: Non adhibuiſſent porro ritus tam ſacros pro certo Apoſtoli ad miniſtrandum ſolum menſis communibus, quibus laici, ſervi, & famulæ deſerviunt: Fuerunt igitur inſtituti pariter Sacræ Menſæ Miniſtri, in qua frangitur ſacer ille panis, de quo Paulus ait: *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt*. 1. Cor. 10. v. 16.

Non igitur ciborum, & potuum miniſtri ſolum fuerunt, ut menſis vulgaribus & profanis inſervitent, ſed etiam miniſtri Eccleſiæ fuerunt, hoc eſt ut Sacræ menſæ, ſeu Altari inſervitent.

Pro clariori horum intelligentia obſervandum, quod in Eccleſiæ primordiis conjunctæ erant duæ menſæ ſive cœnæ, communis & Sacra, quia primi Chriſtiani quotidie communicabant, & poſt Communionem ſimul cœnabant, ut patet ex illo Pauli dicentis: *unuſquiſque cœnam ſuam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*, 1. Corinth. 11. verſ. 21. Non enim ſumebant cibum corporalem ante cibum Sacrum, ſcilicet Euchariſtiam. Diaconi utrique menſæ miniſtrabant: Menſæ Sacræ, quæ erat *Euchariſtia*; menſæ communi, quæ erat *Agapæ*, erat autem *Agapa* commune convivium in ſignum charitatis, & unionis fieri ſolitum poſt ſumptionem *Euchariſtiæ*.

DE
TERTIO APOSTOLORUM CONCILIO. Anno 35.

Pro decernenda Petri, & Joannis ad Samaritas Miſſione.

CUm Philippus Diaconus ſignis, & prodigiis clarus, in Samariam veniſſet, ibique inter alia Candacis Æthyopum Reginæ Eunuchum baptizaſſet, & Simonem Magum, innumeroſque Samaritas ad Chriſtum convertiſſet. Tunc Apoſtoli, qui erant Jeroſolymis, convenientes in unum, per modum Concilii, anno 35. miſerunt ad

Samaritas *Petrum & Joannem*, ut a Philippo recenter baptizatos, *Sacramento Confirmationis* munirent, & in fide roborarent, quod Philippus præstare non poterat; utpote, quia tantum Diaconus, & non Episcopus: Act. 8. v. 1. & sequentibus, *qui cum venissent oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum... Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum &c.*

Q. *Cum textus non exprimat nisi manuum impositionem, usi suntne etiam Apostoli Chrismate?*

R. Utrum in conferendo Confirmationis Sacramento Chrisma adhibuerint Apostoli, duplex est sententia, S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus &c. tenent Apostolos ex speciali Dei dispensatione solam orationem, & manuum impositionem adhibuisse: quia tunc; inquiunt, Spiritus Sanctus visibiliter descendebat super confirmatos, & sic non erat necessitas Chrismatis, quæ esset signum unctionis internæ per Spiritum Sanctum effectæ.

Alii, vero ut Hugo a S. Victore, Vvaldensis, Cornelius a Lapide &c. tenent multo probabilius Apostolos chrismate usos fuisse. Ratio ipsorum est, quod nunquam leguntur Apostoli administrasse Sacramenta sine ordinaria, & essentiali illorum materia, ergo neque Sacramentum Confirmationis sine Chrismate, ejus essentiali materia a Christo instituta; præsertim cum in Judæa Olei, & balsami adsit copia ad conficiendum Chrisma.

DE QUARTO APOSTOLORUM CONCILIO, Anno 37.

Pro condendo Fidei Symbolo.

QUamvis nullam istius Concilii certitudinem ex Scriptura habeamus, constanti tamen traditione liquet, Apostolos antequam Jerosolymis discederent, alicubi conciliariter congregatos Sybolum Fidei edidisse, quod parvum *Credo* nominatur, ut sic essent omnes labii unius, ubicumque forent, eadem Mysteria fidei, annunciantes: & Symbolum istud esset quasi signum quo dignoscerentur, qui vere Christum prædicarent juxta Regulas Apostolicas.

Non enim credibile est Apostolos cæco more, & casu Jerosolymis discessisse, & ad gentes abiisse, quin prius simul convenirent de Regionibus ad quas quique tenderent, sicut & de Fidei articulis, quos ubique gentium annunciarent.

DE QUINTO APOSTOLORUM CONCILIO, Anno 51.

Pro definiendis quibusdam controversiis.

Q. QUæ fuerunt motiva congregationis hujus Concilii?

R. Duo principalia, ut constat ex Actuum, cap. 15. Orta erat Antiochiæ acris contentio circa hanc quæstionem, *An gentiles ad Christum conversi tenerentur circumcidi, & legem Moysis servare* Id mordicus affirmabant Judæi, & inter eos *Cerinthus & Ebion*, qui de Judæa Antiochiam venerant, erronee dicentes inter alia: *Fratres nisi circumcidamini non potestis salvari*: Christiani

ni vero contrarium sustinebant, præsertim *Paulus*, & *Barnabas*.

Q. *Quam ob causam cogere volebant Gentiles conversos, ad judaizandum?*

R. Quia contendebant supra nominati *Cerinthus*, & *Ebion*, & alii de genere eorum, solis Judæis promissum ac missum esse Messiam, ejusque gratiam, ac salutem; ac proinde Gentiles nec Messiæ, nec christianismi capaces esse, nisi prius circumciderentur, & fierent Judæi: Alii vero econtra Evangelium ad salutem sufficere sustinebant.

Q. *Quomodo tandem lis ista finita est?*

R. Missi sunt Antiochia ad Apostolos, & seniores in Jerusalem, ex una parte *Paulus*, & *Barnabas*; ex altera partem quidam non nominati. Cùm autem pervenissent, *illico convenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc*. Annus erat a Christo nato 51. concilium hoc ex Apostolicis omnium celeberrimum fuit, & cæterorum subsequentium Archetypum. In illo, *unanimi suffragio*, definitum fuit, quod Gentiles non tenerentur ad circumcisionem, & legem Mosaicam, & quod nihil ultra eis imponendum sit, quam ut abstineant ab immolatis simulacrorum, & aliis quibusdam, in Epistola Synodica, per *Judam & Silam* ad fideles Antiochenos missa, in qua sic decernunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato, & fornicatione a quibus custodientes vos, bene agetis. Valete*

Q. *Quo jure hoc in Concilio*, quod futurum erat exemplar subsequentium, *interfuerunt cum Apostolis, Præsbyteri, & laici?*

R. Non eodem modo, & jure interfuisse certum est, quantumvis una cum Apostolis seniores, & populus nominentur: *Placuit Apostolis, & senioribus, cum omni Ecclesia &c.* act. c. 15. v. 22. Apostoli, seu Episcopi interfuere ut judicarent, & definirent: Seniores, seu Præsbyteri, ut *Consultores*; Laici, ut *Auditores*, videlicet ut tacerent, & *definitis acquiescerent*. Unde dicitur: *Tacuit autem omnis multitudo* &c.

Et hoc fuit deinceps in Conciliis observatum, quibus intersunt Episcopi ut *Judices*; Theologi sæculares, sive Regulares, ut *Consultores*; Laici vero ut decisionibus *acquiescant*.

Q. *Cum fuerit in hoc Concilio decisum, & ordinatum, ut Christiani abstinerent a sanguine, et suffocato, cur lex ista hodie non observatur?*

R. Quia ad tempus lata fuit, ut facilius conciliarentur Gentiles cum Judæis, & in unum corpus adunarentur, Judæi siquidem vehementer abhorrebant esum *sanguinis et suffocati*; similiter eorum, quæ fuerant simulacris immolata putantes hoc esse signum Idololatriæ. Unde Apostoli, ut Judæi, & Gentiles in unum populum coalescerent, hoc tulerunt præceptum. At cum Jam Judæorum, & Gentilium discordia defierit i illa Lex jam a multis sæculis abolita est, ut constat ex usu Ecclesiæ, qui est optimus Apostolicæ Legis interpres.

NOTANDUM.

Quædam Ecclesiæ hanc legem ab Apostolis latam, scilicet, *de abstinendo ab esu sanguinis, et suffocati*, usque ad sæculum nonum observarunt; imo Canones de ejus observantia ediderunt, propter reverentiam Apostolis debitam; non tamen quia se obstrictos his legalibus arbitrati sint.

Video jam in Italia valde communem esse esum Sanguinis animalium, & suffocatorum, maxime volatilium, sicut & in aliis mundi partibus. Quisque igitur tuto servare potest monitum Apostoli: *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter*

conscientiam. 1. Corint. cap. 10. Supposito quod non sit statutum aliquod speciale Ecclesiæ, vel ordinis Religiosi in contrarium.

DE

CONCILIIS OECUMENICIS.

Q. *QUæ, & quot fuerunt Concilia oecumenica?*

R. Licet de numero Conciliorum vere oecumenicorum, id est approbatorum, & confirmatorum, (*plura enim celebrata sunt, quæ totaliter aut partim reprobata fuerunt*,) licet, inquam de numero, non omnes concorditer conveniant, potissimum tamen octodecim recensentur octo Orientalia, & decem Occidentalia.

Q. *Quodnam fuit primum Orientale Concilium?*

R. Primum est *Nicænum*, 1. Episcoporum 318. Nicææ in Bithinia celebratum anno 325. Sylvestri Pontificis 12., Constantini Imperatoris 20., & absolutum eodem anno.

Q. *A quo fuit convocatum?*

R. A Constantino Imperatore, ut constat ex Synodica Nicæni ejusdem Concilii ad Ecclesiam Alexandrinam, quam descripsit Theodoretus Lib. 1. Hist. cap. 11. quæ sic incipit: *Quoniam gratia, & mandato SS. Imperatoris Constantini, qui nos ex variis Provinciis, & Civitatibus congregavit, magnum & Sanctum Concilium coactum est &c.*

Non tamen per hoc putandum est authoritatem congregandi Concilia Oecumenica pertinere *ad Imperatorem*, ut opinantur *Lutherani*, & *Calvinistæ*, qui Sacro Concilio Tridentino intervenire noluerunt, sub prætextu, quod ab *Imperatore* non fuisset congregatum.

Hæc authoritas concredita est *Romano Pontifici*, cum ille solus per universam Ecclesiam Pastoris supremi potestatem habeat, cui, in persona Petri, Christus dixit: *Pasces oves meas*. Quando autem dicitur quod Imperator Constantinus hoc Concilium convocavit, quod etiam de nonnullis aliis Principibus refertur, non debet quis sibi imaginari eos *propria authoritate* id egisse; sed solum solicitasse, opem tulisse sumptibus, providisse, aut aliquid simile. Qood egit Constantinus; fuit ex consensu, Consilio, & authoritate Sancti Sylvestri Papæ.

Q. *Quibus de causis Synodus Nicæna fuit congregata?*

R. Congregata fuit. 1. ad condemnandum Arium ex Lybia oriundum, Divinitatem Christi impie negantem.

2. ad componendas dissensiones Ecclesiarum circa tempus Paschatis celebrandi. Et determinatum fuit, ut Paschalis dies celebraretur non ritu Judaico, sed Apostolico; hoc est non die decimaquarta Lunæ mensis Martii, sed die Dominica decimamquartam Martii Lunam, post vernum æquinoctium, immediate sequente.

3. Ad Schisma Meletii Lycopolitanæ Civitatis Episcopi extinguendum.

Q. *Quinam huic Concilio Oecumenico interfuerunt?*

R. Fere omnes Episcopi Orientales, ut constat ex Concilii subscriptionibus, viri Sanctitate, miraculis, & doctrina ut plurimum conspicui, præter multos Præsbiteros, & Diaconos.

Ex Occidente interfuerunt, *Nicasius* Diniensis in Gallia Episcopus, & tres Legati Summi Pontificis, utpote *Præsidentes*, qui fuerunt *Osius*, Cordubensis in Hispania Præsul, & *Vitus*, & *Vincentius* Urbis Romanæ Præsbiteri.

Q. *Constantinus Imperator, qualiter Interfuit Concilio?*

R. Interfuit, purpura, auroque micans, non ut *Judex*, sed ut *moderator*, aureo quidem sedili, sed infra Episcopos, *primum locum Legatis Summi Pontificis*

tificis tenentibus; & non nisi annuentibus ipsis, sedens: quem Eustathius Antiochenus oratione salutavit eleganti, nomine totius Concilii Patrum, quos vicissim alloquens omnes *Religiosissimus Imperator*, ad pacem & concordiam, contentionesque vitandas, peramanter cohortatus est; ipseque sumptus necessarios, pro celebrando Concilio regali munificentia ministravit.

Narratur, quod ingressi Ariani porrexerint ei libellos adversus Orthodoxos Antistites, quos legere non dignatus est, sed indicto die jussit illos comburi, dicens: *Nos a vobis recte judicamur*, Episcopos alloquitur, *vos autem non potestis ab hominibus judicari*. Et adjunxit, *quod si suis oculis Episcopum alienæ uxori stuprum inferre videret, facinus illud nefandum* suo paludamento obtegeret, *ne facinoris aspectus eos qui idipsum cernerent, ulla ex parte læderet*. Ita refert Theodoretus Lib. 1. cap. 11.

Secundum Concilium Generale.

Fuit *Constantinopolitanum*, 1. anno Domini 381. celebratum, ab *Imperatore Theodosio seniore*, ex mandato *Damasi Pontificis*, congregatum, ad Fidem Concilii Nicæni magis stabiliendam, & ad firmandam Spiritus Sancti Divinitatem contra Macedonium Patriarcham Constantinopolitanum docentem Spiritum Sanctum esse Patre Filioque minorem; nec ejusdem cum Patre & Filio substantiæ, sed meram esse Creaturam.

Q. *Quæ fuerunt acta in hoc Concilio*?

R. Damnata fuit Hæresis Macedonii. 2. quidam editi sunt Canones, 3. editum fidei Symbolum, quod idem est ac illud quod inter missarum solemnia cantatur in Ecclesia, soletque *Nicænum* vulgo dici, & unum & idem cum illo haberi, quia re ipsa non discrepat a Nicæno, nisi penes majorem vel minorem explicationem; ut ex utriusque contextu patebit.

Q. *Quare Constantinopolitana Synodus multa addidit Symbolo Nicæno*?

R. Si quæ addidit, necessaria visa sunt, ad confodiendas plures hæreses, quæ tunc grassabantur.

1. Contra *Marcionistas*, & *Manichæos*, duorum principiorum assertores, additur: *Cœli*, & *terræ*.

2. Contra *Photinum*, verbum non esse æternum, sed in Virginis utero incæpisse, dicentem additur, *natum ante omnia sæcula*.

3. Contra *Apollinarem*, effutientem, filium hominis carnem de Cœlo attulisse, additur, *de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*.

4. Contra eos, *qui censebant Christum non fuisse Cruci affixum*, additur, *Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, & sepultus est*, in Nicæno legebatur tantum, *Passus est*.

5. Contra errorem *de Millenario Christi regno*, post judicium universale, additur, loquendo de Christo: *sedet ad dexteram Patris, venturus cum gloria, cujus regni non erit finis*.

6. Contra *Macedonium*, Spiritum Sanctum Deum esse negantem, post hæc Nicæni Symboli verba, *& in Spiritum*: additur, *Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, & filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas* &c. & reliqua sequentia &c.

Q. *Quandonam, & a quo addita fuit huic Symbolo, particula ista*, Filioque, *intellige*, procedit?

R. Res incerta est. Quidam credunt a *Damaso Pontifice*, eodem anno. Alii verò a secundo Nicæno Concilio, anno 787. Quidam in Concilio Toletano in Hispania anno 553. celebrato, ante ortum Græcorum schismatis, ut asserunt nonnulli eruditi, probabilius tamen est, quod in Ecclesia Romana hæc additio

facta

facta fuerit a *Nicolao primo* Summo Pontifice, anno 838. cum Photius *Nicolao* exprobret, in sua ad Episcopos Orientales, *Nicolaum* incurrisse anathema ab Ephesina Synodo latum, contra quoscumque Nicænæ Fidei Symbolo, quidquam addentes, ut testatur S. Antoninus part. 3. tit. 22. cap. 15. §. 10.

Denique in Concilio Lugdunensi secundo, sub Gregorio X. Symbolum, cum additione istarum vocum, *Filioque* a græcis & latinis solemniter decantatum est, ter repetendo alta, & canora voce has particulas, *Qui a Patre, Filioque procedit*.

Tamen Græcis indultum est, ut Symbolum in suis Ecclesiis, absque ulla additione, canerent, & legerent, postquam id sibi concedi enixe rogaverunt.

Tertium Concilium Generale.

Fuit *Ephesinum* primum, plusquam ducentorum Episcoporum, anno 431. auctoritate *Cælestini primi*, & opera *Theodosii Junioris Imperatoris*, Ephesi convocatum, contra *Nestorium Episcopum Constantinopolitanum*, qui admittebat duas in Christo personas; unam Divinam, ex Deo Patre; aliam humanam, ex Matre Maria, & ob hoc dicebat Beatam Virginem esse quidem *Matrem Christi*, non vero Deiparam, seu *Matrem Dei*.

Q. *Quid decreverunt Patres circa Beatæ Virginis Maternitatem?*

R. Editis multis Canonibus, qui *Anathematismi* dicuntur, & nonnullis aliis, prostrata Nestorii hæresi, ad reparandam injuriam Beatæ Virginis Mariæ, a Nestorio illatam, definitum est, ut refert *Coriolanus* in summa Conciliorum, pag. 366. apud Annatum & alios, quod salutationi Angelicæ adderetur hæc precatiuncula *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in ora mortis nostræ. Amen*.

Verum cum hæc additio in actis Ephesinæ Synodi ordinata seu præscripta non legatur; dicendum est quod Ecclesia Romana id statuerit, ex occasione tamen Sancti Dogmatis Divinæ Maternitatis in Ephesino Concilio decisi, & stabiliti.

Quartum Concilium Generale.

Fuit *Chalcedonense*, sub *Leone primo Papa*, qui cum Chalcedonem venire non posset, legatos misit quatuor, duos Episcopos, & duos Presbyteros, qui ejus authoritate Concilio præsiderent, interfuere 636. Episcopi, interfuit etiam *Marcianus Imperator*, non ut præesset, nec ut Judex, sed ut ordo servaretur, & ut tumultus, si qui insurgerent compesceret, & Concilii decreta defenderet, ut palam Patribus declaravit, dicens: *Nos enim ad fidem roborandam, non ad potentiam ostendendam, Synodo interesse voluimus*.

In hoc Concilio condemnata hæresis *Eutichetis*, & *Dioscori*: primus erat Abbas celeberrimi Monasterii Constantinopolitanæ civitatis, & alter Episcopus Alexandrinus. Hi contra *Nestorium*, unam in Christo admittebant personam, sed in alium errorem prolapsi sunt: dicentes, tantum unam in Christo esse naturam, ex duabus quidem resultantem, sive conversione Divinitatis in carnem, sive carnis in Divinitatem.

Notandum, circa Pensiones Ecclesiasticas.

In hoc Concilio, actione undecima, & duodecima, *Bassiani* & *Stephani* controversia sopita est. *Bassianus* fuerat a sede Ephesina depositus, & *Stephanus* ei subrogatus, judicatum fuit, ut neuter sederet, sed tertius ordinaretur, & utrique ex Ærario Ephesinæ Ecclesiæ subministraretur *annua pensio*, ducentorum

rum solidorum aureorum, *nutrimenti gratia*, *& consolationis*. Hæc est prima pensionum Ecclesiasticarum origo nam ante Concilium Chalcedonense, nullibi fit istarum pensionum mentio.

NOTANDUM.

Quod prælaudata quatuor celeberrima Concilia, sunt illa quibus Sanctus Gregorius Magnus, Lib. 1. epist. 24. censuit tantam adhiberi debere reverentiam, quanta defertur Evangelio.

Quintum Generale Concilium.

Fuit *Constantinopolitanum II.* Episcoporum 255. anno 553. Convocatum a *Justiniano Imperatore*, annuente *Vigilio Papa*. Damnavit hæc Synodus Origenem; & tria capitula, nempe doctrinam, & personam Theodori Mopsuesteni, Epistolam Ibæ Episcopi Edesseni, & scripta Theodoreti Cyrensis Antistitis, contra Sanctum Cyrillum, in quibus *hæresis Nestoriana* continebatur.

Sextum Generale Concilium.

Fuit *Constantinopolitanum III.* Episcoporum 289. authoritate *Agathonis Papæ*, a *Constantino IV.* dicto *Pogonate Imperatore*, convocatum, & inchoatum anno 680. & finitum sub *Leone II.* in quo Patres condemnaverunt Monothelitas, qui authoribus, *Theodoro* Pharanitano Episcopo, *Sergio* Patriarcha Constantinopolitano, & *Cyro* Patriarcha Alexandrino, dicebant, quod sicut in Christo unus est operator, & una persona volens, ita est una sola voluntas, & una operatio.

In hoc Concilio nonnulla addita sunt, quæ concernunt *Honorium Papam*, quem Sergius stare pro Monothelitis, falso & perfide asseverabat, jam defuncto Honorio: Unde caute legendum est hoc Concilium, cum in eo aliqua sint non Catholica.

Septimum Concilium Generale.

Fuit *Nicænum secundum*, quod celebratum est contra *Iconomachos*, cultui imaginum adversantes, anno 787. sub *Adriano primo Pontifice*. *Constantino IV. Imperatore*, *& Irene ejus Matre*, in quo convenerunt 377. Episcopi, Petro Archiepiscopo Romanæ Ecclesiæ; & Petro Monacho Legatis.

Hanc hæresim multum auxerat *Leo Isaurus Imperator*, qui de sacris imaginibus abolendis impium tulerat edictum; in hoc Concilio, latum est sequens decretum, *definimus cum omni cura Venerandas Sanctas Imagines... eas in Templis esse collocandas, ut omnes qui illas contemplantur, in Prototyporum memoriam veniant, illis salutationem, & honorariam adorationem exhibeant: imaginis enim honor in Prototypum resultat.*

Sancta Synodus exclamavit: *Omnes sic credimus.... Hæc est fides Apostolorum: hæc est fides Patrum..... Venerandas imagines amplexamur, qui secus agunt, anathemate percelluntur.*

Octavum Generale Concilium.

Fuit *Constantinopolitanum IV.* quod *Adrianus II. Papa* celebrari jussit, & quod a *Basilio Augusto*, convocatum est anno 869. adfuerunt in hoc Concilio, 383. Episcopi, vel ut verius dicunt alii 102. præfuere tanquam Legati Summi Pontificis *Donatus Ostiensis Episcopus*, Stephanus *Nepesinus pariter Episcopus*, & Marinus *S. R. E. Diaconus*. Hoc Concilium totum consistit in depositione *Photii* falsi Antistitis Constantinopolitani, & restitutione *Ignatii*, ejusdem Patriarchatus Præsulis.

Hæc Concilia in Oriente celebrata sunt.

Con-

CONCILIA ÆCUMENICA

Occidentalia sunt decem.

PRimum fuit Lateranense primum habitum sub Callixto II. Pontifice Maximo anno 1122. in quo convenerunt tercenti ad minus Episcopi, quadringenti & amplius Abbates, & plurimi alii Ecclesiastici viri. Adfuerunt pariter Legati Orientis & Occidentis Imperatorum, nec non Regum Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Cypri & Jerusalem, &c. In eo actum est de concordia inter Sedem Apostolicam, & Henricum V. Imperatorem, qui jura Ecclesiæ usurpabat, & de ineundo sacro Hierosolymitano, vel Hispanico in Saracenos bello, hoc est pro recuperanda Terra Sancta, vel expellendis ex Hispania Saracenis.

Secundum Occidentale Concilium.

Fuit *Lateranense II.* Anno 1138. ab *Innocentio II. Pontifice Maximo*, convocatum, & celebratum Romæ in Ecclesia Lateranensi, ipsomet Præside, anno 1139. in media Quadragesima. Adfuere mille circiter Patres.

Plura fuerunt convocandi hoc Concilium motiva.

1. Ad tollendum teterrimum schisma *Petri Leonis* sub nomine *Anacleti*, & ejus successoris *Victoris*, Antipaparum.

2. Ad condemnandum *Petrum de Bruis*, ejusque discipulum *Arnaldum* Brixiensem.

3. Ad restaurandam Christianam, & Ecclesiasticam disciplinam, quæ diuturno schismate collapsa erat in Clero, Monachis, & populo.

Q. *Qui fuerunt errores Petri de Bruis*?

R. Inter alios, 1. negabat infantes ante usum rationis posse salvari.

2. Asserebat templa non esse ædificanda, & constructa demolienda esse: quoniam æque in taberna, ac in Ecclesia Deus invocatus exaudit.

3. Cruces Sacras esse confringendas, quia fuerat Crux Christo in dedecus, & quod potius dehonestandæ essent quam Venerandæ.

4. Negabat Sacrificium Missæ, nullumque Deo offerendum volebat, & Sacramentum Eucharistiæ, nihil esse dicebat.

5. Eleemosinas, oblationes & reliqua bona quæ fiebant pro mortuis, irridebat.

6. Tandem traditiones, & SS. Patrum auctoritates rejiciebat.

Ex his apparet *Petrum de Bruis* esse parentem hæreticorum, & maxime *Lutheranorum, & Calvinistarum*, & aliorum qui post ipsum vixerunt: Hic autem impius Hæresiarcha post varios excursus, in Pago S. Ægidii, combustus est.

Tertium Occidentale Concilium.

Fuit *Lateranense III.* quod Romæ celebrandum indixit *Alexander III.* postquam *Fridericus I. Imperator*, schisma ejuraverat, anno 1179. adfuerunt 300. Episcopi, convocatum est. 1. ad damnandos Schismaticos; nam tunc temporis tres Antipapæ fuerunt nempe, *Victor IV. Paschalis III. & Callixtus* III.

Ut deinceps nulla contingerent Schimata statuit Alexander; ut nullus deinceps haberetur *Summus Romanus legitimus Pontifex*, qui non esse a *duabus tertiis Cardinalium partibus* electus.

2. Ad damnandos tunc in Occitania, & Aquitania Catharos, VValdenses, Albigenses grassantes, qui plures jam proscriptos errores renovabant, contra Papam, Indulgentias, Sacramenta, Ecclesiam Romanam &c.

3. Ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam, nam in Ecclesiis, & monasteriis tunc regnabat simoniaca labes,

Vi-

Vigebat in Ecclesiasticis fastus, & avaritia; in Laicis usura, & dolus; in judiciis perversitas; in beneficiorum collationibus injustitia; præficiebantur enim juvenes, & indigni, qui sæpius unico non contenti pingui beneficio, plura simul possidebant & ad restaurandam corruptam his abusibus Ecclesiæ disciplinam, varii editi sunt Canones.

Quartum Occidentale Concilium.

Fuit *Lateranense IV.* hoc Concilium convocavit Romæ *Innoentius III. anno* 1213. post duos annos celebrandum; inchoatum est autem anno 1215. interfuere Patres 1215. nempe Pontifex ipse, Patriarchæ Constantinopolitanus, & Jerosolymitanus, Archiepiscopi 70. Episcopi 400. Abbates, & Priores ultra octingenti; adfuerunt pariter Oratores fere omnium Principum, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Hungariæ, Siciliæ, Cypri &c.

In hoc Concilio damnati sunt iterum Albigensium errores. Damnatus pariter fuit libellus Abbatis Joachim, contra Petrum Lombardum Episcopum Parisiensem, *de unitate Sanctissimæ Trinitatis:* damnata quoque fuere perversa dogmata, *Aimarici Carnotensis*, Parisiensis Doctoris, qui non solum in hoc Romano Concilio anathemate perculsus fuit, sed etiam Parisiis regio *Philippi*, jussu ossa illius effossa, & flammis tradita sunt.

Actum est etiam de moribus Ecclesiæ reformandis, & bello ineundo contra Turcas, qui terram Sanctam invaserant.

Q. *Potueruntne Patres tradere hæreticos Albigenses sæculari Potestati puniendos?*

R. Cur non? quid vetat quominus Ecclesia permittat judicibus sæcularibus fungi officio suo erga facinorosos, quales erant Albigenses inter hæreticos nequissimi? Numquid homicidæ, extremo non puniuntur supplicio, licet solam vitam corporalem adimant? ergo a fortiori hæretici, qui vitam spiritualem tollunt, Fures, & adulteratores monetæ capite plectuntur, juxta Leges *Constantini*, *Valentiani*, *Theodosii Imperatorum:* ergo pariter hæretici, qui fidem, & Verbum Dei adulterant.

His rationibus usus est Calvinus ipse, cum effecit, ut *Servetus* hæreticus ipsi oppositus, Genevæ combureretur.

Q. *Fuitne licitum bellum Albigensibus indictum?*

R. Indubitanter; bellum enim neque a natura, neque a jure divino & humano prohibitum est. Quinimo Deus ipse imperavit bellum contra Madianitas *num.* 15. contra Amalecitas, 1. *Reg.* 15. Ipse etiam opem tulit præliantibus, ut constat ex scriptura, pluribus in locis.

Quia tamen ut bellum justum sit, requiruntur plures conditiones. 1. auctoritas legitima, 2. æquitas causæ, 3. recta intentio; hinc omnia in bello adversus Albigenses adfuisse breviter demonstrabitur.

1. Igitur adfuit *auctoritas legitima*; illud enim suscepit *Philippus Augustus Rex Christianissimus*, cujus Regno, *jure Feudi*, Tolosanus comitatus, quem Albigenses invaserant, subditus erat: & illud bellum indixit, ut Catholicæ Fidei *defensor*; Summo Pontifice *Innocentio III.* eum rogante.

2. Adfuit etiam *æquitas causæ;* quia de injuria Deo, & Ecclesiæ illata agebatur, sicut & Deiparæ, & Sanctis.

3. *Intentionis* quoque rectitudo non defuit; nimirum hæreticorum emendatio, rebellium, turbatorumque publicæ quietis punitio, & Religionis, Ecclesiæ defensio.

Q. *Habetne Ecclesia jus bellum gerendi?*

R. Minime, cum Christus reprehenderit Petrum, qui gladium evaginaverat,

rat, jusseritque *ut illum converteret in locum suum;* per hoc indicans non debere suos discipulos more militum pugnare. Non habet igitur Ecclesia jus gladium exerendi in hostes, *per se*, bene vero per *Seculi Principes*.

In memorato bello, non *ab Ecclesia*, sed *pro Ecclesia* pugnatum est contra hæreticos Albigenses, Summo Pontifice quidem exhortante, sed ad jussum *Philippi Augusti* Regis Christianissimi.

Episcopi, Sacerdotes, & Monachi in illo bello non pugnarunt *gladio materiali*, sed gladio *Spiritus*, scilicet precibus, exhortationibus &c.

Q. *Quid decretum est circa Sacramentalem Confessionem, & Communionem?*

R. Sequens celeberrimum editum est decretum, seu Canon, qui est 21. cujus tenor est: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem simul in anno proprio Sacerdoti... suscipiens reverenter ad minus in Pascha Sacramentum Eucharistiæ.... alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura &c.*

Non putet quis, quod confessio præcipiatur, est enim de jure divino, necessaria illis, qui habent peccata mortalia. Sed per hunc Canonem Ecclesia solum instituit præceptum Ecclesiasticum de tempore confessionis.

Q. *Quid intelligitur, per* proprium Sacerdotem? *excluduntur ne Religiosi?*

R. Ordinarie, intelligitur *Parochus*. Sciendum autem quod hic Canon positus sit ad coercendos quosdam Parochos, qui alienas oves ad se trahebant, excipiendo earum Confessiones. Itaque ut pacem inter Rectores Parochialium Ecclesiarum foverent, omnemque perturbationem, & confusionem prohiberent, Patres Concilii hujus Lateranensis IV. hunc Canonem condiderunt. Generaliter per *proprium Sacerdotem* intelligitur, 1. *Papa*, qui est Summus, & præcipuus Sacerdos omnium Fidelium, 2. *Episcopus*, qui est ordinarius Pastor Diœcesis, 3. *Curatus*, qui est Pastor fidelium suæ Parochiæ, 4. quilibet alius Sacerdos, cui commissa est potestas a Papa, vel Episcopo.

Unde non excluduntur Religiosi ab excipiendis Christianorum Confessionibus, si ab Episcopo, aut a Papa, qui est proprius Parochus Ordinis Superioris, deputentur. Quis enim dicet, quod Pastor seu Curatus possit committere licentiam Sacerdoti approbato audiendi suas oves, ut habetur in eodem Canone, & non possit Papa, aut Episcopus idem facere? Incredibile certe est, quod Summus Pontifex *Innocentius III.* & Episcopi quadringenti, qui ipsi in Concilio judices assidebant, hac se auctoritate exuerint, fidelium Confessiones quovis anni tempore per se audiendi, aut aliquos deputandi, qui hoc officium exercerent.

Non igitur per *proprium Sacerdotem*, Parochus seu Curatus ita designatur, ut excludantur Religiosi a Papa aut Episcopo approbati.

Quintum Occidentale Concilium.

Fuit *Lugdunense I.* hoc Concilium a solo Papa *Innocentio IV.* congregatum fuit, propter litigium inter ipsum, & *Imperatorem Fridericum II.* qui multa mala, injuriasque Ecclesiæ Romanæ intulerat. Innocentius, structas a Frederico insidias fugiens, annuente Sanctissimo *Rege Ludovico IX.* in Gallias se receperat & Lugduni Synodum Oecumenicam celebrandam indixit, anno 1245.

Præfuit *Innocentius IV.* & præter Cardinales, *rubro tunc pileo insignitos*, interfuerunt tres Patriarchæ, Constantinopolitanus, Antiochenus, & Aquilejensis; Episcopi 140. nec non *Balduinus Imperator Constantinopolitanus*, &

Oratores *Sancti Ludovici* Regis Christianissimi, *Henrici III.* Anglorum Regis, & Thaddæus de Suessa Imperialis Cameræ Judex, & *Friderici Imperatoris* Procurator. E Germania, quia bello Imperiali turbata, pauci venerunt.

Innocentius solemnem habuit ad Patres orationem, in qua sumpto themate, *o vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus*, ostendit dolorem suum esse multiplicem, propter difformitatem Prælatorum, incursionem Tartarorum in terras Christianorum, Græcorum schisma, novarum hæresum furorem, Terræ Sanctæ injustam ab infidelibus possessionem, & sævientem *Friderici Imperatoris* in Ecclesiam persecutionem, qua se Roma in Gallias fugere compulsum ostendit.

Q. *Quid notabile in hoc Concilio actum est?*

R. 1. *Excommunicatus est* Fridericus Imperator, *& omnes qui consilium vel auxilium ei præstiterant*. Probatum fuit hunc Principem tentasse Ecclesiam reducere ad paupertatem primitivæ Ecclesiæ, ut ipse gauderet bonis illius.

2. Renovatum est decretum pro Terræ Sanctæ recuperatione.

3. Instituta est Octava Nativitatis B. Mariæ Virginis.

4. Cardinalibus concessa est facultas utendi pileo rubro, in signum constantiæ pro fidei defensione, ad effusionem usque sanguinis habendæ. Alia denique sancita sunt ad disciplinæ Ecclesiasticæ restaurationem, & rectam justitiæ administrationem.

Sextum Occidentale Concilium.

Fuit *Lugdunense II.* congregatum a Gregorio X. anno 1274. sub *Imperio Rodulphi*. 1. Ad reunionem Græcorum. 2. Ad subsidium Terræ Sanctæ. 3. Ad reformationem Cleri, & populi. Interfuerunt autem Patres fere mille.

Sanctus Thomas de Aquino pergens ad Concilium, in Monasterio *Fossæ novæ*, lethali morbo correptus ad vitam migravit immortalem, cujus Sacrum corpus postea Tolosam in Occitaniæ translatum est.

Sanctus Bonaventura Ordinis Minorum, in ipso Concilio Cardinalis, & Episcopus Albanensis creatus est; singulari quidem exemplo; quia nunquam antea contigerat, ut quis fieret *Cardinalis Episcopus*, antequam esset *Cardinalis Presbyter*: At post quartam sessionem, felicem emisit animam, die Dominica 14. Julii. Cujus funus Prælati omnes una cum Papa præsentia sua decorarunt: Quod etiam præstitit Imperator Constantinopolitanus.

Q. *Qua ratione S. Bonaventura ad Cardinalatus dignitatem, in hoc Concilio, promotus est?*

R. Propter sanctitatem morum, doctrinæ præstantiam, ardentem charitatem, unionis & pacis perfectissimum zelum. Plurimum siquidem ipse contulit ad unionem Græcorum cum Latinis; duosque in hoc Concilio habuit egregios sermones, de puritate fidei Romanæ, & de pace ineunda; quibus finitis cantatum est Symbolum Constantinopolitanum, & dum ventum est ad articulum *de Spiritu Sancto*, Græci cum Latinis, lento cantu, pronunciaverunt, *qui ex Patre filioque procedit*.

Tanta in hoc Synodo præstitit Ecclesiæ S. Bonaventura, ut omnium sibi conciliaverit animos, præsertim Græcorum, qui ipsi dederunt nomen *Eutichii*, quod est eruditionis, & sapientiæ elogium. Ipsi enim profecto debetur pacificatio inter Græcos, & Latinos; Et ob hanc causam Pontifex creavit illum *Cardinalem & Episcopum Albanensem*. Post hujus Sanctissimi, doctissimique viri obitum *Frater Petrus*, Cardinalis, Episcopus Ostiensis *Ordinis Fratrum Prædicatorum*, & postea post *Gregorium X.* Summus Pontifex *Innocentius* hujus no-

nominis *Quintus*, funebre pronunciavit elogium.

Q. *Certumne est Imperatorem Græcorum, cum suis Primatum Romani Pontificis agnovisse?*

R. Certissimum. Constat id ex ejus litteris ad Gregorium X. per suos Oratores missis, quæ iisdem oratoribus præsentibus in sessione quarta lectæ sunt, & quæ, hisce magnificis titulis inscribuntur.

Sanctissimo, & Beatissimo, primo & Summo Pontifici, Apostolicæ Sedis Venerabili Papæ, & Communi Patri omnium Christianorum, & Venerabili Patri Imperii nostri.

IN hac Epistola *Michael Paleologus Imperator Græcorum*, Catholicam fidem se profiteri testatur, & inter alia, Processionem Spiritus Sancti *ex Patre filioque*, Purgatorii pœnas, & Romani Pontificis Primatum. His perlectis litteris, Græci, & Præsulum absentum Legati, juramentum præstitere se nunquam ab ea fide, discessuros. Verum Græci ab unione jurata cum Ecclesia Romana, præter paucos, non multo post recessere.

Septimum Occidentale Concilium.

Fuit Viennense, sic dictum, quia Viennæ, quæ est urbs in Delphinatu sita, celebratum est. Convocatum fuit, a Clemente V. anno 1309. & causæ hujus convocationis quatuor præcipuæ fuerunt.

1. Ad extinguendum Templariorum Ordinem.

2. Ad condemnandos errores *Petri Joannis*, Fratricellorum, Dulcinistarum, Beguardorum, & Beguinarum &c.

3. Ob subsidium Terræ Sanctæ.

4. Ad reparationem Ecclesiasticæ disciplinæ, & reformandos fidelium mores.

Præfuit Summus Pontifex *Clemens V.* præter Cardinales, Patriarchas, Episcopos, & alios inferiores Prælatos, numero 300. ut volunt Guillelmus Nangius, & Sanctus Antoninus, plures etiam Reges interfuere, inter quos, *Philippus pulcher* Galliæ Rex, cum tribus suis filiis, *Eduardus II.* Angliæ Rex, *Jacobus II.* Aragoniæ Rex, & plurium Principum Christianorum Oratores.

Q. *Qui erant errores Fraticellorum?*

R. Ultra illos plures quos cum Beguardis communes habebant, sequentes etiam particulares docebant.

1. Quod non esset licitum aliquid habere in proprio, nec in communi: quia, ajebant, Christus & Apostoli nihil habuerunt.

2. Romanum Pontificem non posse cum Religiosis dispensare, ut triticum in horreis, & vinum in caveis asservarent ad vitæ sustentationem.

3. Statum Fratrum Minorum perfectiorem esse statu Episcoporum.

4. Summum Pontificem non posse dispensare in voto simplici, etiam pro bono pacis, aut nationis convertendæ gratia &c.

DE TEMPLARIIS.

Q. *Quis erat Templariorum Ordo, qui in hoc Concilio Viennensi extinctus fuit, quive ejus Auctor &c.*

R. Ordo iste militaris erat, olim potens & celebris, qui cæpit Jerosolymis anno Christi 1118. *ab Hugone de Paganis*, & *Godefrido quondam a Sancto Audomaro*, qui omnium primi cum septem sociis, Ordinis hujus fundamenta jecere, dum sua Regularium Canonicorum instar Religionis emisere vota, in manibus Jerosolylimitani Patriarchæ: cumque simul habitare cæpissent juxta Templum in loco communi, sibi a *Balduino II. Rege* concesso, dicti sunt *Templarii*, sive Equites militiæ Templi.

Q.

Q. *Quisnam fuit præcipuus finis institutionis hujus Ordinis?*

R. Institutionis finis erat defendere fideles, & peregrinantes ad loca sancta, a latronum insidiis, & Christiani nominis hostium incursibus.

Ipsis Regulam præscripsit *S. Bernardus*, & eorum Ordo fuit approbatus in Concilio *Trecis in Gallia* habito, sub *Honorio II. Pontifice*, anno 1128. Præside Albanensi Episcopo, Sedis Apostolicæ Legato. Habitus Templariorum erat albi coloris, cui postea super pallium crucem rubram addere jussit Eugenius III. anno 1146.

Floruit hic Ordo per multos annos bono virtutis odore, & factus est celebris, præsidio *Christianis peregrinantibus* impenso: sed tandem divitiis impinguatus, & domibus per Orbem dilatatus, ita recalcitravit in Ecclesiam, & Principes, totque est in abusus & vitia lapsus, ut in hoc Generali Concilio fuerit a *Clemente V.* sacro approbante Concilio *suppressus*, *abolitus*, & *extinctus* anno 1311. postquam ducentis fere annis stetisset, hoc est 184.

Q. *Quæ crimina tam Sacro Ordini imputabantur?*

R. Desierat esse sacer, & nedum Ecclesiæ inutilis, sed & perniciosus, & ruinæ multorum evaserat occasio.

Accusatur Ordo ille, quod in illo hæc vigeret consuetudo, aut potius detestabilis intrusa corruptela; ut novitii in sua professione, quæ fiebat secreto, & sub intempestæ noctis silentium, cogerentur Christum negare, in Crucifixi imaginem conspuere, ac etiam conculcare; Tergum seu posteriora Præceptoris immunde osculari, quodque, licet a mulieribus abstinere voverent, nefarium sodomiæ scelus committerent; quod caput quoddam, sive cranium deauratum, in comitiis dumtaxat generalibus, proponerent adorandum ethnico, & idololatrico more: & tandem quod Sacerdotes eorum in Missa non proferrent verba consecrationis, & multa alia, quæ referre, puduit ipsum Pontificem Clementem V. dum sententiam provisionalem, & non definitivam in ipsum Ordinem tulit. Probabile tamen est, scelera illa non fuisse omnibus omnino communia; sed in quibusdam saltem regionibus domus quasdam istius Ordinis Templariorum ab iis nefandis, & infandis aliis criminibus fuisse immunes.

Q. *Quid notabile statutum fuit in hoc Concilio?*

R. Ultra suppressionem Militaris Ordinis Templariorum, & damnationem errorum Fratricellorum, & aliorum supradictorum hæreticorum, decreta est pro recuperanda e Turcarum ditione Terra Sancta, belli expeditio sacra.

2. Decretum est, ut Festivitas Corporis Christi ab Urbano IV. jam instituta feria quinta post Octavam Pentecostes celebretur.

3. Exposita est Sancti Francisci Fratrum Minorum Patriarchæ Regula, & variæ circa illam elucidatæ quæstiones, præsertim circa paupertatem.

4. Sanctorum Catalogo adscriptus est *S. Ludovicus*, *Filius Caroli secundi Regis*, ex Ordine Fratrum Minorum, *ad Tolosanum Episcopatum assumptus.*

Plures aliæ conditæ sunt constitutiones, quæ in corpore Juris Canonici postea a Joanne XXII. insertæ sunt, & quas Clementinas appellavit.

Q. *Sub quo Pontifice translata est Sedes Apostolica ex Urbe Roma in Galliam?*

R. Translatio hæc facta est a *Clemente V. Gallo*, *Burdigalensi olim Archiepiscopo*, qui Sedem fixit Avenione, ubi ipse, & successores manserunt *annis septuaginta*, & *tribus mensibus*. Hanc autem urbem, emisse fertur Clemens VI. a Rege Franciæ, quam transtulit in jus Pontificium.

Octavum Occidentale Concilium.

Fuit *Florentinum*, rogatu *Joannis Paleologi* Græcorum Imperatoris, *ab Eugenio IV.* convocatum, anno 1438. contra errores Græcorum, qui suum schisma renovaverant ob processionem Spiritus Sancti a Filio, ob ignem Purgatorium, ob primatum Papæ, ob azimum vel fermentatum panem &c. Variæ habitæ sunt disputationes inter Latinos, & Græcos in hoc Concilio, quibus completis decantatum est Symbolum cum hac additione, *qui a Patre Filioque procedit*, quæ ter Græce, & Latine repetita est.

Quantum ad azimum, aut fermentatum panem, determinatum est in utroque consecrationem posse fieri, & sic servandum uniuscujusque Ecclesiæ usum.

Inter præcipuos acerrimosque fidei defensores, eminuere inter latinos *Fratres minores Conventuales*, *&* *Fratres Prædicatores*, inter Græcos vero *Bessarion Nicænus Archiepiscopus*: *Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus*, *Josephus Methonensis*, & alii, quorum opera facta est iterum Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis unio die sexta Julii 1439.

Huic definitioni fidei Pontifex, Imperator Græcus, & utriusque Ecclesiæ Præsules subscripsere, uno excepto *Marco Ephesino*, qui licet, a Fratre Joanne de Monte nigro Ordinis Prædicatorum, Provinciali Lombardiæ, in variis congressibus convictus, manus vinctas dare noluit.

Nonum Occidentale Concilium.

Fuit *Lateranense V.* quod initium habuit anno 1512. sub *Julio II.* finitum autem sub Leone X. anno 1517. congregatum pro reformandis Ecclesiæ moribus, & ineunda inter Christianos Principes Pace; promovendaque in Turcas expeditione sancta. Adfuere in hoc Concilio 114. Prælati, inter quos Cardinales 18. Patriarchæ Orientales duo, Alexandrinus, & Antiochenus: Principum Oratores plures, Abbates, & Ordinum Generales.

Definitum est, & declaratum a Leone X. Sacro approbante Concilio Montes pietatis institutos, & auctoritate Sanctæ Sedis probatos, & confirmatos, esse licitos &c.

Lectæ sunt litteræ subscriptæ a Cardinalibus, qui Concilium Pisanum, renitente Summo Pontifice congregaverant, in quibus fatebantur se male egisse, veniamque expetere. Pristinæ autem dignitati restituti sunt in Consistorio secreto, venientes ad Papam tanquam simplices Clerici.

Decimum Occidentale Concilium.

Fuit *Tridentinum*, cæptum anno 1545. sub Paulo III. contra Lutheranam, Calvinianam, aliasque hæreses, continuatum sub Julio III. & tandem sub Pio IV. feliciter absolutum, & ab eodem confirmatum, anno 1563.

Numerus Patrum, nomina Præsulum, & Legatorum ac Summi Pontificis, legantur in libro continente acta Concilii.

Hæc Sacro Sancta Synodus est quasi totius Doctrinæ Christianæ compendium; & ea omnia quæ sunt in decretis, & Canonibus definita, sunt ita clara, ut expositione non indigeant.

DE

DE MARTINO LUTHERO.

Q. QUis fuit *Lutherus* tot *heresum Auctor*?

R. Martinus Lutherus Germanus erat, natus Islebii, in Saxonia, ex plebejis parentibus in Vigilia *S. Martini* die 10. Novembris 1483. unde nomen *Martini* in Baptismo sortitus est.

Pater ejus, Joannes *Ludder* vocabatur: Mater vero Maria Margarita *Lindaman*, at hoc cognomen *Ludder*, quod *Nebulonem* significat, ipsi displicuit, & *Lutherus* appellari voluit, quod Germanice *purum* sonat.

Cum studiis Erfordiæ quæ est insignis Turingiæ urbs vacaret, accidit, ut fulgur e cœlo cadens socium secum deambulantem percusserit, quo facto ita servatus est, ut voto se obstrinxerit statum Religiosum amplectendi: unde timore potius, quam devotione Ordinem *Eremitarum Sancti Augustini Erfordiæ* ingressus est, & anno ætatis suæ 22. professionem emisit. Ad Sacerdotium biennio post promotus, & elapso studiorum curriculo, Philosophiam docuit juniores Religiosos sui instituti *VVittembergæ*, ubi Dux Saxoniæ universitatem fundaverat. Inde Romam missus est ad quædam dissidia inter Fratres Ordinis sui pacificanda, quod summa cum prudentia executus est. Redux in Germaniam Laurea Doctorali fuit insignitus, & professor Sacræ Theologiæ VVittembergæ institutus.

Leo X. videns *Selimum* Turcarum Imperatorem, qui undequaque Ecclesiam persequebatur, misit Legatos ad omnes Principes Christianos, ut eos ad bellum contra Turcas induceret, & ut magis ad hoc bonum opus, ad defensionem scilicet Ecclesiæ excitarentur, Indulgentias cruciatæ cunctis fidelibus subsidium ferentibus, concessit.

Hoc prædicandi munus *Patribus Augustinianis* competebat nihilominus *Albertus Archi-Episcopus*, cui devolutæ fuerant illæ Indulgentiæ, illud *Patribus Dominicanis* commisit, cum exclusione *Augustinianorum*, qui non parum se offensos, & contemptos crediderunt.

Hoc audiens Vicarius Generalis Augustinianorum in Germania nomine *Joannes Stampis*, Luthero injunxit, ut contra istos Quæstores insurgeret, & prædicationibus contra has Indulgentias declamaret; erat enim acumine ingenii, & dicendi facundia celebris. Opus injunctum furibundo zelo præstitit anno 1517. a quo tempore bellum semper Ecclesiæ intulit: Sacro enim sui Ordinis habitu deposito, & in Apostasiam lapsus, hæretica dogmata per universam fere Germaniam, extremasque Septentrionis plagas, Daniam, Sveciam, Norvegiam, Helvetiam disseminavit.

Q. *Quo anno, & ubi mortuus, & sepultus est Lutherus*?

R. Obiit famosus ille vir ad monstra excogitanda quodammodo natus, in eodem loco, ubi primam lucem viderat, *Islebii* scilicet anno 1546. die 17. Februarii, noctu, cum sero præcedenti opipare cænasset, & facetiis pro more indulsisset.

Tres reliquit filios ex Catharina de Bore Moniali, quam de Monasterio *Nimicensi* eduxerat, & jam gravidam, incesto, & sacrilego Matrimonio sibi copulaverat. Primogenitus, vocabatur *Joannes*, secundus *Martinus*, Tertius *Paulus II.* cadaver ejus inclusum stanneo loculo VVittembergæ sepultum est, & ejus tumulo apposuerunt ejus discipuli hunc versum, quem antea fecerat.

Pestis eram vivus, moriens ero
mors tua, Papa!

In multis Lutheranorum templis ejus effigies cernitur, cum his verbis, *Di-*

 vus,

vus, & Sanctus Doctor Martinus Lutherus, Propheta Germaniæ.

Q. *Qui sunt errores Lutheri?*

R. Historiographi, qui ipsum culpant de commercio cum Satana, quasi infinitos ipsius errores referunt, nos præcipuos quosdam hic enumerabimus.

1. Liberum arbitrium, peccato Adami periisse.

2. Nullum esse meritum ad salutem.

3. Hominem sola fide, sine operibus justificari.

4. Sacramenta novæ legis non conferre gratiam.

5. Peccata non remitti per pœnitentiam, sed tantum non imputari.

6. Papam esse Anti-Christum.

7. In Eucharistiæ Sacramento remanere panem.

8. Missam nec a Christo institutam nec sacrificium esse.

9. Sacerdotes ad Cœlibatum non teneri.

10. Indulgentias esse invalidas, & pias fidelium fraudes.

11. Purgatorium esse puram diaboli inventionem.

12. Sanctos nec colendos, nec invocandos esse.

Hæc, & multa alia sunt impii Lutheri dogmata, quæ singulis anathematismis, Concilium Tridentinum pertulit, cum jam prius ea damnasset Leo X.

DE

JOANNE CALVINO.

Q. *Cujus nationis, & qualis fuit hic hæresiarcha?*

R. Natione Gallus erat, natus Novioduni in Picardia, die decima Julii, anno 1509. ejus Pater vocabatur *Gerardus, Calvinus*, vir Catholicus, ejus Mater *Maria Franka*.

Post studia Philosophica, beneficium ab Episcopo Noviodunensi obtinuit in Ecclesia Cathedrali, cum alio rurali.

Inde Parisios transiit, ubi peracto studiorum suorum curriculo, in Patriam redire coactus fuit, propter erroneas opiniones, quas a *Melchiore Volmar*, *Germano* Lutherano, *Biturigii* litterarum Græcarum publico professore hauserat, ac spargebat. Duo beneficia, quæ Pater ejus ei procuraverat, vendidit, & inter dissolutos suæ Patriæ viros, dissolutissimus evasit, sicut & post Lutherum celeberrimus hæreticus.

Per varias Galliæ, & Germaniæ Provincias discurrens, plures disseminavit errores. Italiam visitavit & *Genevæ* tandem sedem fixit, ubi *Idelletam* sibi copulavit matrimonio, qua defuncta, viduus remansit usque ad mortem: Et tandem pluribus, iisque gravissimis morbis afflictus obiit Genevæ anno 1564. annos agens 54. & menses decem. Beza dicit eum placidissime obiisse; at Bolsecus, & alii scribunt econtra; ipsum nempe maledicendo, studia & scripta sua detestando, & dæmones invocando, miseram efflavisse animam.

Q. *Qui sunt Calvini errores præcipui?*

R. Tot ac tantis erroribus iste hæresiarcha fœcundus fuit, ut vix enumerari valeant. Aliquos solum hic notabimus.

1. Mandata Dei impossibilia esse.

2. Nullum esse peccatum mortale, præter incredulitatem.

3. Nullum esse discrimen inter mortale, & veniale peccatum.

4. Deum esse auctorem omnis peccati.

5. Deum prædestinasse aliquos homines ad damnationem, nullis præcedentibus demeritis, nec etiam Adami.

6. Fidelium pueros posse sine baptismo salvari.

7. Traditiones esse rejiciendas.

8. Non alia esse Sacramenta præter Baptismum, & cœnam.

9. Religiosorum Ordines Christianismo repugnare.

10. Vota omnia esse inutilia, & nihil prodesse.

11. Corpus Christi contineri tantum in figura in Eucharistia.

12. Jejunia, & abstinentias carnium certis diebus observari non debere.

13. Mendicitatem Religiosorum inventam esse a Diabolo.

Hos, & multo plures errores, & deliria examinavit, & damnavit Concilium Tridentinum.

Q. *Præter recensita Concilia Oecumenica, fueruntne alia Generalia celebrata?*

R. Fuerunt siquidem nonnulla alia. Verum cum non sint in omnibus approbata, & confirmata, sed totaliter aut partim reprobata, inter legitima non recensentur.

Q. *Quot sunt Concilia omnino reprobata, & quot sunt partim approbata, & partim rejecta?*

R. Reprobata totaliter sunt septem, partim approbata sunt sex.

Concilia Generalia reprobata.

1. Primum illegitimum, & reprobatum est *Antiochenum* 90. & amplius Episcoporum, convocatum anno 341. a *Constante, & Constantio Imperatoribus*, in quo ab Arianis damnatus est S. Athanasius.

2. Secundum, reprobatum est *Mediolanense*, plusquam 300 Episcoporum, convocatum a *Liberio Papa* anno 355. adeoque legitime inchoatum, sed postea illegitime celebratum, coactis per vim Patribus a *Constantio Imperatore*, ad damnandum Athanasium, & in eo fidem Nicænam. Unde omnino ab eodem Liberio, & a tota Ecclesia reprobatum est.

3. Tertium reprobatum est *Ariminense* 600. Episcoporum pariter sub *Constantio*, anno 372. in quo fraude Arianorum, etiam Episcopi Catholici subscripsere formulæ Fidei ambiguæ: Ex quo S. Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos: *Totus*, inquit, *ingemuit Orbis, & se Arianum esse miratus est*.

4. Quartum, reprobatum est *Ephesinum II.* Episcoporum 128. ab *Imperatore Theodosio* anno 449. in quo omnia vi, & minis acta fuerunt. Unde *Prædatoria Synodus, & latrocinium* appellatum fuit.

5. Quintum, reprobatum est *Constantinopolitanum*, tempore *Leonis Isaurici, Iconomachi*, anno 730. contra Sacras Imagines convocatum nullo Patriarcha Catholico præsente, in quo Imperator, Episcopos jurare coegit, quod sacras imagines nusquam colerent, sed ut idola potius execrarentur, & fugerent: a *Gregorio II.* reprobatum.

6. Sextum reprobatum est *Constantinopolitanum* anno 754. tempore *Stephani III. Romani Pontificis*, a *Constantino Copronymo Imperatore*, ad tollendum cultum sacrarum Imaginum convocatum, & a 338. Episcopis habitum.

7. Septimum reprobatum est *Pisanum* a quibusdam Cardinalibus contra *Julium II.* convocatum.

Concilia partim approbata, partim reprobata.

Primum *Sardicense* a *Julio I. Romano Pontifice* indictum anno 347. & *Sardicæ*, quæ est Urbs Thraciæ Metropolis, a Catholicis habitum. Re ipsa *Constantius, & Constans* Imperatores, convocarunt illud, *consentiente Pontifice*.

Concilium illud nonnulli, & non sine causa, *legitimum* autumant, quippe convocatum, & congregatum ex universo orbe, licet ab eo, octoginta *Episcopi Ariani* secesserint, concilia-

bulumque celebrarint in Urbe *Philippi* in Thracia, quod etiam ipſi *Sardicenſe* nuncuparunt.

Q. *Jus appellandi a Concilio ad Summum Pontificem, fuitne inſtitutum, ut quidam ſentiunt, ab hac Synodo Sardicenſi?*

R. Minime, confirmatum fuit quidem, non vero inſtitutum: jure ſiquidem divino Pontifex eſt Eccleſiæ Viſibile caput, Vicarius Chriſti, & omnium Epiſcoporum primus; ergo ad ipſum quicumque injuriam patiuntur, appellare poſſunt.

Secundum *Sirmienſe* 300. & amplius Epiſcoporum, anno 357. contra *Photinum* Syrmienſem Epiſcopum, tempore *Liberii* Papæ, eadem in Urbe tunc exulantis a *Conſtantio Imperatore* convocatum. In eo Concilio bene damnatus fuit *Photinus*, aſſerens Chriſtum non eſſe *Deum*, ſed purum *hominem*, ex utroque ſexu natum. Reprobatum eſt autem Concilium in eo quod in multis aliis deprehendebatur *Arianizare*, maxime dum docet, *Filium Dei*, qua Deus eſt, Patri *obſequentem*, & *miniſtrum*?

Tertium *Antiochenum* anno 360. imperante Conſtantio, in Trullo celebratum, *inſcio Pontifice*. Hujus tamen Concilii Canones aliquot, quia ſanæ doctrinæ erant, fuerunt a Catholicis recepti.

Quartum, *Francofordienſe* anno 794. ſub *Adriano I. Romano Pontifice*, regnante *Carolo Magno*, a 300. Epiſcopis, præſentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, habitum contra *Elipandum* Toletanum Epiſcopum, & *Felicem Urgelitanum* pariter Epiſcopum, & in hoc approbatum eſt, ſed in eo reprobatum quod damnarit, acta Nicæni Concilii, circa cultum ſacrarum Imaginum. Quod tamen aliqui factum negant.

Quintum *Piſanum*, celebratum pro tollendo ſchiſmate Gregorii XII. & Benedicti XIII. de Papatu contendentium, nec volentium cedere pro bono pacis. Cardinales utriuſque partis Piſas convenere numero 23. cum tribus Patriarchis, Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, Ordinum Generalibus, Abbatibus, & aliis circiter ſimul 300. & inchoatum eſt Concilium die 24. Martii anno 1409. cui præfuit Cardinalis Pictavienſis, Cardinalium utriuſque partis Decanus: citati fuere ambo contendentes Pontifices, qui neque per ſe, neque per alium comparentes, declarati ſunt contumaces, Schiſmatici, ſuoque e prætenſo Pontificatu dejecti.

Unanimi conſenſu in Summum Pontificem electus eſt *Frater Petrus Philargi*, vulgo de Candia nuncupatus Ordinis *Fratrum Minorum*, nunc *Conventualium* dictorum, titulo Sanctorum duodecim Apoſtolorum, Præsbyter Cardinalis, qui nomen ſumpſit *Alexandri V.*

Obiit *Alexander* Bononiæ 3. Maii anno 1410. ætatis ſuæ [illegible] ſepultus eſt in noſtra Eccleſia, ad [illegible] majoris Aræ, ſepulchro ejus inciſi ſunt ſequentes verſus.

Summus Alexander Paſtorum quintus, & omni.
Scripturæ lumen, Sanctiſſimus Ordo Minorum,
Quem dedit, & proprio Cretenſis nomine Petrus
Migravit ſuperum ad lumen ſedeſque beatas.

Q. *Concilium illud Piſanum, numquid ex omni parte legitimum fuit?*

R. Non deſunt qui illegitimum illud reputent, inter quos Sanctus Antoninus 3. parte Chron. tit. 22. pag. 5. Cajetanus tract. 2. de auctoritate Papæ, & Concilii, cap. 11. eo quod ſine auctoritate Romani Pontificis indictum fuerit.

Alii

Alii dicunt fuisse Canonicum, quia Ecclesia agnovit *Alexandrum V.* ut vere & *legitimum Pontificem*. Non fuisset autem veru Pontifex, nisi Gregorius XII. & Benedictus XIII. legitime depositi fuissent, nec legitime depositi fuissent, nisi Concilium Pisanum fuisset legitimum.

Deinde, congregatum fuit, non ad res fidei definiendas, sed ad tollendum schisma, dum illi duo Pontifices erant dubii, & incerti, & ideo jure poterant Cardinales indicere, & celebrare hoc Concilium, cum nulla alia via pateret ad reddendam Ecclesiæ pacem.

His adde, quod ut Concilium Generale sit legitimum, non requiritur absolute quod sit a Papa convocatum, sed sufficit quod sit ab eo approbatum, ut dicit *Gelasius Papa* in Epistola ad Episcopos Dardaniæ, atqui Concilium Pisanum fuit ab *Alexandro V.* approbatum, & ipsum Alexandrum, ut legitimum Pontificem venerata est Ecclesia, ergo &c.

Sextum *Constantiense*, incæptum anno 1414 & conclusum anno 14 8. in quo interfuere Patres fere mille, e quibus 300. Episcopi, Patriarchæ quatuor, cum ipso *Sigismundo Imperatore*. Indictum fuit hoc Concilium a *Joanne XXIII.* causa schismatis adhuc durantis, ad pacem Ecclesiæ reddendam, & contra VVicleffitarum, & Hussitarum hæreses.

Cessere Pontificatu *Joannes XXIII. Gregorius XII.* cum autem *Benedictus XIII.* cedere sponte nollet, a Pontificatu dejectus fuit. Tandem fuit electus *Otho Columna*, Cardinalis Diaconus, qui dictus est *Martinus V.* qui approbavit acta, contra errores VVicleffi, & aliorum, non vero quod sessione 4. & 5. decretum fuerat de potestate Concilii supra Pontificem.

Septimum *Basileense* a Martino V. indictum, & sub *Eugenio IV.* successore inchoatum, anno 1431. cum autem Eugenius videret Patres suscitatos ab aliquibus Principibus, plurima Romanæ Ecclesiæ auferre privilegia, Concilium dissolvit, Legatum revocavit, & plurimi Episcopi discesserunt cum eo.

Alii remanentes cum *Sigismundo Augusto*, dissolutioni non consenserunt, sed illud continuarunt. Unde hoc Concilium fuit Acephalum, & sine auctoritate Summi Pontificis, imo contra voluntatem ipsius, subindeque merito reputatur illegitimum.

Sententiam tulerunt in *Eugenium IV.* & ipsum a Pontificatu excidisse declararunt, loco ipsius substituentes *Amadæum Eremitam* Sabaudiæ *Ducem*, qui tunc in secessu Ripallensi vitam religiosissimam agebat, qui dictus est *Felix V.* & qui pacis procurandæ studio, non multo post Pontificatum abdicavit. Obiit iste Pius Princeps anno 1449. miraculis clarus, ut testantur Bergomensis, & alii.

Eugenio successit *Nicolaus V.* Hic quædam acta istius Concilii pertinentia ad beneficia Ecclesiastica, & censuras, confirmavit, non vero decreta de Concilii supra Pontificem auctoritate; & sic quæ in hac Synodo sancita sunt contra Papam, nullius sunt ponderis.

SANCTORUM COMMUNIONEM.

Q. *Quid intelligitur per Sanctorum Communionem, quam credere profitetur?*

R. Sanctorum Concilio est societas illa omnium Ecclesiæ membrorum, sive in terris adhuc militantium, sive in Purgatorio patientium, sive in Cœlo regnantium, tum inter se, tum cum Christo Ecclesiæ capite.... de qua S. Joannes ait: *Ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit*

tum Patre, & Filio ejus Jesu Christo, 1. Epist. cap. 1.

In illa societate omnia bona spiritualia a Spiritu Sancto in eam collocata omnibus sunt communia: idcirco dicebat David quasi unus ex illis: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*, Psalm. 118.

Q. *Quæ sunt illa bona spiritualia, quorum participes sunt Ecclesiæ alumni?*

R. Bona spiritualia, & communia hujus corporis sunt Sacramenta, in quibus, Christus merita sua omnia, & Passionis suæ fructus singulis fidelibus, ea digne recipientibus, communicat. Item sacrificia, orationes, & bona cujusvis fidelis in particulari opera, cujusmodi sunt pęnitentiæ, jejunia, eleemosinæ, mortificationes, &c. ita ut illa non uni solum prosint ea facienti, sed omnibus tam vivis ubique terrarum existentibus, quam defunctis adhuc in igne Purgatorio detentis; quibus etiam auxilio sunt orationes Sanctorum in Cęlo regnantium: *Charitate enim, quæ non quærit quæ sua sunt, efficitur, ut quæcumque pie, sancteque ab uno geruntur, ea ad omnes pertineant, illisque prosint, quantolibet locorum intervallo sint ab illo remoti*, ita Catechismus ad Paroch. ex CC. Trid.

Q. *Estne igitur magni facienda ejusmodi Communio Sanctorum?*

R. Maxime, cum Apostoli indefesse laborarint, ut in hanc beatam sanctorum societatem admitteremur, admissique constantissime perseveraremus: *cum gaudio*, inquit Apostolus, *gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*. Colloss. 1. Non est ergo Ecclesia, ut terrenum regnum, vel civitas, ubi esto omnes iisdem legibus vivant, eidemque pareant Principi, plurimi tamen, nullam inter se bonorum, aut negotiorum communionem habentes, nihil emolumenti a se mutuo percipiunt, sed suis & suorum commodis, non aliorum utilitatibus quisque consulit. Non sic, *Jerusalem*, mater nostra, *quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum*, Psalm. 121. in ea enim civitate, *omnes Sancti, & domestici Dei*, sive qui in Cœlis Deo fruuntur, sive qui in Purgatorio expiantur, sive qui in terris militant, *Sancta societate* ita conjuncti sunt, & confœderati, ut bonorum spiritualium sit inter eos perfecta communio, sanctique in Cęlis regnantes fidelibus in hoc mundo peregrinantibus opitulentur, eosque suis orationibus juvent; pii vero in terris adhuc vitam mortalem agentes, & sibi mutuo, & in Purgatorio peculiares pęnas luentibus, succurrant, orationibus, jejuniis, eleemosinis, aliisque bonis operibus, ac præsertim *Sacrificio pretii nostri*, Missæ scilicet, cum pro ipsis ad Altare Domini offertur; ut Concilii Florentini, ac Tridentini definitionibus Sacræ Scripturæ, ac Traditioni consonis, declaratum est.

Q. *Des mihi hujus bonorum Communicationis aliquam similitudinem?*

R. Aptissimam in sacris litteris habemus, 1. Cor. 12. Sicut in corpore multa sunt membra, omnia autem non eumdem actum habent, nec æque utiles, & decoras functiones exequuntur, nullique suum privatum, sed totius corporis commodum, atque utilitas proposita est: ita omnino, se res habet in Ecclesia, in qua variæ sunt nationes, puta Judæi, Græci, Latini &c. variæ quoque hominum conditiones, scilicet servi & liberi, divites, & pauperes, principes, & subditi: varii quoque sexus, & ætates, distinctique ordines, diversissimæque functiones, communio tamen est functionum, & officiorum, & bonorum operum, qua unumquodque non sibi soli, sed & aliis operari debet; idque quia membra sunt unius corporis, uno fidei nexu, unoque Baptismate colligata, & adunata,

Et

Et ficut omnia corporis humani membra, tam apte, inter fe connexa funt, ut fi unum dolore afficiatur, cætera item naturæ cognatione, & confenfu doleant; fi contra bene affectum fit, reliqua congaudeant, communique jucunditatis fenfu afficiantur; ita evenit in Ecclefia, cujus membra fumus.

Q. *Pertinetne hæc Sanctorum Communio, ad Judæos, Turcas, & alios infideles? item ad hæreticos, fchifmaticos, excommunicatos &c.?*

R. Minime. Judæi, Turcæ, Gentiles nunquam fuerunt membra Ecclefiæ, cum in eam per baptifmum non introjerint; alii vero ab Ecclefia feparati, ut membra præcifa a corpore, nullatenus iftius communionis, etiam participes funt.

Q. *Quid dicis de peccatoribus, & a gratia Dei alienatis?*

R. Cum Ecclefiæ membra effe non defierint, licet gravioribus fceleribus obftricti, communione Sanctorum omnino non privantur; at cum fint *membra mortua*, fructum fpiritualem, qui ad juftos, & pios homines pertinet, non percipiunt, tametfi cum in Ecclefia fint ad amiffam gratiam, vitamque recuperandam ab iis adjuventur, qui fpiritu vivunt, ut dicit Catechifmus S. Concilii Tridentini: addens. Idcirco Chriftus hanc nobis orandi formam præfcripfit, ut diceremus, *Panem noftrum da nobis; dimitte nobis; libera nos, &c.* & reliqua ejus generis, non nobis tantum peculiariter, fed omnium faluti, & commodis profpicientes.

Q. *Ifta falutaris Communio eftne etiam inter nos, & eos qui ad vitam migrarunt fæliciorem?*

R. Ita. Omnes enim Sancti in Cœlis regnantes, orationibus fuis, nobis patrocinantur, & meritis fuffragantur. Hinc in Litaniis Sanctos invocamus, dicentes *S. Petre, S. Paule, ora pro nobis.*

Quod fi eorum exempla virtutum imitati erimus vitamque noftram recte compofuerimus, nullum eft dubium quin ex noftris bonis operibus, quoddam gloriæ accidentalis augmentum eis adveniat: *ficut gaudium eft Angelis Dei fuper uno peccatore pœnitentiam agente?*

Q. *Extenditurne etiam Sanctorum Communio ad animas in Purgatorio exiftentes?*

R. Certiffime, quandoquidem funt membra Ecclefiæ: pro ipfis enim oramus, pro eis Miffæ facrificium offerimus, facras peregrinationes conficimus, eleemofynas elargimur & ab eis viciffim adjuvamur, ut conftat ex libro fecundo Machabæorum capite XV. ubi dicitur, quod *Jeremias*, defunctus, *multum oraret pro populo*. Et ex S. Gregorio afferente Dalmaticam Pafchafii Diaconi in *Purgatorio extentis*, miracula operari; quod etiam plurimis aliis exemplis poffet confirmari.

Sed non folum bona noftra opera animabus fidelium profunt, verum etiam orationes fanctorum in Cœlo regnantium magni funt illis folatii, cum Deus, ob Beatorum merita, pœnas earum mitiget, & quandoque ab omnibus pœnis liberet.

Q. *Omnes fideles funtne æqualiter participes Communionis Sanctorum?*

R. Non; fed pro fidei fuæ, charitatifque menfura. Fructum certe ampliorem ex facra illa focietate percipiunt, qui plus in eam conferunt, & bonis fpiritualibus magis abundant, *quoniam omni habenti dabitur, & abundabit*, Matth. 25. v. 29.

Chriftus autem qui fanctæ iftius focietatis caput eft, & Judex, illius bona cuique fecundum merita fua diftribuit.

R. *Ifta bonorum communicatio inter fideles, impeditne, quominus poffimus orare pro aliquo in particulari? vel facrificium Miffæ pro hac numero anima offerre?*

R. Mi-

R. Minime. Licet enim opera nostra bona sint aliqua ratione ob *Sanctorum Communionem*, omnibus communia, majorem tamen utilitatem conferunt his, pro quibus in particulari fiunt, & applicantur.

Pro clariori autem intelligentia notandum, in opere meritorio triplicem gradum meriti reperiri.

Primus appellatur a Scoto *gradus specialissimus*, qui valet ipsi oranti, & operanti opus meritorium; & iste gradus est ita oranti, & operanti proprius, ut nullo modo prosit aliis, nec aliis applicari possit *ordinata voluntate*; quia unusquisque magis seipsum diligere tenetur, quam alium, ordinata charitate: & ideo meritum proprium sibi conveniens, & utile ad beatitudinem consequendam alteri conferre non debet.

Secundus gradus meriti est *generalissimus*, qui toti Ecclesiæ valet; nec enim debet orans aliquam de Ecclesia excludere, sed ex intentione habituali omnes includere: tota enim Ecclesia de utilitate boni operis facti a quolibet fideli participat propter charitatem, quæ totius Ecclesiæ vinculum est, & unio.

Tertius gradus meriti in opere bono, est gradus quidam *medius*, quo illud opus bonum valet illi, cui per orantem specialiter applicatur, quod probat, quia in Ecclesia fiunt speciales orationes, aliæ pro vivis, aliæ pro mortuis, aliæ pro benefactoribus, aliæ pro amicis, & aliis. Frustra autem assignarentur orationes prædictæ, si non plus valerent illis, quam generaliter cuicumque in Ecclesia; non valent autem eis primo vel secundo modo, sed tantum tertio modo.

DE EXCOMUNICATIONE.

Q. E*Xcluduntur ne aliqui Christiani ab hac Sanctorum Communione?*

R. Certissime. Et illi dicuntur excommunicati, idest, extra Sanctorum Communionem positi, ita ut, in communibus Spiritualibus bonis, cum cæteris fidelibus amplius non participent.

Hanc potestatem concessit Christus Ecclesiæ Prælatis, dum dixit: *quodcumque ligaveritis super terram erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveritis, erit solutum & in cœlis*, Matth. 16.

Summus Pontifex universalem jurisdictionem habens in omnes fideles, hanc excommunicationis pœnam inferre potest: alii Prælati, non nisi ut ejus commissarii.

Q. *Quid igitur est Excommunicatio?*

R. Est censura Ecclesiastica privans hominem Christianum Communione fidelium, seu bonis fidelium communibus, ut sunt.

1. Sacramentorum participatio.

2. Orationes, & suffragia Ecclesiæ, videlicet orationes nomine Ecclesiæ, Sacrificia, & Indulgentiæ.

3. Exterior conversatio; quia hæc subjacent potestati Ecclesiæ.

Non privat tamen bonis Spiritualibus particularibus v. g. effectu orationum, quas aliquis privatus, nomine proprio, pro excommunicato offert.

Q. *Quotuplex est Excommunicatio?*

R. Duplex, major, & minor: minor ea est quæ hominem excludit a participatione Sacramentorum: major, ea est quæ privat bonis communibus Ecclesiæ tam active, quam passive.

Unde excommunicatus *excommunicatione minori*, non privatur jurisdictione, nec suffragiis communibus Ecclesiæ, nec communicatione exteriori,

tam

tam in civilibus, quam in sacris, audiendo Missam, divina officia &c. privatur tamen sub mortali, participatione passiva Sacramentorum, electioneque passiva ad beneficia, vel dignitatem Ecclesiasticam.

Excommunicatus vero *excommunicatione majori*, privatur receptione simul, & administratione Sacramentorum, & pluribus aliis bonis.

Q. *Quæ sunt illa specialia bona, quibus privatur excommunicatus excommunicatione majori?*

R. Privatur sequentibus.

1. Participatione activa, & passiva Sacramentorum, ita ut nec ea recipere, nec administrare possit.

2. Omnibus Ecclesiæ orationibus, ita ut excommunicato quantumvis occulto, non liceat assistere Missæ, nec Officio Divino, nec pro illo potest offerri Sacrificium, bene tamen orari privatim pro illius conversione. Si vero est denunciatus, non potest ipso præsente Missa, nec officium Divinum celebrari, quia tunc vitandus est. Tenetur tamen ipse, si sit in Sacris officium privatim recitare, abstinendo ab illis verbis, *Dominus vobiscum.*

3. Indulgentiis.

4. Electione ad beneficia: ita ut nec ad ea præsentari, nec præsentare valeat sub pœna nullitatis.

5. Sepultura in loco Sacro.

6. Conversatione civili, si sit nominatim excommunicatus.

7. Communicatione forensi, V. G. officio judicis, advocati, Procuratoris, testis, Tutoris, &c. seu civili, & humana, cum aliis fidelibus.

Hi effectus exprimi solent hoc versu.

Os, orare, communio, mensa agatur.

Os, Significat allocutionem per verba, litteras, nutus, & quælibet alia signa amicitiæ, ut amplexus, oscula &c.

Orare, idest simul cum excommunicato orare, aut Officium recitare.

Vale, idest excommunicatum salutare, aut alio modo, verbis, vel gestis honorare.

Communio, idest quævis societas in habitatione, exercitio, aut contractu.

Mensa, idest cum eo in eadem mensa comedere.

Q. *Qualiter incurritur excommunicatio minor?*

R. Incurritur solum ob unicam caussam, nimirum propter communicationem indebitam cum excommunicato excommunicatione majori non tolerato, seu vitando.

Q. *Nunquamne licet cum excommunicato communicare?*

R. Regula non est ita generalis, ut non patiatur exceptionem Quinque assignantur casus, hoc versu expressi.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile, cum agitur de utilitate spirituali, seu salute animæ excommunicati: Unde potest quis ipsum admonere, ut resipiscat, & ad Deum convertatur. Item ut solvat creditori debitum.

Lex, significat obligationem reddendi, id quod illi juste debetur, sic uxor debitum ei reddit, & debitor ei debitum solvit.

Humile, subjectionem denotat. Sic excusantur Filii familias, uxor, servi &c.

Re signorata, ignorantia invincibilis juris, aut facti, excusat.

Necesse. Significat necessitatem spiritualem, aut temporalem notabilem sive ipsius excommunicati, sive alterius: Hinc potest quis ei graviter indigenti victum dare, & ab eo eleemosynam in gravi necessitate petere.

Q. *Unde incurritur excommunicatio major?*

R.

R. Quod aliquando incurritur a jure, & aliquando *ab homine* non infligitur tamen nisi pro peccato mortali gravi, non qualicumque, sed habente adjunctam contumaciam, quia quamdiu aliquis est paratus satisfacere pro culpa, & audit Ecclesiam, quare esset habendus ut Ethnicus, & publicanus?

Q. *Quæ requiruntur, ut debite fiat excommunicatio?*

R. Plura requiruntur, 1. quod sit causa justa, ut est aliquod peccatum enorme, & publicum, 2. requiritur forma debita, nempe processus legitimus, 3. intentio recta, scilicet correctio delinquentis &c. nec est frequenter ferenda, sed raro, cum ab Apostolis inveniatur raro extractus hic spiritualis gladius; nam tribus tantum vicibus invenitur in Epistolis S. Pauli quod excommunicaverit.

Q. *Quæ fuerunt crimina propter quæ Apostolus Paulus excommunicaverit?*

R. Fuisse tria. Primo propter incestum in primo gradu, quoniam quidam cognoverat uxorem Patris sui, 1. Cor. cap. 5. Secundo propter hæreses; quia aliqui erant auctores hæresum contra Evangelium. 1. Tim. cap. 1. Tertio, propter subversionem veritatis Evangelii, nam aliter exponebant, & prædicabant de Evangelio, quam ipsi Apostoli, Galat. cap. 1.

Q. *Potestas excommunicandi, estne utilis Ecclesiæ?*

R. Non utilis solum, sed necessaria, & saluberrima. Non raro contingit ut Patres discolos filios domo expellant, ut resipiscant, & ad meliorem frugem redeant: simili modo agunt Prælati, cum rebellibus Ecclesiæ filiis, quos ab Ecclesia repellunt.

2. Ovium pastores pecus scabie vitiatum a stabulis arcent, donec convalescat, & quandoque luporum incursibus, & prædæ luporum expositum relinquunt. Et similiter Prælati eos quos infestos cognoscunt, ab Ecclesia arcent, & quandoque, si contumaces sint, Satanæ tradunt, *ut spiritus salvus sit in die Domini*, 1. Cor. 8.

3. Habent Principes certos modos coercendi, qui legum suarum directionem pati nolunt. Ita plane, Ecclesiæ Prælati acceperunt a Deo excommunicationis gladium, qui est *nervus Ecclesiasticæ disciplinæ*, non quidem ad occidendum, sed ad medendum, resecando ab ipso Corpore Ecclesiæ, eos, qui jam sua culpa a suavi Dei jugo, & Ecclesiæ obedientia sese subduxerant.

Q. *Quis absolvere potest ab Excommunicatione, & quomodo?*

R. Si quæstio sit de excommunicatione minori quilibet Sacerdos, qui a peccato participationis, sive communicationis cum excommunicato vitando *a jure*, absolvere potest, etiam præfatam excommunicationem relaxare valet, tanto magis quod reservata non sit.

Si sit de *excommunicatione majori*, & lata *ab homine* absolvere ab ea potest, qui eam tulit, aut ejus superior, aut successor in officio, vel dignitate, vel delegatus.

Si vero sit excommunicatio juris, aut Canonis, & non sit reservata, absolvere potest ab ea, qui a peccato mortali absolvere potest. Si vero sit reservata, absolvit ab ea, qui sibi eam reservavit, nisi alteri det potestatem.

Hinc Confessarii, scire debent, quinam casus Papæ, vel Episcopo reservati sunt, quive non sunt reservati.

DE INVOCATIONE SANCTORUM.

Licet hæretici velint articulum de Communione Sanctorum, qui habetur in Symbolo Apostolico, restrictum esse ad solos Sanctos qui sunt in Ecclesia Militante; Catholici tamen docent ipsum extendi etiam ad Sanctos Ecclesiæ Triumphantis: Et quidem id jure optimo docent; Etenim tam ipsi, quam nos sumus membra Christi, qui caput est utriusque Ecclesiæ, & consequenter etiam membra sumus Beatorum, adeoque inter ipsos & nos debet esse mutua communio. Hinc sequentes proponuntur quæstiones.

Q. *An Sancti regnantes in Cœlo, sint a nobis invocandi?*

R. Viventium preces implorare nos posse absque injuria Christi mediatoris, constat exemplo Apostoli, pluribus in locis, ubi sic scribit. *Fratres orate pro nobis*, 2. Thess. 3. *Orationi instate, orantes simul & pro nobis*, Coll. 4. *Obsecro vos fratres... ut adjuvetis me in orationibus vestris ad Deum*, Rom. 15. & hoc fatentur ipsimet Protestantes. Verum, si laudabile est, & proficuum nobis, servos Dei viventes orare, & invocare, ut pro nobis orent apud Deum, tanto magis implorare possumus auxilium Sanctorum cum Christo in cœlis regnantium, illosque suppliciter deprecari, ut pro nobis ipsi etiam orare dignentur, apud Deum.

Q. *Qui sunt textus S. Scripturæ, quibus probari potest licitum & utilem esse Sanctorum Defunctarum invocationem?*

R. Probari potest, 1. ex capite 48. Genesis, ubi Jacob, morti proximus, Angeli protectionem in favorem filiorum Josephi implorat his verbis: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*, hoc est suis orationibus, & intercessione apud Dominum: Ideo subjungit: *invocetur super eos nomen meum nomina quoque Patrum meorum Abraham, & Isaac*.

2. Deus ipse, ait: *si steterint Moyses, & Samuel*, qui jam defuncti erant, *coram me, non est anima mea ad populum istum*, Jerem. 15. Hæc propositio supponit, quod Sancti stent coram Deo, ut orent.

3. Lib. 2. Machabæorum cap. 15. habetur: *Hic est Fratrum amator, qui multum orat pro populo... Jeremias Propheta*.

Tandem accedit universalis Ecclesiæ consensus, in Concilio Tridentino sess. 25. ubi docet: *Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre: bonum atque utile esse eos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum*, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, *ad eorum orationes, opem, auxilium confugere*.

Q. *Potestne probari antiquos Patres, primorum nempe sæculorum, ad Sanctorum intercessionem recursum habuisse?*

R. Et quidem manifestissime. Patres Concilii Chalcedonensis anno 451. celebrati, in quo 630. Episcopi interfuerunt, ita loquuntur act. 11. *Flavianus post mortem vivit, Martyr pro nobis oret*. S. Basilius qui vixit anno 370. in oratione in quadraginta Martyres: *Qui*, inquit, *aliqua premitur angustia, ad hos confugiat*. S. Gregorius Nazianzenus anno 370. oratione in S. Cyprianum, *Tu*, inquit, *e supernis nos respice, & populum hunc Sanctum dirige*. S. Gregorius Nyssenus, S. Basilii Frater anno 380. in oratione in Sanctum Theodorum; *intercedere*, inquit, *ac deprecare pro Patria apud communem Regem, & Dominum*. S. Ephrem anno 365. in sermone de laudibus Martyrum, *precamur*, inquit, *beatissimi Martyres, ut pro nobis miseris, & peccatoribus, Dominum interpellare dignemini*,

ni, ut superveniat in nos gratia Christi. S. Hieronymus anno 390. in Epitaphio S. Paulæ; *vale*, inquit, *o Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus jura: fides, & opera tua Christo te sociant: præsens facilius quod postulas impetrabis.* S. Augustinus, anno 420. serm. 17. de verbis Apost. *injuria est*, inquit, *orare pro Martyre, cujus nos debemus orationibus commendare.*

Prætereo cæteros Patres, qui a principio usque nunc testimonium perhibuere, de intercessione Sanctorum, & Reliquiarum Cultu.

Q. *Quodnam est discrimen inter modum quo Dei, & modum quo Sanctorum auxilium imploramus?*

R. Catechismus Concilii Tridentini parte 4. Tit. *quis orandus sit?* quæstionem solvit, his verbis; *precamur*, inquit, *Deum, ut ipse vel bona det, vel liberet nos a malis; A Sanctis autem, quia gratiosi sunt apud Deum, petimus, ut nostri patrocinium suscipiant, ut nobis a Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas differentes, ad Deum enim proprie dicimus*; miserere nobis. Audi nos, *ad Sanctum vero*; ora pro nobis.

Q. *Sanctorum invocatio, numquid dici potest injuriosa Christo soli Mediatori inter Deum, & homines?*

R. Hoc dicunt hæretici, sed inepte, quia 1. ut fatentur, non fit injura Christo mediatori, ex eo quod Sanctos hic viventes oramus, ut intercedant pro nobis ad Deum: ergo similiter &c.

2. Oramus Sanctos, non ut mediatores *primarios ex natura, & officio*, ut est Christus, qui est mediator per excellentiam Redemptionis, & Sanctificationis nostræ; sed ut mediatores secundarios subjectos Christo, & potius *intercessores*, tanquam amicos, & domesticos Dei: Tantum abest ut Christum mediatorem excludamus, cum omnes orationes nostras ad Sanctos porrectas, non aliter concludamus, *quam per Dominum nostrum Jesum Christum.*

Nec quod recurramus ad Sanctos, eosque honoremus, officit honori Deo debito, quin potius ei honorificum est, quod ejus amicis, & domesticis honorem exhibeamus; quemadmodum Principi gratum est, si ejus Aulicis officia deferantur.

Q. *Cognoscuntne Sancti orationes nostras?*

R. Sectarii dicunt Sanctos nullam habere notitiam eorum quæ sub cœlo aguntur, citantque illud Job. 14. *sive Nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles non intelligent*: Item illud Ecclesiast. 9. *mortui nihil noverunt amplius.*

Hæc loca, & similia parum faciunt contra nos, solum evincunt mortuos res vivorum non cognoscere, si natura, vitaque corporea, ut sensibus affixa, spectetur: Homo enim mortuus, omni cognitione, & sensu destituitur: Deinde Ecclesiasticus loquitur de quibusdam impiis, qui negabant immortalitatem animæ: Non mirum igitur si in persona eorum subdiderit, *mortuos nihil nosse amplius.*

His non obstantibus, dicimus, Sanctos, licet ex sese agnoscere nequeant voluntates nostras, cum hoc sibi reservavit Deus: Omnia tamen & singula quoquomodo ad eos pertinentia rescire, sive, ministerio Angelorum, cum *sint administgatorii Spiritus, missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, sive Deus ipse, singulari revelatione, illa eis manifestet: Seu denique in essentia Divina, cujus clara visione fruuntur, tanquam in lucidissimo speculo, *ut est communior Theologorum opinio*, ea illis manifestentur.

De his omnibus tamen nihil definit Ecclesia.

Q. *Si Sancti ex se nihil possunt, qua ratione dici potest, talis V. G. S. Franciscus hanc mihi concessit gratiam, a tali periculo me liberavit?*

R. Hoc dicitur improprie, non quod

reipsa...

reipsa per seipsum Sanctus miraculum operatus sit, vel quod postulatum favorem ipse dederit, sed quia meritis & precibus suis a Deo impetravit, ut talis gratia nobis fieret. Et sic honor Sanctis impertitus, in honorem ipsius Dei redundat.

Q. *Quomodo hoc dicendum sit, si Beati non merentur, cum sint in termino?*

R. Quod sicut Beati impetrant aliis, & non sibi, orando, ita causant meritum non sibi, sed aliis: Oratio enim Beatorum est dispositio de congruo, ut propter eam Deus concedat illud, quod impetrant illi, cui petunt, & tunc meritum, non Beatorum *pro se*, sed pro *illo cui* redditur, quod huic merito quasi pro præmio proximo correspondet. Scotus in 4. dist. 45. q. 4.

Q. *Invocatio, & cultus Sanctorum nonne idololatriam sapiunt?*

R. Nullatenus, quia in illos ultimam nostram spem non reponimus, nec ipsos ut *Deos* colimus, nec Sacrificia eis offerimus, ut declarat Tridentinum sess. 22. cap. 3. *Et quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit: non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Ex tali declaratione Ecclesiæ, plusquam manifeste constat, nullam in cultu Sanctorum intervenire Idololatriam.

Q. *Quomodo intelligendi sunt Sancti Patres* quidam *dicentes Deum solum esse orandum, & invocandum?*

R. Citantur quidem ab hæreticis, S. Ignatius, S. Irænеus, Tertullianus, & nonnulli alii, qui videntur invocationi Sanctorum contrarii, quasi non liceret alium orare, & invocare, quam eum a quo potest petitionis effectus obtineri.

Quod si rigorose intelligendi forent, nequidem Sanctos viventes liceret invocare, quod nemo dixerit; quod si licet; multo magis invocandi sunt Sancti in Patria regnantes, ut ostendimus.

Deinde Sancti illi Patres nihil aliud intendunt, quam quod in orationibus ad Sanctos, debeamus semper respicere Deum, ut supremum omnium bonorum auctorem, & largitorem: Sanctos vero, ut pure intercessores nostros apud Deum: vel loquuntur de invocatione dæmonum, non autem de invocatione Angelorum, & Sanctorum.

DE
CULTU CRISTI,
Beatæ Virginis, & Sanctorum.

Q. QUid *est Adoratio, & quotuplex?*

R. *Adoratio* est honor exhibitus alicui, cum nota submissionis propter Superioritatem, vel excellentiam ejus. Licet autem communiter confundatur cum *veneratione*, ab ea tamen longe distat; Venerari siquidem, seu honorari potest inferior vel æqualis, minime vero adorari.

Adoratio late sumpta, pro veneratione triplex est; Latriæ, Duliæ, & Hyperduliæ.

Latriæ cultus ille est, quem exhibemus in protestationem supremæ, seu infinitæ dignitatis & excellentiæ; & in hoc sensu soli Deo debetur tanquam Supremo Numini, cui nos submittimus.

Cultus Duliæ est ille, quo aliquem colimus propter singularem Sanctitatem,

tem, seu excellentiam quamdam supernaturalem, quæ in eo cognoscitur. Et hic cultus exhibetur omnibus Sanctis, & Angelis Dei.

Cultus Hyperduliæ, quem alicui creaturæ exhibemus propter excellentiam magis nobilem, & supereminentem dignitatem, quam habet super cæteros Sanctos; Et talis est adoratio, quæ debetur *Virgini Deiparæ* ratione maternitatis Divinæ, qua supereminet omnibus puris creaturis propter sanctitatem illi dignitati proportionatam.

Q. *In quo differunt relatæ adorationes?*

R. Adoratio Duliæ, & Hyperduliæ, non differunt specie, sed tantum secundum magis, & minus. Objectum enim Duliæ est Sanctitas creata communis. Hyperduliæ vero est Sanctitas creata excellentior.

Adoratio Duliæ, & Latriæ differunt, non ex parte actus externi, quia per eamdem salutationem possumus adorare Deum, & Sanctos; sed differunt ex parte interni affectus. Per Latriam enim nos submittimus Deo propter sanctitatem increatam, & supremum ejus dominium; & per cultum Duliæ nos submittimus Sanctis propter sanctitatem creatam.

Q. *Quis cultus debetur Christo Domino?*

R. Cum Christus sit Deus, & homo, unicaque persona, adorandus est adoratione Latriæ: Sic de facto Magi cum adoravere: *& procidentes adoraverunt eum*, Matth. 2. & Paulus ait: *In nomine Jesu omne genuflectatur*, Philipens. 2.

Concilium Constantinopolitanum *anathematizat eum, qui Verbum Incarnatum cum propria ejus carne non adorat*, Canon. 9.

Et ratio est, quod sicut in Christo verum Deum, & verum hominem, unamque Personam agnoscimus, ita eam uno cultu, & adoratione colere debemus. Atqui Deo debetur cultus Latriæ, ergo similiter & Christo. Et licet sola Deitas, seu persona Verbi sit ratio adorationis Latriæ, tamen humanitas terminat eamdem adorationem propter unitatem personæ, in qua unitur Verbo.

Sicut eodem actu adoramus animam alicujus Sancti, & corpus ejus, licet sola sanctitas animæ sit ratio adorationis, quia corpus unum totum constituit cum anima. Ergo idem est de Christo homine.

Verum quidem est, quod si separaretur actualiter humanitas a Verbo Divino, cum sit creatura, non esset adoranda adoratione absoluta Latriæ, sed vel respectiva vel Hyperduliæ. Si quis tamen sic mente humanitatem separaret, non recte ageret, multique negant id licere; quia indecens esset Christo homini *Hyperduliam* exhibere, cum mereatur *Latriam*.

Oportet igitur Christum adorare unica adoratione. Unde cavere debent *qui populorum instructioni vacant*, ne similia in scholis inter Doctores agitari solita, *rudioribus* proponant; neque aliis *sine necessitate*, & nisi aut ab ipsis interrogentur, aut capaces responsionem apte intelligendi judicentur.

Q. *Cum Sacrificia Christo non offerantur, nonne bene infertur ipsum non esse cultu Latriæ adorandum?*

R. Licet Sacrificium sit præcipuus actus Latriæ, soli Deo reservatus, non sequitur Christum Deum hominem non esse colendum cultu prædicto, nec quin possint illi offerri Sacrificia. Ideo autem non solet Ecclesia offerre Sacrificium *Christo Deo homini*, quia nullum habet Sacrificium præter Eucharisticum, in quo Christus ipse est *Hostia*, sicut fuit in Sacrificio Crucis. Est etiam Christus simul *Sacerdos*, cujus officium ejus nomine obeunt nostri Præsbyteri; Unde non mirum, quod

Chri-

Christus sibi ipsi non offerat, nec sibi offerendum commiserit nobis.

Sacrificium istud offertur a Christo, *Sacerdotum Ministerio*, inquiunt Patres Tridentini, sess. 22. c. 2.

Q. *Estne Crux Christi adoranda*?

R. Cruci illi, in qua ipse pependit, & mortuus est, ac prætioso suo Sanguine purpuravit, & partibus ejusdem, quamcumque formam retineant; Idem est de Clavis, Lancea, Velo, Sudariis, & Corona Spinea. His omnibus debetur *cultus Latriæ*, sed *respective*. Et hoc constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, & praxi, quæ salutiferam Crucem, cui fixus est Christus, hucusque venerata est, duoque Festa in ipsius honorem instituit, scilicet propter *Inventionem* ejus, & *Exaltationem*.

Deinde secundum Concilium Tridentinum sess. 26. Imago est adoranda eadem adoratione, ac prototypus; sed Crux est imago Christi Crucifixi; ipsa siquidem visa, ducimur ad notitiam ipsius Jesu-Christi Crucifixi, ergo adoratione latriæ digna est.

Preterea Crux illa consideratur in ordine ad Christum Deum, quem repræsentat morientem pro nostra Redemptione, sed Christo debetur cultus Latriæ, ergo & Cruci: si enim Christus ut homo & Redemptor per mortem Crucis meretur cultum Latriæ, Crux ipsa ponitur inter objecta terminantia talem adorationem.

Dixi *respective*. Nam Crux illa, sicut & alia Dominicæ Passionis instrumenta, ex hoc capite summe sunt veneranda; attamen in se solum considerata Crux lignum est, creatura est, nullam habens dignitatem super alias res similis naturæ. Idem dicendum de clavis, funibus, velo, lancea &c. ergo illis non debetur *adoratio Latriæ*, nisi *respective*, ratione Crucifixi, seu Jesu-Christi; ut fuit definitum in Synodo *Nicæna secunda*, & in *Constantiensi* contra VVicleffum.

Tota igitur ratio Crucem venerandi est, vel ob contactum Corporis Christi, vel ob cooperationem cum ipso ad opus Redemptionis materialiter; sed hæc motiva non sufficiunt, ut ipsi cultus Latriæ exhibeatur, quia in se nihil divinum habet, sed est res inanimata, insensibilis, materialis, creata &c. Cum igitur totam suam dignitatem sumat a Christo, in ordine ad Christum adoranda est, ac proinde cultu respectivo.

Q. *Numquid inhumanus diceretur filius, qui Patibulum Patris honoraret, & adoraret*?

R. Distinguendum est. Si pater fuisset suspensus ob nefanda crimina, & sic toti suæ familiæ infamiam, & dedecus intulisset, vere culpandus esset filius, si patibulum veneraretur. Non vero si si pater injuste, tirannice, ob grande bonum Reipublicæ, & ejusdem gloriæ augmentum, & conservationem fuisset enecatus.

Crux autem Christi nobis comparavit beatitudinem, contulit remissionem peccatorum, & liberavit nos a servitute dæmonis.

Crux tua, inquit S. Leo, *omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum; per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte*, Serm. 8. de Pass. Dom. cap. 7.

Justum est igitur ob tot, tantaque beneficia, eam adorare.

Audiatur adhuc insuper Damascenus: *prati sum reipsa Crucis Lignum, & venerandum, in quo semetipsum in Sacrificium pro nobis obtulit Christus, tanquam sancti Corporis, & Sanguinis tactu sanctificatum, merito est adorandum: Nec non clavi, lancea, vestes, & sacra illius habitacula, ut sunt præsepe, spelunca, Golgotha, Crux, vivificum sepulchrum &c.* In Dialogo contra Acephalum.

His addi debet Domus Lauretana, in

in qua Verbum Caro factum est, & habitavit in ea.

Vide responsum jam datum ad hoc quæsitum, in articulo de usu & fructu signi Crucis.

Q. *Cur Clavi omnes, & Lanceæ non adorantur sicut adorantur omnes Cruces?*

R. Adorantur omnes Cruces, quia ex institutione Ecclesiæ omnes repræsentant Crucem, in qua mortuus est Christus. Unde omnes eodem cultu, quo Crux ipsa adorantur, cum sint ipsius Imagines, Clavi vero, lanceæ, & alia instrumenta, etiam facta ad repræsentationem primorum, nunquam fuerunt ab Ecclesia sumpta, ut essent imagines Passionis Christi, nec ex ipsorum aspectu recordamur mortis ipsius, sicut ex aspectus cujuslibet Crucis; ergo adorari non debent.

Clavi tamen, lanceæ, cordæ, & alia instrumenta, quæ vere Christum tetigerunt, adorari possunt cultu Latriæ. Alia vero, quæ fabricantur ad eorum similitudinem non possunt coli ut *Reliquiæ*, quia non tetigerunt Christum: nec ut *imagines*, quia ut iam dictum est, Ecclesia non designavit ea instrumenta esse Imagines Passionis Christi, nisi quando depinguntur in una eadem tabula cum Cruce, tunc enim dicunt Ordinem ad Crucem, quæ habet rationem Imaginis ex institutione Ecclesiæ repræsentantis Passionem Salvatoris.

Q. *Si contactus Corporis Christi sufficit ad merendam adorationem, cur ergo non adorantur manus Malchi, & os Judæ proditoris?*

R. Ideo manus Malchi, quæ colaphum Christo impegit, os Judæ proditoris, & membra carnificum non adorantur, nec debent adorari, quia membra illa tetigerunt Christum cum sævitia, invidia, odio, & contumeliis, quibus hæc membra potius horrenda, quam veneranda fiunt. Ex contactu enim Corporis Christi, potius maculam, quam Sanctitatem contraxerunt; quippe contactus ille, utpote contumeliosus, grande peccatum erat.

Ut autem contactus sufficiat ad Sanctitatem suscipiendam, necesse est quod fiat absque ulla attingentis iniquitate; alioquin manus Malchi, os Judæ, & carnificum brachia de malo, bonum reportassent.

Q. *Quid igitur de Beatissima Virgine, quæ Christum in utero gestavit?*

R. Licet tetigerit intimius Christum, quam Crux: non tamen Beata Virgo debet adorari *cultu Latriæ*; quia videremur illi attribuere aliquam excellentiam increatam, cujus est incapax.

Ergo Crux adoratur *cultu Latriæ*, quia nullam habet ex se excellentiam, & totam suam dignitatem desumit a Christo; non tamen sic est adoranda Beata Virgo; quia ex se habet aliquam excellentiam, scilicet gratiam; unde si attribueremus illi *cultum Latriæ*, videremur idololatrari, attribuentes excellentiam increatam illi creaturæ, quæ haberet tantum creatam.

Q. *Numquid Idololatria est adorare creaturam cum similiter Idololatria non erit, adorare Crucem, ex ligno compactam?*

R. Adorare creaturam simpliciter, & credere illam esse substantialiter aliquod numen; aut aliquod supremum bonum, est crimen *Idololatriæ*: sed adorare lignum, seu Crucem quatenus in illa, vel in alia simili Christus pro nobis mori voluit, non est crimen Idololatriæ, nec opponitur huic præcepto: *unum Deum coles*; quia mens nostra non fertur ad substantiam, aut materiam ligni, sed solum ad id quod Crux ipsa repræsentat, *Christum* scilicet in Cruce pro nobis patientem: & inde adoratio quæ Cruci exhibetur dicitur *respectiva*, ut optime explicat Petrus Cluniacensis epist. 2. adversus Petro-Brussianos his verbis: *Lignum non con-*

ten-

limus, aut adoramus, quia manet sententia: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: *Sed cum ante Crucem humiliatus prosternor, eum, qui in ipsa olim pro requie nostra tortus, pro vita nostra mortuus est, ut Deum, cui hoc soli debetur, adoro.*

Effigiem Christi cum transis, semper honora;
Non tamen effigiem, sed quem designat adora.

Q. *A quo tempore Crucis supplicium fuit vetitum?*

R. A Tempore Constantini Magni Imperatoris. Cum Imperatrix Helena Constantino Magno Filio suo, inventæ Crucis partem præsentasset, in qua salutis Auctor sua morte, mortem nostram superavit, in tanta reverentia Crucem habuit, ut supplicium illud truculentissimum sustulerit, prohibueritque ne deinceps cuiquam ad supplicium Crux adhiberetur. Ita referunt Sozomenus, Nicephorus, & alii veteres.

S. Augustinus Serm. 14. de Verbis Dom. & Conc. 2. in Psal. 36. ait: *Christus ipse, quia honoraturus erat fideles suos in fine seculi, prius Crucem honoravit in hoc sæculo, ut terrarum Principes in eum credentes, prohiberent aliquem nocentium crucifigi.*

Q. *Quo cultu colenda venit Beatissima Virgo Maria?*

R. Cum Beatissima Virgo Maria Sanctitatem singularem consecuta sit, ei debetur cultus *Hyperduliæ*, qui est ille quo colitur Creatura rationalis propter eminentem dignitatem, & excellentiam. Certum enim est, quod cultus mensurari debeat ex dignitate & Sanctitate. Atqui Mariæ Virginis dignitas, & Sanctitas longe præcellit dignitatem, & Sanctitatem omnis puræ creaturæ, ergo & super omnem puram creaturam, Angelos scilicet & Sanctos coli debet; De ipsa siquidem dicitur, quod sit *Templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti, Mater Christi, Divinæ gratiæ, Regina Angelorum, gratia plena &c.* si hæc omnia illi conveniant, cultum etiam proportionatum tali dignitati, & tantis titulis ei deberi, quis non videt?

Q. *Quis Cultus Angelis, & Sanctis exhibendus est?*

R. 1. Cultus Latriæ non eis debetur, quia non sunt Dii, *soli autem Divinæ naturæ*, inquit Concilium Nicœnum, *Latriæ cultus deferendus est.*

Neque *Hyperduliæ* cultu venerandi sunt: non enim fuit in ipsis plenitudo gratiæ, aut Sanctitatis sicut in Beata Virgine, *scimus*, inquiunt Sancti Patres, *quod ei plus gratiæ collatum fuerit, ... quam cæteris omnibus Sanctis &c.*

Remanet igitur ut non nisi cultu *duliæ* honorandi sint.

Quod vero tali veneratione digni sint, probari potest ex variis Conciliis, præsertim Tridentino, sess. 25. ubi decernitur: *Quod juxta usum Ecclesiæ Catholicæ perpetuum, & Sanctorum Patrum consensionem, debent doceri fideles de Sanctorum intercessione, invocatione, & Reliquiarum honore, & legitimo Sacrarum Imaginum usu*: Ergo Sancti, non solum in se, & cultu absoluto, & immediato, sed etiam relativo, & mediato, scilicet in suis Reliquiis, & Imaginibus sunt colendi, & si in suis Reliquiis & Imaginibus, a fortiori in se ipsis.

2. Ex Sacra Scriptura. Angeli adorati sunt ab Abraham, & Loth, *Gen.* 18. & 19. Anima Samuelis a Saule, 1. *Reg.* 28. Sed & in hac vita Nabuchodonosor Danielem adoravit, *Dan.* 2. Abdias Heliam Prophetam, 3. *Reg.* 18. item Filii Prophetarum, Elisæum, 4. *Reg.* 2. & multi alii &c.

3. Confirmatur etiam ex gratiis, & miraculis, quæ Deus operatur, & com-

cedit eis, qui honorant, & invocant Sanctos suos de quibus quasi per singulos dies testis est universus Orbis.

Tandem ex perpetuo usu Ecclesiæ. *Cum Deus omnipotens*, ait Ambrosius, *ad Sanctos suos dicat; qui vos honorat, me honorat: qui vos spernit, me spernit; qui honorat Martyres, Christum honorat*, Lib. 6. cont. Jul.

Q. *Numquid dici posset honorem a Patriarchis, tributum Angelis, fuisse mere civilem?*

R. Minime: sed fuit vere *cultus sacer*. Si enim præcise ob naturæ præstantiam civiliter colerentur Angeli, eodem modo possent coli etiam dæmones. Honor igitur ipsis præstitus non fuit ob naturæ bonum, sed ob *supernaturalem eorum excellentiam*, & sic non civilis, & humanus, sed sacer fuit, & religiosus; qui quamvis a cultu civili specie differat, sicut gratia a natura, tamen uti excellentia quævis creata infinities inferior est excellentia Dei increata, ita & cultus Duliæ, sine comparatione, inferior est Latria.

Et certe honor ab Abdia Heliæ Prophetæ, & a Filiis Prophetarum Elisæo exhibitus, non potest ad civilem referri, cum Abdias in Elisæo nullam excellentiam naturalem, terrenamque dignitatem spectare potuerit; sed solam supernaturalem gratiam Prophetiæ, & sanctitatem; sicut & in Daniele Nabuchodonosor.

Q. *Si cultus Sanctorum hominum, & Angelorum sit licitus, cur ergo Petrus noluit a Cornelio adorari? nec Angelus a Joanne*, Act. 10 & Apocal. 19.

R. Petrum hunc honorem recusasse ex modestia, vel quia animadvertit Cornelium aliquid divinum in ipso esse putasse. Similiter illa recusatio Angeli vel referenda est ad adorationem Latriæ, quam forte Joannes Christum existimans, illi deferre cupiebat; vel certe si Angelum esse noverat, ad ipsius Angeli modestiam referendum est.

Si Deus ipse Sanctos honorat, ut constat ex his verbis: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*, Matth. 25. cur nobis non licebit cultum, & venerationem ob eorum excellentiam spiritualem, eis exhibere?

Q. *Quibus modis Sanctos colit, & veneratur Ecclesia?*

R. *Primo* quidem interiori reverentia, & observatione, qualis decet Dei amicos, & domesticos.

Secundo, Exteriorem cultum defert eorum nominibus, Imaginibus, sepulchris, Ecclesiis, Altaribus, Reliquiis &c.

Tertio, eorum implorat suffragia.

Quarto, Festa Sanctorum observat, eorum vitam bene beateque actam, miracula &c. populo enarrat.

Quinto, virtutes eorum imitari studet, vitamque ad eorum normam componere &c.

DE

PEREGRINATIONIBUS.

Q. *Peregrinationes ad Templa, & loca Sanctorum Reliquiis celebria, sunt laudabiles, & a superstitione immunes?*

R. Scimus hæreticos peregrinationes Catholicorum irridere, easque superstitionis damnare. Negare tamen non possunt eas, ex natura sua, esse actiones saltem indifferentes.

Quod autem omni superstitione vacent, & in aliquibus eventibus sint laudabiles; inde constat, quod Deus ipse in Veteri Testamento constituerit, ut omnes Filii Israel, ter in anno, ad Tabernaculum, vel Templum Domini peregrinarentur, *Deut.* 16. *v.* 16.

Magi venerunt Jerosolymam, ut Christum Dominum, quocunque tandem loco reperissent, adorarent.

Viæ

Vir Æthyops potens Candacis Reginæ Æthyopum, venit adorare in Jerusalem.

De cætero clarum est, Catholicorum peregrinationes rite, & pie institutas, cedere in honorem Dei, & Sanctorum non mediocrem. Est enim manifestum signum, Deum & Sanctos a nobis magni fieri, cum laborem & pericula itinerum sponte suscipimus, ut Sanctorum Reliquias invisamus. Idque esse opus pœnitentiæ, & satisfactionis &c.

Q. *Peregrinationes fueruntne in usu ab exordio Ecclesiæ?*

R. Licet id demonstrari non possit ex primis Patribus, cum pauca eorum scripta exstent, & sub Gentilium tirannide pressa Ecclesia non posset religiosas ejusmodi peregrinationes adornare, uti nec modo in Anglia, Danimarca, Svevia, Hollandia, & multis in locis in Germania; nihilominus negare non possunt Hæterodoxi, Patribus quarti, & quinti sæculi jam valde probatas, & usitatas fuisse ejusmodi Peregrinationes ad memorias Martyrum, aliaque loca Sancta: Ad exempla procedamus.

Centum ante *Constantinum Magnum* annis constat ex Eusebio & Hieronimo peregrinatum esse Hyerosolimas S. Alexandrum Martyrem, uti & Sanctum Nicolaum, & tempore Constantini, *Sanctam Helenam*.

Lucia Virgo Siracusana quarto sæculo una cum matre Eutychia, quæ sanguinis fluxu laborabat, Catanam ad venerandum corpus Beatæ Agathæ venit, quæ ad ejus sepulchrum cum suppliciter orasset, Agathæ intercessione matri sanitatem impetravit, *Brev. Rom. ad diem* 13. *decemb.*

S. Chrysostomus, hom. 5. de Sancto Jobo, affectus suos erga Pauli vincula depromens, ita loquitur: *Vellem nunc in locis illis versari, in quibus vincula illa maneat, & catenas videre, quas timuerunt quidem dæmones, & horrent; & Angeli venerantur. Si Ecclesiasticis curis essem vacuus, corpusque robustum haberem, nequaquam* Peregrinationem tantam facere recusarem, *quo catenas solum viderem, & carcerem in quo Paulus vinctus &c.*

Supervacaneum est alios citare Patres posteriores, qui videri possunt apud Catholicos Auctores.

Sufficiat pro coronide dictum Sancti Augustini, ex quo cognoscetur peregrinationum utilitas, & ratio: *Colimus Sanctos*, inquit, *etiam dum loca Deo in honorem eorum dicata visitamus, ut ex ipsorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus: Et quia scimus in quibusdam memoriis Sanctorum, multa miracula sanitatum per Sanctos suos Dominum operari,* quæ aliis locis operari non vult; *sicut & Sanctis quibusdam, in hoc mundo agentibus, gratias curationum dedit ille, qui dividit dona sua pro ut vult*, Lib. 20. contra Faustum, cap. 21.

Q. *Suntne Peregrinationes necessariæ ad salutem?*

R. Etsi non sint necessariæ neque ad salutem, neque etiam ad perfectionem, & consequenter nullibi in Sacra Scriptura præceptæ, neque in Evangelio positæ inter ea quæ homines beatos faciunt, sunt tamen utiles, & hoc sufficit ad consilium, & ad pœnitentiam, ac satisfactionem. Possunt quidem omitti sine dispendio salutis; at cum sint opus bonum, consulere eas possumus; minime condemnare, ut faciunt hæretici &c.

Q. *Cum plures committantur abusus in peregrinationibus, nonne potius prohibendæ essent, quam consulendæ, aut permittendæ?*

R. Contingere quidem potest, ut aliqui peregrinationes suscipiant ob vanam curiositatem, ob corporales recrea-

creationes, & ob alia parum recta motiva, sed non debent idcirco peregrinationes improbari.

Quid enim tam sanctum quod prava intentione non possit infici?

Publicanus ille in Evangelio ascendit ad Templum non oraturus, sed multa peccata commissurus. Non approbamus peregrinationes eorum, qui ad Martyrum loca conveniunt genio indulgendi causa, & dissolute vivendi: *Absurdum est*, inquit Hieronymus, *nimia saturitate honorare velle Martyres, quos scimus Deo placuisse jejuniis*.

Ad ejusmodi abusus vulgi in ventrem proni, respexit devotus ille a Kempis quando scripsit: *Raro sanctificantur, qui multum peregrinantur*. Ad abusus, *inquam*; certum enim est legitimum peregrinationum usum ab Ecclesia, & Sanctis semper fuisse probatum, & receptum.

Certe, quid valeat argumentum ab abusu rei, ad probandam malitiam rei ipsius, norunt omnes qui Phylosophiam vel a limine salutarunt. Sic V. G. Sacramenta, Scriptura Sacra, sunt sanctissima, & tamen eorum abusus pessimus.

Q. *Quæ requiruntur, ut peregrinationes sanctæ sint, & salutares?*

R. *Primo*, si quis die Dominico peregrinationem instituat, aut die festo, debet prius peccata sua confiteri, Missam audire, preces Deo offerre, ut ab omni culpa, & itinerum periculis eum præservare dignetur.

Secundo, debet adjungere se consortio bono; absurdum enim est, quod frequenter usuvenire solet, ut adolescentes cum adolescentulis adjungantur.

Tertio, a vanis sermonibus abstinere debet. Quod si loquendum sit, debent pia, & casta esse eloquia. Debet orare Deum puro corde, recitare Rosarium, Litanias tum Beatæ Mariæ Virginis, tum omnium Sanctorum; & Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus tempus itineris impendere.

Quarto, in hospitiis, si quæ necessitas inciderit potus, cibique sumendi, abstinere debet a commessationibus, & ebrietatibus, frivolisque & inanibus recreationibus.

Quinto, in peregrinationis loco debet iterum, si res postulat, peccata sua sacra Confessione expiare, & sacra Communione se reficere; eleemosinas pecuniarias, aut alia convenientia dona offerre.

Quæ omnia eo animo adimplenda sunt, ut a Deo per Sanctorum merita & suffragia, corporalia, spiritualiaque beneficia conferantur. Alioquin audebo cum Sancto Hieronymo dicere: *Non Hierosolimam vidisse; sed Hierosolimis bene vixisse, laudandum est*.

DE
CULTU SACRARUM IMAGINUM.

Q. *Nonne Deus prohibuit Imaginum usum, dum populo Israelitico dixit:* Non facies tibi Sculptile? Exod. 20.

R. Sane eo loco, non quodcumque Sculptile facere prohibuit, nec quamcumque Imaginum constructionem, sed idololatriam: unde subditur: *Non adorabis ea, neque coles*. Tantum ergo prohibet usum Imaginum, quas Gentiles conficiebant in suorum venerationem Deorum, & quas *ut veros Deos* adorabant. Nec mirum, si Deus populo suo *omnes Sculptile*, & omnem similitudinem eorum quæ sunt in Cœlo, interdixerit, quia cum ad idololatriam tunc pronus esset, facile ut Deos adorasset.

At

At nos dum sacras Imagines colimus, non illas tamquam Deos veneramur; non enim ad illas, sed ad eorum exemplaria, nostram venerationem referimus. Quod vero non absolute prohibeantur Imagines, patet ex *Cap.* 25. *Exodi*, ubi Deus duos Cherubim extrui jussit ex utraque parte Tabernaculi. Moyses quoque, *Deo mandante*, conflavit Serpentem æneum, quem qui percussus serpentum morsu aspiciebat, sanabatur, Num. 21. Sed & Salomon, Moysem æmulatus, Cherubim sculpsit in Templo, 3. *Reg.* 7. Non igitur absolute vetatur confectio & usus Imaginum.

Q. *Quæ est Ecclesiæ doctrina circa Imagines?*

R. Ut indubitanter appareat, quid de honore Sanctis, coram eorum Imaginibus exhibito, sentiat Ecclesia, audiatur Tridentina Synodus, quæ sessione 25. expresse prohibet: Ne *Imaginibus credatur inesse aliqua divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel aliquid ab eis petatur, vel fiducia in Imaginibus figatur, veluti olim fiebat a Gentibus; quæ in Idolis spem suam collocabant. Honor itaque, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ* Imagines *repræsentant, ita ut per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput operimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Ex quibus quantum Ecclesia ab Idololatria remota sit, luce clarius est.

Non orant Catholici Imagines; sed apud Imagines; sciunt enim illas inanimes esse, & visu, auditu, omnique sensu carere. Sanctis solummodo, quorum sunt Imagines loquuntur, in iisque ipsum Deum sanctitatis, & gratiæ omnis auctorem venerantur.

Q. *Ad quid formantur Imagines, seu quem fructum ex eis recipere possumus?*

R. S. Bonaventura dicit, introductas fuisse in Ecclesiis Imagines, ut simplices qui legere non possunt, instruantur quid Sancti egerint, aut passi sint. 2. ut illorum exemplo, ad eorum vitam, ac mores se ipsos conforment. 3. ut ad devotionem erga Deum, & ejus amicos excitentur. Plus enim excitatur affectus noster per ea quæ videmus, quam per ea quæ audimus. Unde refertur in Synodo VII. quod Gregorius Nazianzenus, visa imagine Abrahæ, Filium suum immolantis, lacrymas temperare non valuerit.

Nos autem Christiani, visa Imagine Christi in Cruce pendentis, moveri debemus ad lacrymas fundendas pro peccatis nostris, pro quibus Christus mortuus est. Bonum igitur est habere Sanctorum Imagines, cum inspirent sanctitatem, & fideles moveant ad Sanctorum vestigia sequenda &c.

DE

CULTU RELIQUIARUM.

Q. *Reliquiæ Sanctorum suntne venerandæ?*

R. Licet ossa, cineres, & Reliquiæ Sanctorum, viles & contemptibiles appareant; veneratione tamen dignas esse negabit nemo, si attendat Deum ipsum illas honorasse, quamplura per hujusmodi sacra pignora patrando miracula: uti comprobant omnes omnium temporum historiæ.

Nonne ossa Josephi Patriarchæ *visitata sunt, & post mortem prophetaverunt?* Eccles. 49.

Nonne *cadaver projectum in sepulchro Elisæi Prophetæ, cum tetigisset ossa Elisæi, subito revixit?* 4. Reg. 13.

Nonne *sudaria & semicintia Apostoli Pauli languores fugabant, & sanitatem languidis deferebant?* Act. 19.

Nonne *umbra venientis Petri ab obviis quibuscumque morbos depellebat?* Act. 5.

Nonne *Mulier Hæmorrhoissa*, *tangendo fimbriam Christi*, *sanitatem recepit*?

Cur ergo ea, per quæ Deus tot operari miracula consuevit, in veneratione habenda non sunt?

Non sunt igitur Christiani Catholici arguendi superstitionis, dum Sanctorum Reliquias in honore habent, eas cum reverentia osculantur, in loco decenti recondunt, asservant, supra se gestant, ut suam erga Sanctos venerationem, & amorem testentur. Minus arguendi sunt superstitionis, dum Christi Crucem, Coronam Spineam, Clavos, Sudarium &c. reverentur, per quæ dæmoniaci liberantur, cæci visum recuperant, muti loquelam; morbi, pestes, & aeris infectio cessant, maris tempestates sedantur, incendia extinguuntur, & mortui resurgunt &c.

DE FESTIS.

Q. *Quam ob causam celebrat Ecclesia Sanctorum Festa?*

R. Multiplici de causa. 1. ut in ipsis Sanctis honoretur, & adoretur Deus. 2. ut in memoriam reducamus exempla pietatis, & sanctitatis, quæ nobis reliquerunt, & Deo gratias agamus de beneficiis, donis, auxiliis, ipsis *ex misericordia* concessis, quibus de mundo, carne, & diabolo triumpharunt. Et tandem ut excitemur ad sequendum eorum vestigia, ad imitandum virtutum exempla, quæ nobis reliquerunt, & simul ad eorum auxilium, & patrocinium implorandum. Hæc sunt motiva quæ Ecclesiam induxerunt ad dies Festos instituendos.

Q. *Approbatne Deus Festa ab Ecclesia ordinata?*

R. Procul dubio. Cum Dominus Jesus Christus interresse voluerit Festo Dedicationis Templi a Juda Machabæo instituto; si Festum illud non approbasset, aut abusum introductum judicasset, profecto non ascendisset ad Templum tali die, seu occasione ipsius Festi: *Facta sunt*, inquit Joannes, *Encania in Jerosolymis*, *& hyemns erat*; *& ambulabat Jesus in Templo*, Joann. 10. v. 22.

Deinde approbavit etiam sua præsentia alia Synagogæ Festa, qualia sunt Festum Paschatis, Pentecostes, Encæniarum, item Festum stabilitum, & ab universa Synagoga receptum, in memoriam victoriæ a Judittha supra Holofernem, & exercitum ejus reportatæ, *Judith. cap.* 16.

Item aliud Festum ab Esther, & a Mardocheo institutum ratione liberationis populi Hæbraici, &c. *Esther. cap.* 9.

Si ergo Synagoga, quæ erat figura Ecclesiæ Christianæ, potuit instituere dies Festos, non est certe talis potestas deneganda Ecclesiæ Christi, quæ est Synagoga longe perfectior, cujus ministri habent potestatem ligandi, atque solvendi. Unde Summus Pontifex, & Concilium Generale possunt dies Festos instituere in tota Ecclesia, & Episcopi in suis Diœcesibus.

Q. *Festa Domini Salvatoris*, *Beatæ Virginis*, *Apostolorum*, *& Martyrum*, *fueruntne a primitiva Ecclesia observata?*

R. Certissime. Hius rei indubitatam fidem faciunt Sancti Patres primorum sæculorum, ut Augustinus in suis Epistolis 54. & 55. Eusebius *Lib.* 4. *Hist. cap.* 14. refert quod Ecclesia Smyrnæ, ineunte secundo sæculo, celebrabat Festum Sancti Polycarpi. Aliæ similiter Ecclesiæ, alios Sanctos celebrant, ut constat ex variis Historiis Ecclesiasticis.

Q. *Plurium Festorum institutio nonne repugnat intentioni Dei*, *unicum diem in Hebdomada sanctificandum præcipientis?*

R. Verum est, quod Hæretici, ut improvo-

probent Festa Catholicorum; semper in ore habeant verba illa Exodi, cap. 20. v. 9. & 10. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua; septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo* &c. Ergo, *inquiunt*, nullus alium diem instituere potest, in quo ab opere cessandum sit.

Sed inepte. Præcipit quidem Deus per relata verba Sabbatum esse sanctificandum, sed non excludit alios dies Festos; nec ita præcipit Sabbatum esse sanctificandum, ut nulla alia dies possit institui; nec ita, ut Sabbatum non possit mutari in alium diem, cum de facto non celebretur amplius Sabbatum, sed *Dominica*, in memoriam Resurrectionis Domini, non auctoritate divina, ita ut hæc translatio facta fuerit, Deo sic mandante *in Scripturis*; sed solum auctoritate Apostolica.

Notandum autem, quod præceptum hoc divinum non consistat in istis verbis: *Sex diebus operaberis*, sed in sequentibus: *Non facies omne opus in eo*.

Exemplum istius habemus, in eo quod Deus præcepit Adamo; etenim: *Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas*, Gen. 2. 16. & 17.

Certe non sequitur, *hæreticis etiam non contradicentibus*, quod constrictus fuerit edere ex omnibus fructibus Paradisi. Non erat hoc præceptum positivum; sed solum licentia ei data utendi seu vescendi ex omnibus fructibus, pro suo libito, exceptis *fructibus prohibitæ arboris*.

Sic discurrendum est in casu præsenti: quando dixit Deus: *sex diebus operaberis*, non per hoc præceptum imposuit Deus laborandi per sex dies, sed solum homini libertatem operandi reliquit, si velit. Quando scilicet nulla alia intervenit prohibitio, ut quando ab Ecclesia aliquod Festum institutum est servandum.

Q. *Undenam hanc hausisti explicationem?*

R. Ex libro Exodi, cap. 12. v. 16. ubi Dominus noster loquens de Festo azimorum, omnem prohibet servilem laborem: *Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis*.

Idem vetat in aliis Festis, videlicet Paschatis, Pentecostes, Tubarum, expiationis Tabernaculi, pro ut expresse habetur in *Levitico cap.* 23. v. 4. & sequentibus: *Hæc sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas*.

Jam observandum, quod omnia illa Festa, & alia instituta fuere mandato ipsiusmet Dei, postquam Moyses jam populo enunciaverat: *Sex diebus operaberis; septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est, non facies omne opus in eo*.

Hinc invincibiliter demonstratur, præfata verba non esse absolutum Dei præceptum, quod ad sui observantiam fideles obstringat, alias sequeretur Deum, prælaudata Festa instituentem, sibi ipsi contradicere, quod sine blasphemia excogitari nequit.

DE
TEMPLIS, ET ALTARIBUS
ad honorem Dei & Sanctorum erectis.

Q. Quid est *Templum?*

R. Est locus quilibet Religiosi cultus gratia inauguratus. Templum dictum est, quasi *tectum amplum*, quod nempe sua capacitate, & amplitudine, plures qui ad orandum Deum conveniunt, tegat, & occupet. Loca illa varia sortita sunt nomina.

1 *Oratoria*, dicta sunt, quod in ipsis Populus orare, & obsecrationes

pro necessitatibus Deo facere consuevit.

2. *Basilica*, quod in ipsis Martyrum Reliquiæ conservarentur.

3. *Ecclesia*, ob prædicationem Verbi Dei, & Sacramentorum administrationem: Tandem *Templum*, & *Palatium* Dei, *Domus* Dei, & *Domus* orationes vocatur. Plura alia epitheta inveniri est apud varios Scriptores, desumpta a variis functionibus, quæ in Templis exercentur &c.

Q. *Quandonam Templa ad Dei cultum, & honorem Sanctorum ædificari cæperunt?*

R. Quamvis Deus *in Templis manufactis non habitet*, Act. cap. 7. ut scilicet iis circumscribatur, aut concludatur, cum ubicumque eum deprecantes exaudire valeat; nihilominus voluit semper certa loca cultui suo deputari. In lege naturæ, Abel, Noe, Abraham, Jacob, Melchisedech, sacrificia Deo super erecta Altaria obtulerunt. Verisimile autem est peculiarem locum ad hoc fusse ab eis electum, qui Templum dici potuit, cum Templum nihil aliud sit, quam locus Altaris divino cultui deputatus.

In lege Mosaica, cum Israelitæ ex Ægypto in desertum descendissent, præcepit eit Deus; ut Tabernaculum extruerent, quod esset velut Templum portatile, & mobile, in quo preces suas funderent, & sacrificium in ostio ejusdem Tabernaculi, & non alibi, ipsi offerrent: *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo quem elegerit Dominus*, Deut. cap. 12. v. 13. In libro 3. Reg. cap. 7. & sequentibus, Templi Salomonis splendor, cultus, forma, amplitudo describuntur, & qualiter sanctificaverit illud Dominus, ut esset ibi nomen suum in sempiternum.

Si Evangelicæ legis tempora inspiciamus, videbimus erecta fuisse Templa, ab ipsis Ecclesiæ incunabilis: certum enim est, quod multitudo illa, quæ omnes divendiderat possessiones habuerit in singulis locis consecratas orationi domos, in quibus Divina Mysteria celebrabantur, quas Apostolus *Ecclesias* nominavit, dicens: *Convenientibus vobis in Ecclesiam*; &c.

Refert S. Clemens *lib.* 10. *Recogn. sub finem*, Theophilum Antiochensem, inter cæteros cives virum potentem, domum suam fecisse consecrari Ecclesiam, in qua Petri Cathedra ab universo populo est constituta, in quam confluebant, gratia prædicationis, quam faciebat S. Petrus, quamque sanitatum efficacitas confirmabat.

Eusebius Cæsariensis, lib. 2. Hist. Eccles. ait: *Est autem in singulis locis consecrata orationi domus*. Missum facio testimonium multorum auctorum Apostolis coævorum. Quod dictum est, sufficit ad confirmandum, fuisse a principio Ecclesias materiales. Non erant tamen tam splendidæ, quam fuerunt paulo post, crescente numero, & opibus fidelium, & reddita pace Ecclesiæ à *Constantino Magno*, qui amplissima diversis in locis ædificari concessit Templa; postquam ille multas Romæ construxisset Basilicas.

Q. *Quandonam cæpit usus Templa, & Altaria consecrandi?*

R. Etiam hoc initium habuit a primis pacatæ saltem Ecclesiæ temporibus, ut colligi potest ex Concilio Aurelianensi 5. cap. 14. Dixi, *pacatæ saltem Ecclesiæ*; Apostoli enim, & primi Christiani, non nisi in privatis Oratoriis, & domibus, idque clam, metu persecutionum, sua sacra peragebant. At quando spes aliqua quietis affulsit, ut passim Templa erigi cæperunt, etiam dedicationis, & consecrationis ritus adhiberi cæpit. Verum si de Altaribus sermo fit, Sanctus Dionysius *libro de Hierarchia Eccl. p.* 1. *capit.* 5. qui tempore Apostolorum vixit, aperte docet, Altaria sacro oleo inungi, & consecrari ab Episcopo deberi.

Q.

Q. *Ad quid consecratio illa, si Ecclesiæ & Altaria gratiæ & benedictionis sint incapacia?*

R. Ecclesiæ, Altaria, & alia ejusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiva, sed quia ex consecratione adipiscuntur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur divino cultui: ut scilicet devotionem quamdam fideles exinde percipiant. S. Paulus arguit Corinthios tanquam Ecclesiæ contemptores, quia in Ecclesia comedebant. Cur enim Ecclesiam contemnere dicitur, qui in ea actionem alibi licitam exercet, nisi propter aliquam ejus loci consecrationem, & ex ea reverentiam?

Q. *Qui ritus adhibentur in consecratione Ecclesiæ, & quis eorum finis?*

R. Præcipui sunt sequentes. *Primo*, pinguntur duodecim Cruces ita inter se distantes, ut totum Templum occupent, & ad singulas lampades singulæ accenduntur; ad significandum, quod duodecim Apostoli hoc vexillum Christi per totum Orbem portaverunt, & sua prædicatione mundum illustrarunt.

Secundo, oleo injungitur, quo in consecratione Regum, & aliarum rerum Deus uti voluit, ad significandum Templum non debere esse prophanum, & communem domum, sed sacram.

Tertio, aspergitur aqua, thus adoletur, & cerei accenduntur, ad significandam munditiem, & claritatem, qua nitere debet locus, orationibus, sacrificiis, aliisque sanctis & puris actionibus deputatus, Christique in eo habitantis bonum odorem.

Quarto, Alphabetum describitur Græce, & Latine, quia illis linguis prædicata est fides: illis enim linguis utebatur tota fere Ecclesia, tempore quo hæ cæremoniæ sunt institutæ.

Quia denique ex Templo diabolus ejicitur, neque ibi habitare sinitur, sed e contrario oratur Deus, advocantur Angeli, aliique Sancti, ut in eo loco habitare dignentur, ideo pulsatur ostium, & jubetur diabolus recedere, & Reliquiæ Sanctorum introducuntur.

Q. *Unde est quod Ecclesiæ, & Altaria ad honorem Sanctorum consecrata sint?*

R. Ex eo quod corpora Martyrum, ex antiquo more, & sanctione *Felicis Papæ primi*, solebant sepeliri *sub Altari*. Cur autem ita sepelirentur, dicam.

Primo, ut loco tam sacro Fideles honorarent Martyres.

Secundo, ut Martyrum corpora, & sepulchra orantibus ad Altare essent continuum excitamentum devotionis: & virtutis ac fortitudinis, quam imitarentur.

Tertio, ut Martyres eorum preces apud Deum offerrent, & adjuvarent: Hinc Altare vocabatur *Sepulchrum Martyris*, *Martyrium*, & *Confessio*. Martyrium enim Græce, idem est ac Latine, *Confessio*: puta testimonium quod Martyr Fidei perhibuit, ac sua morte & sanguine obsignavit.

Quo circa Sacerdos accessurus ad Altare orat, dicitque: *Oramus te Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic sunt &c.* Hinc hisce sepulchris, & Altaribus, postea Ecclesiæ superædificatæ sunt, quæ pariter *Martyrium* vocatæ fuerunt.

Non Martyribus tamen, nec Apostolis, neque Gloriosæ Virgini Mariæ, unquam Altaria erecta, aut sacrificia oblata fuere, sed Omnipotenti Deo, cui soli cultus Latriæ, ut sæpe inculcavimus, exhibendus est.

Nihil tamen prohibet diversa Templa, vel Altaria diversis Sanctorum titulis esse insignita, & appellata: quia, licet omnia unius Dei honori, primo & principaliter dedicata sint & consecrata, tamen diversis nominibus ab invicem, propter confusionem vitandam discriminantur.

Se-

Secundo, Altaria, vel Ecclesiæ *Sanctorum nomina* sortiuntur, quia eorum Reliquiæ ibi reconditæ asservantur.

Tertio, quod singulari aliquo affectu, tales Sancti, & Sanctæ Patronorum vice in talibus locis habeantur.

Q. *Cur Hæretici Templa nostra, & Altaria odio habent, eaque demoliuntur?*

R. Quia sunt ministri Diaboli, & ut ille semper invidit honori Dei, & Sanctorum, ita hæretici totis viribus nituntur evertere loca sacra, in quibus divina Officia Deo persolvuntur, sic diabolo obsequium præstantes.

Quando Cives Leydenses in Hollandia, tempore prætensæ Reformationis, anno 1572. Monasterium nostrum S. Francisci extra Rheni portam in suburbano amænissimo situm excurrebant eversuri, quamdam, vexilli loco, imaginem Diaboli, prælongo fixam hastili prætulisse narratur, ut non obscurum esset spectatoribus argumentum, cuinam Magistro suo illam navarent operam.

Q. *Eversores, prophanatoresque Templorum fueruntne aliquando a Deo visibiliter puniti?*

R. Licet Clementissimus Deus, pro immensa sua misericordia, & longanimitate, impios hæreticorum, & sacrilegorum conatus non semper vindicet, quandoque tamen in hujusmodi impios severe animadvertit, ut paucorum exemplo alii terreantur, nec in perpetuum divitiis bonitatis ejus abutantur.

Antiochus Rex, ob prophanatum Templum Hierosolimitanum, variis malis, ac doloribus affectus, miserrima morte interiit, 2. *Machab. 1.*

Alcimus præcipiens destrui muros Domus Sanctæ interioris, admirabili plaga repente defunctus est, 1. *Machab. 9.*

Gundericus Rex Vandalorum, capta Hispali, cum impie elatus manus in Ecclesiam ipsius Civitatis extendisset; mox Dei judicio a Dæmone correptus interiit, *Chron. Sigib. ad ann. 429.*

Arnulphus Imperator, cum omnia sacrilegiis, & infandis facinoribus implesset, morbo pediculari absumptus, obiit, *Luithprandus lib. 1. cap. 9.*

Alphonsus VII. Castellæ Rex, Templa donis suis, & ornamentis spoliabat, atque adeo ipsis Ecclesiis pro stabulis utebatur, dum Tragum oppugnat, ab hostibus, de improviso occiditur: *Roderic. Toletanus lib. 7. cap. 3.*

Michael ab Isseltio lib. 3. belli Coloniensis refert anno 1584. die 16. Octobris, eos qui celeberrimum, & antiquissimum Monasterium Tuitiense, depopulati erant, quodam igne cœlesti in sacello fuisse absumptos.

Qui plura vult Historicos legat.

REMISSIONEM PECCATORUM.

Q. QUid nobis in hoc articulo credendum proponitur?

R. Duo, ad salutem comparandam maxime necessaria; nempe non solum peccatorum remissionem in Ecclesia Catholica reperiri, de qua Isaias prædixerat: *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas*, Isa. 33.

Sed etiam potestatem peccata remittendi in ea esse: qua si rite, & secundum leges, a Christo Domino præscriptas, Sacerdotes utantur, vere peccata remitti, & condonari credendum est.

Q. *Quid complectitur remissio peccatorum?*

R. Non culparum dumtaxat abolitionem, sed & pœnarum condonationem, & effectus omnes gratiæ; quæ omnia Salvator noster passione, & morte sua nobis promeruit; ut sacræ testantur paginæ. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus*, Act. 10.

His

Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, Matth. 26.

In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis, ad Ephes. 1.

Q. *Quibus mediis peccatorum remissio obtinetur?*

R. Si sermo sit de peccato originali, & de actualibus etiam gravissimis, quæ excogitari possunt, ante susceptam Christi fidem commissis, adeo cumulate nobis eorum venia datur, *dum sacro Baptismo abluimur*, ut nihil aut culpæ delendum, aut pœnæ persolvendum relinquatur, ideo Patres Concilii Constantinopolitani Symbolo addiderunt: *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.*

Si vero de peccatis post baptismum patratis loquamur, ea per *Sacramentum Pœnitentiæ* condonantur, etiam si quis ad extremum vitæ diem peccasset, & hoc ratione clavium Ecclesiæ datarum: dixit enim Christus Petro: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram erit solutum & in Cœlis*, Matth. 16. Deinde S. Joannes testatur, Dominum Apostolis dixisse: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, Joan. 20.

Q. *Restringiturne hæc potestas ad certa quædam peccata?*

R. Minime. Ad omnia, etiam quæcumque gravissima, se extendit: nullum enim tam nefarium facinus admitti, vel excogitari potest, cujus remittendi potestatem Sancta Ecclesia non habeat. Quemadmodum etiam nemo adeo improbus & scelestus est, quem si erratorum suorum vere pœniteat, certa ei veniæ spes proposita esse non debeat.

Q. *Licitum estne Ecclesiæ, uti ea potestate, omni tempore?*

R. Ita; nam in quacumque hora peccator ad sanitatem redire voluerit, rejiciendum non esse docuit Salvator noster, cum Principi Apostolorum interroganti, quoties peccatoribus ignoscendum esset, *an septies?* Respondit: *non septies, sed usque septuagies septies*, Matth. 18. idest semper, & quoties peccaverit, & vere pœnitentiam postulaverit.

Q. *Suntne alia media, præter Baptismum, & Pœnitentiam, quibus peccator veniam delictorum consequi potest?*

R. Plurima alia media ad remissionem peccatorum idonea assignantur.

Primum ergo, ut jam dictum est, Baptismus: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, ad Tit. 3.

Secundum est charitas: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Luc. 7. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, 1. Pet. 4.

Tertium est Martyrium: *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, Joan. 15. & Matth. 10. *Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. Et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Quartum est Eleemosina, juxta illud Lucæ 11. *Date eleemosinam; & ecce omnia munda sunt vobis*. Et Tobiæ 4. *Eleemosina ab omni peccato, & a morte liberat.*

Quintum est remittere injurias, Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, & Pater vester cœlestis dimittet vobis delicta vestra.*

Sextum est convertere peccatorem ab errore viæ suæ, Jacobi 5. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, operit multitudinem peccatorum.*

Septimum est Pœnitentia, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum,

Ezec-

Ezechialis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.*

Q. *Quæ conditiones requiruntur, ut quis Martyr habeatur?*

R. Etsi jam ad hanc quæstionem alibi responderimus, ubi egimus de requisitis ad Martyrium, attamen hic breviter conditiones exponere non pigebit, ut fortius memoriæ tradantur. Quinqne igitur conditiones exiguntur, ut quis vere Martyr habeatur. Primo, ut reipsa moriatur, 2. ut contra suam voluntatem non interficiatur, 3. ut cum intentione vitam perdendi pro Christo, moriatur, 4. ut pro Sancta Fide vel in se, vel in opere alicujus virtutis, vitam perdat. Non enim necesse est ad Martyrium, ut mors inferatur propter solam fidem; sed sufficit si in defensionem, seu testimonium alicujus virtutis Christianæ, v. g. pudicitiæ, immunitatis Ecclesiasticæ, inferatur, 5. ut adultus existens in peccato, actum charitatis, seu dilectionis & contritionis eliciat, si desit tempus & occasio delicta confitendi. Ratio est, quia subiturus Martyrium non liberatur ab iis obligationibus, quæ sunt omnibus, etiam *justis* communes. Merito enim Paulus dixit: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, 1. Corinth. 13. Denique debet esse talis, ut Martyr non resistat, aut se defendat, quia alioquin non satis Christo se conformaret, qui, ut habetur 1. Petri 2. *Cum pateretur non comminabatur*. Et Isai. 53. *Quasi agnus coram tondente se obmutuit.*

Oppositum tamen non improbabile est, modo non tam se ipsos, quam Christum & Ecclesiam defendant. Quod si Ecclesia tales pro Martyribus non agnoscat, hoc est quod non possit fieri de illis legitima inquisitio. Diximus, mortem inferri debere *in odium fidei*, *vel virtutis Christianæ*. Hinc qui peste infectis ex charitate servientes mortem contrahunt, non sunt proprie, & stricte Martyres, licet ob insignem charitatis, & fortitudinis actum censeantur Martyribus prope æquales. Videantur quæ dicta sunt superius, tit. de Martyrio.

Q. *Qualiter eleemosyna peccata remittere dicitur?*

R. Eleemosynam non habere vim, *ex natura sua*, remittendi peccata, ut habent *Baptismus*, & *Pœnitentia*. Si enim hoc ex se haberet, ipsa posita, & sublatis actibus cujuscumque virtutis gratia conferretur, quod falsum patet ex Paulo 1. Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Testimonia quæ eleemosynæ remissionem peccatorum tribuunt, dupliciter intelligi possunt. Primo ut ad pœnas pro peccatis debitas omnia referantur, juxta illud Danielis 4. *Peccata tua eleemosinis redime*. Secundo eleemosinam peccata etiam ipsa quoad culpam remittere dici potest, *impetrative*, & per accidens.

Impetrative quidem, quia cum recte fit, impetrat a Deo quasdam gratias actuales, quibus homo efficaciter movetur ad resurgendum a peccato, & perseverandum in bono: sic enim scriptum est, *Frange esurienti panem tuum . . . cum videris nudum operi eum, tunc erumpet quasi mane lumen tuum &c.* Matth. 5. Item *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. *Per accidens autem*, quando nimirum eleemosyna procedit ex actuali Dei amore propter quem eleemosyna erogatur.

Ex his liquido patet, quid de injuriarum remissione, & reliquis supra enumeratis modis, dicendum sit.

Q. *Potestne aliquis certus esse peccata sibi esse remissa?*

R. Ne-

R. Neminem certum esse posse seclusa divina revelatione. Ita definitum est in Concilio Tridentino contra hæreticos, *sess.* 6. cap. 9. & constat ex scriptura: *Quis potest dicere, purus sum a peccato?* Prov. 20. *nescit homo utrum amore, an odio dignus sit*, Eccli. 9.

Certum quidem est, quod *qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit*. Sed non est certum certitudine fidei, quod quis habeat fidem ibi requisitam, aut quod sit valide baptizatus, cum possit vel ex parte suscipientis, vel ex parte conferentis aliquid deesse ad valorem Sacramenti necessarium, idem dicendum de Sacramento Pœnitentiæ.

Q. *Fuitne unquam aliquibus revelatum, remissa sibi fuisse peccata?*

R. Plurima habemus in Evangelio exempla, Paralytico, Zacchæo, Magdalenæ, Latroni ab ipso Christo facta est hæc revelatio: imo & Seraphico Patri nostro Francisco, ut testatur S. Bonaventura, *c.* 3. illius vitæ & nonnullis aliis.

Q. *Cujus est remittere peccata?*

R. Dei, cui remissio peccatorum propria est. *Ego sum*, inquit, *ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas*, Isai. 43. Quemadmodum enim a nemine, nisi a creditore, pecunia, quæ debetur remitti potest: ita, cum uni Deo peccatis obstricti simus, perspicuum est a nemine, præter illum, peccata nobis condonari posse. Unde ipsum quotidie oramus, *dimitte nobis debita nostra*.

Q. *Quibusnam Deus, hanc facultatem remittendi peccata concessit?*

R. Antequam Deus homo fieret, nulli creatæ naturæ a Deo talis potestas data est: Primus omnium Christus Salvator noster, ut homo, cum idem verus Deus esset, hoc munus a Patre accepit: *Ut sciatis*, inquit, *quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait Paralytico, surge, tolle lectum &c.* Matth. 9.

Q. *Videmus tamen Presbyteros in Ecclesia Dei peccata remittere?*

R. Verum est; sed hoc non a seipsis habent, sed ex Dei commissione. Christus propria auctoritate, cæteri vero, *Episcopi* nempe & *Sacerdotes*, ut ejus Ministri, peccata dimittunt. Ipsi soli sunt *dispensatores Mysteriorum Dei*, & ad ipsos solos diriguntur verba sequentia: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, Joan. 20.

Q. *Quos fructus ex hoc articulo colligere possumus?*

R. Cum nihil nobis salubrius contingere potuerit hac remittendi peccata potestate, quæ inexplicabilem Dei providentiam, summamque erga nos charitatem ostendit, immortales Deo gratias incessanter agere debemus, 2. cum homo per peccatum mortale, quidquid meritorum ex Christi morte & Cruce consecutus est, statim amittat, & omnino Paradisi aditu prohibeatur, fiatque æternæ damnationi obnoxius; protinus ad Sacramentum pœnitentiæ accedere debet, ne præoccupatus die mortis, quærat spatium pœnitentiæ, & invenire non possit. *Ne tardes*, inquit sapiens, *converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*, Eccli. 5.

Derelinquat igitur statim *impius viam suam, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, quia multus est ad ignoscendum*. Isai. 55. Hinc optime Catechismus Romanus:

„ Verum hoc loco admonendi sunt „ fideles ne tam ampla veniæ facultate proposita, quam etiam nullius „ temporis termino definiri declaravimus; vel ad peccandum faciliores, „ vel ad resipiscendum tardiores reddantur. In altero enim cum injuriosi & contumeliosi in hanc divinam potestatem manifeste deprehen-

„ dan-

„ dantur, *indigni sunt quibus Deus mi-* „ *sericordiam impertiatur.*

Unde magnopere *verendum est*, ne morte præoccupati frustra peccatorum remissionem quærant, quam tarditate, & procrastinatione merito amiserunt.

DE

INDULGENTIIS.

CUm per Indulgentias remittantur pœnæ peccatis confessis, seu quovismodo remissis debitæ, illasque irrideant, & rejiciant hæretici, operæ pretium duximus, in hoc articulo, de illis fusius discurrendi.

Q. *Quid est Indulgentia?*

R. Communiter definitur Indulgentia: *Relaxatio pœnæ temporalis debitæ peccatis jam remissis, facta ab eo, qui jurisdictionem habet cælestem Ecclesiæ Thesaurum dispensandi.* Dicitur, *relaxatio pœnæ*, quia per Indulgentiam non remittitur *culpa*, seu *peccatum*; hoc enim remittitur per Sacramentum Pœnitentiæ.

Dicitur, *pœna temporalis*, quia pęna æterna remittitur cum peccato mortali, & commutatur in temporalem, in hac vita, aut in Purgatorio luendam.

Dicitur, *peccatis jam remissis*, quia homo in mortali existens, inimicus Dei est, ac indignus remissione pęnæ.

Nota, quod cum homo pro peccatis laboriosæ pœnitentiæ adimplet opera, dicitur *satisfactio*. Dum vero pœna illi remittitur, *indulgentia* vocatur.

Q. *In quo consistit Thesaurus ille Ecclesiæ?*

R. Clemens Sextus in sua Constitutione, quæ incipit, *Unigenitus* &c. dicit primario, & principaliter conflari ex Jesu Christi meritis, & satisfactionibus: secundario, ex meritis, & satisfactionibus Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum omnium a primo ad ultimum.

Q. *Estne magnus hic Thesaurus?*

R. Maximus, itaut de ejus consumptione seu minutione non sit aliquatenus formidandum: nam primo Christi merita, & satisfactiones, *cum ipse sit Persona in omni genere perfectionis infinita*, conficiunt thesaurum undequaque inexhauribilem, & sufficiunt pro peccatis totius mundi.

Accrescit autem hic thesaurus ex meritis Beatæ Dei Genitricis, & omnium Electorum; nam etsi eorum opera quo ad vim *meritoriam* sint plene remunerata per gloriam æternam, non tamen quoad *satisfactoriam*; quia non omnes Sancti debebant tantum pęnarum, quantum persolverunt.

Quis enim credat Beatissimam Virginem, quæ nunquam peccavit: Beatum Joannem Baptistam, qui sanctissime vixit, operaque stupendæ pœnitentiæ exercuit, Apostolos, Martyres, Eremitas, aliosque sine numero, qui gravissima perpessi sunt, omnem suam afflictionem ex debito subiisse? cum ergo Deus nullum meritum relinquat sine præmio, nullum peccatum sine pœna, ita nec ullas Sanctorum satisfactiones permittit perire sine fructu: unde valor satisfactionum quibus Sancti non egebant, reservatur in Ecclesia, & ratione unionis inter membra Ecclesiæ, quod superfluum est uni membro, alteri est applicabile.

Q. *Si merita Passionis Jesu Christi sint infinita, nonne superfluæ sunt in Ecclesiæ Thesauro Sanctorum satisfactiones?*

R. Verum est quod Sanguis Christi effusus sit infiniti valoris, & sufficiens ad remissionem peccatorum totius mundi, unde credimus, & dicimus, quod *solus Christus lavit nos a peccatis nostris*

stris in sanguine suo, Apocal. 1. quod *Solus Christus est propitiatio pro peccatis nostris*, 1. Joan. 2. quod *Solus Christus semetipsum dedit Redemptionem pro omnibus*, 1. Timoth. 2. Non tamen idcirco inutiles sunt Martyrum, & Sanctorum satisfactiones, nec superfluæ, alia enim ratione ad Ecclesiæ spiritualem thesaurum conflandum concurrunt, quam Sanguis Christi, nec alio modo ad remissionem peccatorum nostrorum concurrunt, quam per modum *impetrationis*.

A Deo enim veniam nobis impetrant, obtinentque, ut Indulgentiæ ex Christi merito nobis applicentur, quatenus nempe Deus amicorum suorum suffragia pro nobis benigne accipit, illorumque intuitu nobis peccata, pœnasque peccatis debitas condonat, sicut intuitu orationis Moysis populo Israelitico pepercit, & merito Pauli 276. animas a perditione servavit, *Exod.* 32. *Act.* 27.

Docet itaque Clemens VI. Constitutione citata, *Unigenitus* &c. ad cumulum thesauri Passionis Christi, *Beatæ Dei Genitricis, & omnium Sanctorum merita adminiculum præstare*: Non quasi meritum Passionis Christi non sit copiosissimus, sufficientissimus, ac semper inexhaustus thesaurus, ex quo profundantur Indulgentiæ; aut Sanctorum meritis augeri, ac juvari debeat: sed quod Virginis Deiparæ, omniumque Sanctorum merita nobis adminiculum præstent, quo thesauri illius infiniti Dominicæ Passionis simus participes, reddendo nos aptos, quibus thesaurus meritorum Christi communicetur. Hujus vero rei causam arcessunt Theologi *ex Communione Sanctorum*, quam in Symbolo profitemur, qua fit ut in Ecclesia Dei, aliorum merita, & passiones, aliis, tanquam ejusdem corporis membris, applicari, & prodesse possint; ut sic aliorum abundantia sit aliorum inopiæ supplementum.

Q. *Quid Ecclesia credendum proponit circa Indulgentias?*

R. Declarat Tridentina Synodus, his verbis: *Potestatem eas conferendi, a Christo Ecclesiæ concessam esse, earumque usum Christiano populo maxime esse salutarem.*

Additque: *Retinendum illum, adhibita tamen moderatione, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur*, Seff. 25.

Q. *Quandonam Christus facultatem concessit dispensandi Indulgentias?*

R. Quando Christus Petro dixit: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*, Matth. 16. quibus verbis Christus Petro promittit supremam potestatem ad regendam & gubernandam Ecclesiam, & ad tollenda quælibet vincula, & obstacula, quibus homines impediri queunt ab ingressu Regni Cœlorum: quam potestatem postea actu tradidit post Resurrectionem, dicens: *Pasce oves meas*, Joan. 21. quæ verba sunt omnino generalia, nec restringuntur ad sola peccata, sicut illa Joannis 20. *Quorum remiseritis peccata*, sed extendunt se ad censuras, pœnas, & alia, quæ hominem quovis modo ligatum tenent, & remorantur a consecutione vitæ æternæ. Idem patet ex illis generalibus verbis Christi: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlis*, Matth. 18.

Q. *Qui possunt Indulgentias largiri?*

R. Summus Pontifex, & Episcopi. Ille quidem Plenarias, toto qua late patet Orbe Christiano: isti vero in Diœcesibus suis, & secundum mensuram Canonum: assumuntur enim in partem solicitudinis, singulis civitatibus quasi Judices propositi, propter quod eos solos in suis litteris Papa *Fratres* vocat, reliquos autem omnes vocat *Filios*. Et ideo cum Summus Pontifex universæ præsit Ecclesiæ, cum plenitu-

 dine

dine potestatis, *Indulgentias Plenarias*, ut dictum est, toto qua late patet Orbe Christiano, concedere potest, & pro ut vult, causa tamen existente legitima.

Quantum ad Episcopos, possunt Indulgentias concedere secundum quod eis est taxatum, & non amplius. Porro est Episcopo taxatum, ut possit solum dare Indulgentiam quadraginta dierum, auctoritate Papæ. Item in Dedicatione Ecclesiæ Indulgentiam unius anni.

Capite *cum ex eo* & extra de Pœnitentiis, & remissionibus, quod ex Concilio Lateranensi sub *Innocentio tertio* desumptum est, habetur: *Quia per indiscretas, & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur; & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedicatur* Basilica, *non extendatur Indulgentia extra annum &c.*

Q. *Contulerunt ne Apostoli Indulgentias?*

R. Imo Christus ipse plenissimam Indulgentiam dedit Latroni, his verbis: *hodie mecum eris in Paradiso;* & Magdalenæ, uti & Samaritanæ, & mulieri adulteræ, absque ulla satisfactione, quæ alias ipsis fuisset necessaria.

Quod autem pariter Apostoli Indulgentias concesserint, patet ex facto Pauli, qui scribens ad Corinthios, ait, se, *incestuoso illi Corinthio* pœnam ejus crimini debitam condonasse propter ipsos *in persona Christi*, perinde ac si Christus ipse condonasset, 2. *Corinth. cap.* 11. Hinc Indulgentiarum usus in Ecclesia est antiquissimus ab Apostolis ad nos usque perseverans, ut videre est apud Tertullianum, Cyprianum, Gregorium, Leonem &c.

Q. *In quo constitit Indulgentiarum utilitas. Per eas ne remittuntur etiam pœnæ debitæ in Purgatorio?*

R. Indulgentiarum utilitas in eo sita est, primo quod sit remissio pœnarum temporalium, laborumque pœnitentialium, sive per Confessarios in Sacro Tribunali impositorum, sive per Sacros Canones præscriptorum.

Secundo, quod non in foro dumtaxat Ecclesiæ, sed etiam apud Deum valeant, ut debitum pœnæ temporalis in futuro sæculo, hoc est in Purgatorio, subeundæ, per illas expungatur, & remittatur.

Hujus Ecclesiastici dogmatis veritas confirmatur: nam si Christus Petro dixerit; *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*, sequitur quod Papa habens auctoritatem Petri, relaxando per Indulgentias pœnas debitas peccatis, post remissionem culpæ in Sacramento Confessionis, debeant hujusmodi pœnæ esse remissæ & in Cœlis.

Constat igitur fructum Indulgentiarum ad futurum sæculum pertinere. Si pœnæ Purgatorii non solverentur per Indulgentiam a Papa concessam, non verificaretur promissio Christi: *Quidquid solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.*

Denique Christianos Ecclesia deciperet, *quod absit*, si pœnis satisfactoriis in hoc sæculo condonatis, & relaxatis, pęnas longe acerbiores in Purgatorio subire cogerentur.

Multo melius ageretur cum illis, si totam satisfactionem implere, pœnasque omnes canonicas præscriptas subire jussi, pœnas futuri sæculi redimerent.

Dicta confirmat Breve quoddam Nicolai V. datum Viterbii, pro Hospitali S. Spiritus de Urbe, in quo habetur: *Nos authoritate prædicta relaxamus in terris omnem pœnam, quam post lucem hujus sæculi pro peccatis purgandis pati mererentur, misericorditer in Domino relaxamus pariter, & indulgemus.*

Ita refert Cardinalis Laurea, Lib. 4. Sent. disp. 26. art. 7.

Q. *Quotuplex est Indulgentia?*

R. Ordinarie dividitur in Plenariam, & Partialem.

Ple-

Plenaria ea est, quæ remittit omnem pœnitentiam, seu pęnam, quæ secundum Dei judicium in Purgatorio erat exsolvenda.

Partialis ea est, per quam aliqua tantum pars ejusmodi pęnæ relaxatur.

Q. *Quid intelligendum venit per Indulgentiam* 40. *dierum, unius anni, mille annorum, sex, aut septem quadragenarum?*

R. Sciendum, quod antiquitus *Sacri Canones* assignarunt severas pęnitentias, a confessariis injungendas, secundum gravitatem, & numerum delictorum, v. g. jejunium in pane, & aqua per tot dies, per tot annos, & pro atrocissimis facinoribus, etiam per septem annos, quæ si centies v. g. & plus repeterentur, pęnitentia ad mille annos perdurare deberet, hoc est quod merito tales peccatores, ducentis v. g. blasphemiis enormibus, homicidiis &c. onorati, tenerentur ad pęnitentiam agendam per mille annos, si vita hominum ad tantum temporis spatium protraheretur.

Hoc supposito: quando conceditur Indulgentia unius anni, vel centum annorum, non designantur totidem anni, aut dies de *pœnis Purgatorii*, sed totidem anni, aut dies de *pœnitentiis*, per sacros canones *injunctis*. Adeoque Indulgentia centum annorum, tantum tollit durationis Purgatorii, quantum tolleret pęnitentia centum annorum.

Quanta autem hæc sit, nemini notum est, nisi soli Deo.

Observandum tamen, quod majores illæ pęnitentiæ in Canonibus expressæ, a publicis Confessoribus Pęnitentiariis, extra forum Sacramenti, pro peccatis, etiam non occultis, imponi poterant,

DE JUBILÆO.

Q. QUid est Jubilæum; & quæ ejus nominis origo?

R. Jubilæum est plenaria remissio, seu plenaria indulgentia omnium pęnarum temporalium peccatis debitarum, cum variis privilegiis & facultatibus in Bulla Summi Pontificis ordinarie expressis; ut sunt potestas absolvendi a casibus & censuris reservatis, commutandi vota, juramenta relaxandi &c. Quantum ad ethymologiam hæc vox *Jubilæum*, derivatur a voce Hebræa *Jobel*, quod proprie arietis *cornu* significat, seu *Buccinam*, vel *Tubam*, qua in veteri lege promulgabatur *annus Jubilæus* & remissionis populo Israelitico, juxta præscriptum Moysis, omni quinquagesimo recurrente anno. *Sanctificabis annum quinquagesimum, ipse est annus Jubilæus*, Levit. cap. 25. vers. 8.

Dixi *buccinam*, forte æneam, aut alterius materiæ, in forma *arietis cornu* confectam, quod nulla cavitate perfossum, non potuisset in tubam adhiberi in propria sua specie. Quidquid sit de nomine.

Q. *Quid proderat Judæis annus ille Jubilæus?*

R. In eo cessabant a laboribus agriculturæ; non arabatur, nec serebatur, nec metebatur; sed commode sustentabantur ex frugibus anni superioris, quos Deus triplo plures dabat.

2. Servi Hebræi, utcumque in servitutem incidissent, una cum uxoribus, & liberis, libertate donabantur. Exteri vero servi Jubilæi beneficio minime fruebantur.

3. Relaxabantur delicta.

4. Agri divenditi revertebantur ad antiquos possessores, & quilibet pristinam suam hæreditatem adibat. Cætera quæ ad annum Jubilæi spectant,

legi possunt in Levitico, cap. 25. & 27.

Q. *Quodnam fuit motivum Ecclesiæ instituendi Jubilæum?*

R. Aliqui volunt stabilitum fuisse Christianorum Jubileum, ad imitationem Synagogæ Judæorum. Sed ego potius crederem, ortum habuisse ab ipsis Summis Pontificibus, qui semper curarunt vanas Gentilium observantias, convertere in sacras cæremonias, pro augendo cultu divino.

Ut igitur abolerent *annum sæcularem centesimum*, quem Romani cum maxima solemnitate & pompa celebrabant, *Annum Sanctum* instituerunt, amplissimas concedendo Indulgentias fidelibus cunctis, qui Romam tenderent, Sanctos Apostolos Petrum & Paulum præcipuos Christianæ Religionis fundatores veneraturi.

Q. *Quis Pontificum primus Jubilæum instituit, pro ut nunc celebratur?*

R. *Bonifacius Octavus*, cum antiquorum fida relatione didicisset, Romam ad Basilicam Principis Apostolorum accedentibus magnas Indulgentias peccatorum esse concessas, anno 1295. indixit *Jubilæum* anno 1300. celebrandum, ut habetur in Cap. extra tit. de *Pœnitentiis & remissionibus*.

Clemens vero VI. anno quolibet quinquagesimo concedi voluit Christi fidelibus universis; attendens, quod annus quinquagesimus in lege Mosaica *Jubilæus* remissionis & gaudii, sacerque dierum numerus, quo lege *fit remissio*, censebatur, & quod pauci propter vitæ humanæ brevitatem ad *annum centesimum* valeant pervenire.

In quemlibet trigesimum tertium annum, universalem hanc Indulgentiam transtulit *Gregorius XI.* Ac tandem ad vigesimum quintum quemcumque annum *Paulus II. & Sixtus IV.* contraxere, Extra, *quemadmodum*, Tit. de Pœnit. & remiss.

Q. *Qui ritus & cæremoniæ observantur in Jubilæo Anni Sancti?*

R. Romæ, adveniente Anno Sancto, certi ritus & cæremoniæ observantur, quas hic breviter, prout legimus, referemus.

In Vigilia Nativitatis Domini, hora vesperarum, *Papa cum Cardinalibus*, Prælatis, & Officialibus decenter ornatis, & debito ordine dispositis, *Cruce præcedente*, pergit ad Capellam Palatii Apostolici, quam ingressus *genuflectit* ante Sacramentum, & cum reliquis omnibut orat.

Postea thurificata Hostia, præcinit Summus Pontifex hymnum *Veni Creator Spiritus*: & sic descendunt ad Ecclesiam Sancti Petri, cujus *Porta Sancta*, cum aliis Ecclesiæ portis adhuc eousque est clausa.

Ibi Papa e sella gestatoria descendit, & ad *Portam Sanctam* accedit, perrens manibus malleum, quo ter percutit murum portæ aperiendæ, terque præcinit hos versus: *Aperite mihi portas justitiæ*.

Interim Fabri murarii & ministri demoliuntur murum, *Pontifice orante*. Lapides autem & cæmentum muri disjecti, devote a Peregrinis & a Romanis rapiuntur.

Tandem Penitentiarii induti Sacerdotalibus ornamentis, sumpta aqua benedicta, lavant postes *Portæ Sanctæ*, qua aperta & lota, Pontifex Crucem accipit, & genuflexus ante *Portam Sanctam* præcinit *Te Deum laudamus*: Et sic intrat, comitante clero, & frequentia populi.

Mox mittit tres Cardinales Legatos ad aperiendas alias *Portas Sanctas* Ecclesiarum *Sancti Pauli*, *S. Joannis Lateranensis*, & *Sanctæ Mariæ Majoris*; qui singuli easdem fere cæremonias & preces adhibent in earum reseratione.

Hæ Portæ per totum annum Jubilæi manent *apertæ*, ut in hujusmodi Ecclesiis, omnes Christi fideles assidue consequi valeant plenariam peccatorum remissionem.

Ea-

Eadem solemnitate, qua murus fuit apertus, iterum clauditur, redeunte Vigilia Natalis Domini, *ipso Papa prius*, deinde *Summo Pœnitentiario* in limine *Portæ Sanctæ* jaciente calcem, trulla, seu cochleari argenteo, & ternos lapides ponente.

Quo peracto Murarii murum perficiunt: qui manet integer, usque dum alius *Annus Sanctus* redeat.

Nota, Portam ideo vocari *Sanctam*, quia illi, qui per eam, ut decet, intrant, obtinent *sanctitatem* & *gratiam*. Dum illa clauditur, lapides, calx &c. benedicuntur.

Q. *Potestne Pontifex extra dictum tempus concedere Jubilæum?*

R. Certe potest, neque enim arctatur ad certum tempus ejus potentia. Imo solet, post Jubilæum Romanum, uti & post suam coronationem, & item in gravi necessitate, vel persecutione Ecclesiæ, omnibus fidelibus concedere extraordinarium Jubilæum; ad quod lucrandum quædam opera exigit, quæ videnda sunt in Bulla, sedulo & accurate implenda.

Q. *Quæ opera in Jubilæo ordinarie præscribuntur?*

R. Sequentia communiter assignantur, *Jejunium*, *Eleemosina*, *Visitatio Ecclesiarum*, cum *Oratione*, *Confessione*, & *Sacra Communione*, quæ in eadem hebdomada facienda sunt.

Duæ autem hebdomadæ assignari solent; ut qui requisita facere non potuerit in prima, faciat in altera.

Q. *Differtne multum Indulgentia plenaria a Jubilæo?*

R. Quo ad substantiam, seu quo ad effectum remissionis totius pœnæ, tanti & non pluris valet *Jubilæum*, quam Indulgentia plenaria.

Differunt tamen quo ad jurisdictionem & amplissimam facultatem, quam Summus Pontifex concedit Confessariis quibuslibet approbatis absolvendi a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, dispensandi in votis, ea commutandi, exceptis tamen *votis castitatis*, & *Religionis amplectendæ*, eligendi Confessarium &c.

Hac ratione fideles merito *Jubilæum* præ cæteris *Indulgentiis* magni æstimare debent.

Q. *Perseverantne aliæ Indulgentiæ in vigore suo, tempore Jubilæi?*

R. Minime. Durante enim anno Jubilæo, suspenduntur per universum orbem extra Romam omnes omnino *Indulgentiæ Plenariæ concessæ vivis*, etiam in carceribus detentis; quibuscumque Ecclesiis, Congregationibus, & personis Ecclesiasticis, ac sæcularibus annexæ sint, ita ut durante hoc anno, nullum effectum habeant, & hoc ne *Jubilæo Romano* sint impedimento, ut patet ex Extrav. *Quemadmodum*; & ex Bulla *Gregorii XIII.* quæ incipit: *Quoniam Sancti Jubilæi.*

Excipiuntur tamen Indulgentiæ partiales, item plenariæ concessæ in articulo mortis, item pro defunctis, ex declaratione *Urbani VIII.* facta anno 1650. Interrogatus enim in quodam examine Episcoporum, quidnam vellet determinatum de Indulgentiis pro defunctis, & in *articulo mortis*; Respondit, *non esse revocatas a se*: cum Jubilæo Romano non obstent. Et hoc idem declarasse fertur *Benedictus XIII.* anno 1725.

Una autem cum Indulgentiis suspenduntur aliæ facultates, v. g. absolvendi a peccatis reservatis, commutandi vota, dispensandi &c. quæ propter dictas Indulgentias lucrandas, vel in ordine ad eas, a Sede Apostolica sunt concessæ.

DE

CELEBRI INDULGENTIA PORTIUNCULÆ.

Q. *Quid est Indulgentia Portiunculæ?*

R. Est Indulgentia concessa *a Christo Jesu Salvatore Nostro*, cuidam sacello in partibus vallis Spoletanæ sito, non longe extra muros Civitatis Assisii.

Sacellum hoc ædificatum est anno 513. devotione ac labore *quatuor Eremitarum, qui ex Palæstina venerant in Italiam*, ibique pedem fixerant.

Plurima sortitum est nomina. 1. Vocatum est Sacellum *B. Mariæ de Josaphat*, propter quasdam Reliquias, quas præfati Eremitæ secum tulerant ex *Valle Josaphat*, & eidem sacello concesserant.

2. Sacellum de *Portiuncula* dictum est; ob suam parvitatem, aut potius ex loco qui *Portiuncula* ob loci, seu fundi angustias dicebatur.

3. Sacellum *B. Mariæ Angelorum*, quia Altare in eo erectum erat in honorem Beatissimæ Mariæ Virginis Angelorum ministerio *in Cœlum Assumptæ*, quam Assumptionem antiqua pictura repræsentabat, licet ea quæ modo extat, Annunciationis mysterium exhibeat.

Tractu temporis Sacellum illud ad *Benedictinos* de monte Subasio pervenit, quod cum *Franciscus* derelictum & desertum videret, illud reparavit, ob devotionem ferventem, quam habebat erga Cęlorum Reginam. Quod postea ab Abbate præfatorum Benedictinorum, pro se, & suis fratribus obtinuit.

Q. *Quomodo, & qua ratione Christus Indulgentiam huic loco concessisse narratur?*

R. Cum nocte quadam B. Franciscus oraret in habitaculo suo supradictæ Æediculæ proximo, significatum est ei divinitus, in ipsa Ecclesia esse *Dominum Jesum ejusque Sanctissimam Matrem*, & multitudinem Angelorum. Ingressus Sacrum Delubrum, maxima qua potuit potuit pietate Christum adoravit, qui ipsum servum suum admonuit, ut ab eo aliquod beneficium peteret, pro salute hominum.

Tunc Franciscus adjutus patrocinio Mariæ, cujus opem imploraverat, supplex petiit, ut *omnibus Ecclesiam illam introeuntibus concederet veniam*, & Indulgentiam *omnium peccatorum suorum, quorum Confessionem sacerdoti fecissent*.

Respondit Dominus, id *sibi placere*; præcepitque illi, ut *ejus Vicarium adiret, & ab eo* suo nomine *illam Indulgentiam postularet*.

Q. *Quid egit post hac B. Franciscus?*

R. Perusiam se contulit, ubi tunc erat Summus Pontifex *Honorius tertius*, cui mandatum exposuit, rogans ut quod placebat Christo, id ipsi non displiceret. Intelligens Pontifex divinam voluntatem, respondit: *Placet mihi quod habeas; fiat in nomine Domini*. Concedo igitur *Indulgentiam Plenariam, liberam perpetuam*, sed unius dumtaxat diei naturalis, *cujuscumque anni*.

Cum vero diem non determinasset, & Franciscus redux ad Portiunculam, Capellam intrasset, apparuit ei denuo *Jesus Christus cum Maria Virgine Matre sua*, comitantibus Angelis. Tunc Franciscus humi prostratus dixit: *Sanctissime Pater, Salvator Generis humani, digneris propter magnam misericordiam tuam* decernere diem *Indulgentiæ huic loco per temetipsum concessæ*.

Tum Christus respondit: *Volo sit dies illa, in qua Petrus Apostolus meus fuit a vinculis solutus*, incipiendo a secundis vesperis illius diei, usque ad vesperas sequentis, includendo noctem intermediam; *quo tempore, quicumque hanc Ecclesiam ingressus fuerit, plenam quam postulasti, Indulgentiam obtineat*.

Hoc

Hoc cum rescivisset *Honorius* tam ab ipso Beato Patre Francisco, quam a sociis ejus, Christi apparitionis, & diei ab eo determinatæ *testibus fide dignis*, Indulgentiam pariter lucrandam *a vesperis Kalendarum Augusti usque ad vesperas sequentis diei* designavit.

Q. *Quomodo demonstrari potest, Indulgentiam illam fuisse a Jesu Christo concessam?*

R. Veritas hujus concessionis probatur ab ipsomet Beato Francisco, qui eam promulgavit; a sociis ejus probitate vitæ notoria præditis, qui apparitioni Christi *in Capella Portiunculæ* interfuerunt, & colloquium audierunt, & testimonium reddiderunt Summo Pontifici *Honorio*, quomodo Christus B. Francisco dictam Indulgentiam concesserat: *In ore enim duorum aut trium testium stat omne verbum.*

Hi sunt F. Bernardus de Quintavalle, F. Leo, F. Petrus Cathaneus, F. Massæus Marignani, Frater Angelus de Reate, Frater Philippus Longus, &c.

2. Probatur testimonio septem Episcoporum, qui de mandato *Honorii* Papæ Indulgentiam de Portiuncula publicarunt, qui volentes illam restringere ad decem annos, vi divina moti, in *perpetuum*, uno ore clamarunt. Cujus rei seu miraculi testes quam plurimi authenticum testimonium reddidere.

3. Probatur miraculis in confirmationem hujus veritatis patratis: item perpetua traditione: item decretis Capitulorum Generalium: item variis diplomatibus Summorum Pontificum post *Honorium*, qui illam Indulgentiam admiserunt, confirmarunt, & ad eam lucrandam fideles hortati sunt.

Historiam Portiunculæ referunt gravissimi Authores antiqui, inter quos Franciscus Fabrianus, Joannes Alvernicola, Theobaldus Episcopus Assisiensis, Corradus pariter Episcopus Assisiensis, Rodulphus, Bartholus, Pisanus, VVadingus, Sedulius, Benedictus a Tullo, Mathias Grouxvels, Octavius a Sancto Francisco Episcopus Assisiensis, & plurimi Historici exteri. Hi omnes satis ample probant Indulgentiam Portiunculæ fuisse a Christo Domino concessam. Ad illos recurre.

Q. *Cur S. Bonaventura in descriptione vitæ S. Francisci historiam Portiunculæ prætermisit?*

R. Non desunt qui oppugnant hanc Indulgantiam, *ut a Christo concessam*, ex silientio *S. Bonaventuræ*, qui naturaliter, *ajunt*, rem tanti momenti, *supposita ejus veritate*, omittere non debebat. Sed ultra quam quod argumentum negativum nihil probet; Dico, quod Sanctus Bonaventura non omnia retulerit quæ ad laudem Seraphici Patris faciunt, ut ipse in Prologo fatetur, dicens se *quædam fragmenta, partim neglecta, partim dispersa utcumque collegisse.*

Si tot & tanta tacuit, quid mirum si Indulgentiam portiunculæ omiserit, quæ publicissima erat, & a nullo oppugnata, & in controversiam adducta,

Alia ratio istius silentii esse potuit? ut se intentioni S. Francisci strictius conformaret, qui hanc cœlestem gratiam scriptis evulgare, argumentisque probare vetuerat, saltem usque ad aliquod tempus, dicens, *Christum Dominum opus suum per seipsum divulgaturum, ac magnificaturum.* Licet paulo post mortem ipsius, Socii sui, qui *testes fuerant* hujusce prodigii & gratiæ, Legendam vitæ ejus scribentes, modum obtentæ Indulgentiæ narratint.

Diploma obtentæ ndulgentiæ confirmativum, ab *Honorio tertio* oblatum, recusaverat Seraphicus Pater, confidentia in Deum plenus; declarando, se nolle aliud instrumentum præter Christum, neque alios testes, præter Beatissimam Virginem, & Angelos.

De his plane edoctus S. Doctor Indulgentiam Portiunculæ prætermisisse potuit, ut pote, a præcone Christo per

universum Christianum orbem, *modo mirabili*, promulgatam, sicque omnibus notam.

Q. *Estne Indulgentia Portiunculæ quotidiana?*

R. Notandum, quod Sacello Portiunculæ, in quo Christus se visibilem præbuit Francisco, eleemosinis Principum superædificata est prægrandis Ecclesia, in cujus medio fornix pulcherrima exurgit, sub qua *idem sacellum* adhuc illæsum perseverat, quemadmodum Lauretanum in sua.

Si de illa magnifica Ecclesia sermo sit, ibidem re ipsa inest *Indulgentia Plenaria quotidiana*, concessa anno 1695. ab *Innocentio XII.* ad hoc inducto precibus omnium ferme totius Europæ Principum, quos *Religiosissimi Patres de Observantia* ad tantum beneficium postulandum fervidis instantiis excitaverant. Si vero de *Sacello Portiunculæ* agatur; cum S. Franciscus illam obtinuerit Indulgentiam, solum pro *secunda die mensis Augusti*, clarum est, quod ibidem non sit *quotidiana*. Et iea declaravit Sacra Congregatio, Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita, sub die 16. Februarii 1739. *Nempe Indulgentiam Portiunculæ esse præcise affixam* diei secundæ Augusti, *eamque incipere a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei*. Indulgentiam vero quotidianam, *concessam ab Innocentio XII. visitantibus Ecclesiam Sanctæ Mariæ Angelorum* non esse eamdem *cum præfata Portiunculæ &c.*

Q. *Quæ differentia est inter Indulgentiam Portiunculæ, & Innocentianam?*

R. Inæqualitas istarum Indulgentiarum in sequentibus punctis consistit.

1. Indulgentia Portiunculæ tantum durat per unum diem naturalem, a vesperis scilicet Kalendarum Augusti ad vesperas diei sequentis: Indulgentia vero ab *Innocentio XII.* concessa non ad unum diem restricta est, sed extensa ad singulos anni dies, ut constat ex Bulla: *In quocumque anni die &c.*

2. Ad acquirendam Indulgentiam *portiunculæ* necessarium est visitare sacrum Sacellum, non vero pro nova *Innocentiana*, pro qua lucranda sufficit intrare prægrandem Ecclesiam S. Mariæ Angelorum: unde si quis secunda die Augusti in ampla illa Ecclesia existens, Ædiculam præfatam non ingrederetur, Indulgentiam *Portiunculæ* non consequeretur, prout declaravit *Clemens XI.* anno 1706.

3. Sola confessio sufficiens est pro primaria adipiscenda: pro secunda autem requiruntur, 1. *vera Pœnitentia*, 2. *Confessio*, 3. *sacra Communio*, 4. *devota visitatio*, 5. *ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pia ad Deum oratio*. Hæ conditiones claris verbis exprimuntur in *Bulla Innocentiana*, quæ incipit, *Redemptoris & Domini* & quarum, si quis vel unicam, *quod recte observandum*, omittat, Indulgentiæ Plenariæ non consequetur effectum.

4. Indulgentia *Portiunculæ* ad omnes Ecclesias Ordinis Franciscani extenditur: *Innocentiana* vero in sola Ecclesia Angelorum recluditur.

5. Illa, quam Christus ad preces S. Francisci concessit, non revocatur tempore Jubilæi, sed integra manet: *Innocentiana* vero, cum aliis a Pontificibus concessis, eo anno suspenditur.

6. *Prima* acquiri potest pluries in eodem die, seu toties quoties quis Ædiculam visitat, ut ex praxi colligitur: Nec talem antiquum usum reprehendit Ecclesia, ut videtur in decreto Sacræ Congregationis Concilii 17. Julii 1700. *Alia* semel *tantum*, juxta ordinationem Sacræ Congregationis Indulgentiarum.

7. *Illa* applicari potest animabus in Christo defunctis, ut certo constat ex Bulla Innocentii VI. *Alias felicis recordationis &c. ultima* solum vivis prodest.

deſt, iis ſcilicet, qui ad prædictam Eccleſiam Angelorum confluunt, & ibi orant &c. ut expreſſis terminis Bulla indicat: Pro defunctis enim cum nihil exprimatur, fructus Indulgentiæ ipſis non applicatur: Indulgentiæ enim ſolum proſunt iis, pro quibus Pontifex applicat de Theſauro Eccleſiæ ſatisfactiones Chriſti & Sanctorum: atqui *Innocentius* ſolum applicat fidelibus utriuſque ſexus ad Eccleſiam S. Mariæ Angelorum confluentibus, qui certe ſunt vivi illi, & non animæ exiſtentes in Purgatorio, ergo &c.

Q. Suſpenditurne etiam cum aliis Indulgentia Portiunculæ tempore Jubilæi Anni Sancti?

R. Indulgentia illa, quatenus *in loco Portiunculæ* prope Aſſiſium obtineri ſolita, non ſuſpenditur, cum ipſemet Chriſtus Jeſus eam, & quidem in *perpetuum* impertierit. Suſpenduntur ſolum illæ, quæ a Sede Apoſtolica proficiſcuntur, ut apparet in Bulla ſuſpenſiva Indulgentiarum *Innocentii X.* At Indulgentia Portiunculæ non ſolum a Sede Apoſtolica, ſed etiam a Chriſto conceſſa eſt.

Hanc eamdem quæſtionem movet & reſolvit *R. P. Bertrandus Loht.* Ordinis *Prædicatorum*, S. Theologiæ Doctor, in reſolutionibus Theologicis, *Tract. 21. de Jubil.* art. 6. *Petes*, inquit, *quid cenſendum de Indulgentia Portiunculæ, quam Chriſtus conceſſit Sancto Franciſco pro omnibus illam viſitantibus*? Et reſpondet, *non cenſeri ſuſpenſam tempore Jubilæi*?

Quod quidem probatur primo, ex congruentia: *quia non decet Indulgentiam* a Deo conceſſam immediate, a *Pontifice revocari, vel ſuſpendi: quia non poteſt ambigi de ſufficientia cauſæ, nec de plena poteſtate dantis.*

2. Ex tenore verborum Bullæ Jubilæi: *quia Pontifices ſuſpendunt Bullas per ſe, vel per anteceſſores ſuos conceſſas. Illa autem non eſt per Pontificem aliquem conceſſa*, ſed a Deo; *confirmata autem a* Papa.

Nota tamen ſuſpendi extenſionem illius Indulgentiæ ad totum ordinem S. Franciſci, quia extenſio eſt a Summo Pontifice.

Q. Poteſtne ſaltem Papa, ſi vellet, Indulgentiam hanc Portiunculæ ſuſpendere?

R. Cum plenam, *ut Chriſti Vicarius*, habeat in Eccleſia Poteſtatem, nec Indulgentiam illam abſolute Chriſtus conceſſerit, ſed ſolum cum dependentia ſummi Pontificis, indubitatum eſt, quod hic poſſit illam ſuſpendere, gravibus maxime de cauſis, ut dum graſſantur peſtilentiæ, fames, bella, aut alia tempora periculoſa. Ipſe enim, ut bonus Paſtor, Oves ſibi commiſſas conſervare, non eas morti tradere, aut exponere debet, ut certo certius eveniret, ſi in præfatis tribulationibus, populorum ad hanc Indulgentiam lucrandam undique concurrentium congregationem non impediret. Factum eſt, ut anno 1743. dum acerbæ peſtis ardor Meſſinam, Regnumque Neapolitanum inficeret, ſuſpenſa remanſerit, & perſeverantibus iiſdem, aut ſimilibus cauſis adhuc ſuſpenſa fuerit anno 1744. ex decretis Sanctiſſimi Domini noſtri *Benedicti XIV.* feliciter regnantis.

Qui plura vult de hac celeberrima Indulgentia, num ſcilicet quotidiana ſit nec ne; legat Epiſtolam Paſtoralem ad Clerum & Populum, Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Octavii Comitis de Ringhieria Epiſcopi Aſſiſienſis, una cum Apologia ejuſdem Epiſtolæ.

CARNIS RESURRECTIONEM.

Q. QUid est Resurrectio hominis? & an sit possibilis?

R. Est ejusdem creaturæ rationalis ad eum statum, unde ceciderat, revocatio, seu surrectio consistens in iterata unione animæ, & corporis. Possibilem esse negarunt quidam hæretici, voluptatibus addicti, sed quare Deus qui ex nihilo res fecit, non posset cadentes rursus suscitare? an plus est reficere quam facere? an forte minus est potens Deus post factum, quam ante? Homo antequam esset, erat creabilis, quare ad nihilum redactus non esset recreabilis?

Q. *Etne vere futura generalis mortuorum resurrectio?*

R. Verissime. Est articulus fidei, in veteri & novo Testamento clare expressus. Præter id quod habetur in Symbolo: *Exspecto resurrectionem mortuorum*, S. Job expressis verbis habet: *Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum*, Job. 19. Æque aperta sunt testimonia libri secundi Machabæorum capite septimo, ubi unus ex pueris ab Antiocho cruciatus ait: *Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vita resurrectione suscitabit*. Legatur totum illud caput.

In novo vero Testamento hæc veritas probatur.

1. Ex promissione Christi: *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurectionem judicii*, Joann. 5.

2. Ex Apostolo: *Omnes quidem resurgemus... in momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti*, 1. ad Corinth. 15.

Q. *Futura hæc mortuorum resurrectio fuitne aliquibus miraculis comprobata?*

R. Ita sane. Plures a mortuis miraculose suscitatos jam fuisse, vetus novumque Testamentum, & certissima Historiæ Ecclesiasticæ monumenta testantur.

In veteri Testamento resuscitati leguntur, Filius Sareptanæ Viduæ per Eliam, 3. *Reg.* 17. & Filius Sunamitidis per Elisæum, 4. *Reg.* 4. *&c.*

In novo Testamento resuscitati leguntur, Filia Principis, *Matth.* 9. Filius viduæ in Naim, *Luc.* 7. Lazarus, *Joann.* 11. Christus, *Matth.* 28. Passionis Christi tempore multa corpora Sanctorum surrexerunt, *Matth.* 27. Thabita Joppensis a Petro excitata, *Act.* 9. Eunuchus a Paulo resuscitatus, *Act.* 20.

Q. *Habenturne etiam exempla in historia Ecclesiastica?*

R. Quamplurima, & indubitata. Beatissima Virgo Maria post mortem corpore & anima in Cœlum assumpta est.

S. Stanislaus Episcopus Cracoviensis, S. Franciscus, S. Antonius, & multi alii Viri Sancti ad vitam nonnullos revocarunt.

Q. *Potestne resurrectio mortuorum aliqua similitudine explicari?*

R. Paulus ipse sequentem suggerit similitudinem: Cuidam enim ab eo quærenti, quomodo resurgerent mortui; sic respondit: *Insipiens quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur, & quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum: Deus autem dat illi corpus sicut vult... sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione &c.* 1. Corinth. 15.

Hoc discursu indicat Apostolus, quod si Deus potest addere quod non erat in semine, multo magis potest in resurre-

ctio-

ctione reparare quod erat in hominis corpore.

Q. *Suntne aliæ similitudines?*

R. Multæ aliæ adduci possunt; sed brevitas operis impedit: dies in noctem moritur, & rursus cum sole reviviscit. Anni tempestates, arbores, flores quotannis intereunt, & veluti resurgunt. Terra suscepta semina uberiora restituit &c.

Q. *Quæ sunt rationes, quibus, mortuorum resurrectio persuaderi potest?*

R. Prima petitur ex immortalitate animarum, & earum ad humana corpora propensione: hinc colligitur præter naturam esse, ut a corporibus sejunctæ perpetuo maneant.

2. Petitur ex justitia Dei: cum enim corpora sint animarum instrumenta ad bona vel mala opera; conveniens est, ut una cum animabus præmio, aut pœna afficiantur.

3. Petitur ex felicitate hominis per Christum parta, quæ plena, & perfecta esse non potest, quamdiu anima sejuncta est a corpore.

Q. *Cur in Symbolo carnis potius quam hominum Resurrectionem profitemur?*

R. Cum animam plurimis Sacrarum litterarum testimoniis immortalem esse constet, solius carnis suscitandæ mentionem in hoc articulo fecerunt Apostoli, ne quis forte animam simul cum corpore interiisse, & utramque in vitam revocari existimaret.

Q. *Resurgentne omnes omnino homines?*

R. De fide est omnes, & singulos homines, sive justos, sive malos esse resuscitandos. *Sicut in Adam omnes moriuntur*, inquit Apostolus, *ita & in Christo omnes vivificabuntur*, 1. Corint. 15.

Probatur etiam hæc veritas ex illo Joann. 5. *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei &c.* sed non possunt omnes audire vocem, nisi omnes resurgant.

Q. *Quare ergo Propheta Regius asserit homines damnatos non resurrecturos*, dicens: *Non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum*, Psal. 21. & Daniel: *Multi de his qui in pulvere dormiunt, evigilabunt*, cap. 12. Si *multi* igitur non *omnes*; quid ad hoc?

R. Propheta solum vult impios non resurrecturos ad vitam beatam, sicut justi, ut textus ipse indicat. Ad secundum dico, quod li *multi* significat *omnes*, Sic enim pluribus in locis S. Scripturæ sumitur. *Unius delicto multi mortui sunt*, ad Rom. 5. *Qui pro vobis ac pro multis effundetur*, Matth. 26. deinde *omnes* sunt *multi*.

Peccatores autem resurrecturos, constat ex diversis aliis textibus. *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem... statuet oves a dextris, hædos a sinistris*, Matth. 25. *Procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala in resurrectionem judicii*, Joann. 5.

Q. *Finis resurrectionis est, ut referat unisquisque pro ut gessit in corpore, sive bonum, sive malum*, 2. Corinth. 5 *nonne inde sequitur infantes non resurrecturos?*

R. Respondeo, finem Resurrectionis esse quidem ostensionem divinæ justitiæ, & liberalitatis Dei, præmiantis, & punientis; non est tamen tota ratio futuræ resurrectionis. Divinæ est, insuper ordinationis decretum, quæ conjungendo animam rationalem corpori, per hoc decrevit illud corpus perpetuo vivificari.

Hoc duplici titulo pueri resurgere habent: sunt enim gloriæ capaces, & pœnæ, *saltem damni*, si cum originali decedant, licet nihil in proprio corpore meruerint, vel demeruerint, judicabuntur tamen secundum ea quæ circa eos ab aliis sunt facta, vel omissa, in quantum sunt ab aliis baptizati, vel non. Unde non secundum gesta propria

prie judicabuntur, sed pro peccato originali, vel carentia ejus.

Deinde, sicut corpus separatum est ab anima propter divinam sententiam, quæ respiciebat culpam, ita rejungatur animæ necesse est, propter divinam dispositionem.

Q. *Abortivi, qui in utero materno moriuntur, resurgentne & ipsi in judicio? idem quare de monstris.*

R. Abortivi animati, cum propriam habeant animam rationalem, ab anima matris distinctam, & consequenter cum etiam ipsi in Adamo moriantur, per Christum quoque vivificari debent. De monstris vero, non omnino a specie humana declinantibus, idem sentiendum reor, quod sicut morti, ita & resurrectioni subjacent. Sed de hoc in sequenti quæstione.

Q. *Quid est monstrum?*

R. Est homo habens difformitatem toti humanæ speciei extraneam: & dicitur *monstrum*, quia ex novitate rei *monstrari* dignum est.

Monstra ad duo genera reducuntur. Vel enim declinant a toto in sua specie, ut si nullum humanum membrum haberent, & de his non est quæstio: vel solum declinant in parte, ut cum aliquo membro carent, vel cum duplicatis nascuntur, vel cum aliquo membro alterius diversæ speciei. Monstra omnia in parte a specie humana declinantia, si anima rationali prædita fuerint, resurgent, & quidem in forma, & perfecta natura humana.

Si monstrum geminum fuerit, & animabus geminis instructum, duo homines, & quidem sejuncti resurgent: si anima una solummodo, unus tantum homo reviviscet.

Q. *Resurgentne homines cum eodem corpore, & deformitatibus, si quæ inessent?*

R. Suscitandum esse uniuscujusque corpus asserit Apostolus: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*. Pronomen *hoc*, proprium corpus aperte demonstrat: Et certe cum resurrectio futura sit, *ut referat unusquisque propria corporis pro ut gessit, sive bonum, sive malum*, hominem in proprio corpore resurgere oportet, ut cum eodem præmia, aut supplicia æterna perferat.

Quoad difformitates accidentales, an cum eis reproborum corpora debeant resurgere, incertum est, asserentibus aliquibus Patribus, negantibus aliis: omnia vero Electorum corpora absque ullo vitio futura, communis est opinio.

Sanctus Fulgentius, *Lib. de Fide ad Petrum, cap. 3. n. 37.* censuit impiorum corpora non esse immutanda, & eam immutationem, de qua Paulus 1. Cor. 15. v. 52. *Et nos immutabimur*, ad justos tantummodo pertinere.

Impii quidem, addit, ut justi resurgent: at in ea felicissima renovatione, nullam partem obtinebunt. Eadem quam ab ortu duxerunt, infirmitate, & corruptione opprimentur: ideo nihilominus tormentorum vi non interficientur, ut eorum pœnis diutius obruantur.

Vermis, quo vorabuntur, non occumbet; ignis quo adurentur, non extinguetur, quo etiam igne velut sale perfundentur, ut aliqua ratione incorruptibiles fiant: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur*, Matth. 9. v. 48.

Omnia vero electorum corpora absque ullo vitio futura, communis est opinio. *Nulla*, inquit Augustinus, *ibi erit difformitas, ubi & quæ parva sunt corrigentur, & quod minus est quam decet, unde creator novit, inde supplebitur, & quod plus est quam decet, materia servata integritate detrahetur*, Lib. 22. de Civit. cap. 19.

Q. *In qua ætate, & statura mortui resurgent?*

R. Omnes, tam electi, quam reprobi, in eadem ætate resurgent, in qua

Chri-

Christus mortuus est, & resurrexit, *cujuscumque ætatis mortui fuerint*. Et hoc evidenter deducitur ex eo quod dicit Paulus: *Occurremus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, Ephes. 4. Omnes igitur resurgent in ætate, & cum constitutione, statura, seu habitudine corporis annorum triginta trium circiter, quæ est ætas plena, & perfecta, & in qua Christus passus: & in qua etiam primi Parentes nostri fuerunt creati.

Q. *Resurgentne omnes in proprio sexu?*

R. Aliqui dixerunt solam Beatissimam Virginem in sexu fæmineo resurrecturam, propter excellentiam suam, quia Mater Christi: alias vero mulieres in sexu virili resurrecturas; male intelligentes verba Pauli: *Occurremus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, cum in Scripturis nomine *viri* sæpius intelligatur *homo*, sive masculus sit, sive fæmina; ut v. g. *Beatus vir qui timet Dominum &c.*

Nos vero dicimus cum communi Theologorum, quod vir resurget in forma viri, & fæmina in forma fæminæ. Et constat ex Scriptura, quæ ait: *Masculum, & fæminam creavit eos*. Gen. Ex quibus verbis infertur sexum fæmineum non esse vitium, quoniam a Deo factus non fuisset, sed ex natura. Consequens igitur est, ut qui utrumque sexum fecit, utrumque reficiat.

Denique Christus interrogatus a Sadducæis, qui resurrectionem negabant, cujus septem fratrum futura esset uxor, quam singuli successive habuerunt; respondit. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur*: at si nulla esset post resurrectionem futura mulier, facilius illorum errorem destruxisset, dicens, non esse futurum muliebrem sexum post resurrectionem.

Verum illud non dixit, sed hoc: *Non nubent, neque nubentur*. Nuptias ergo post resurrectionem negavit, non sexus varietatem.

Q. *Nonne erit frustraneus sexus fæmineus in Resurrectione?*

R. Certe non erit. Licet in ordine ad nuptias, quæ ibi amplius non celebrabuntur, frustraneus ideo videatur, erit tamen ad decorem, & ornatum personarum, quæ in sexu fæmineo Deo servierunt: & ad confusionem eorum, qui in eo offenderunt. Et quamvis mulieres probabiliter futuræ sint nudæ, sicut viri, in Paradiso; non tamen erit confusio, aut erubescentia, quia nulla erit ibi libido, quæ est causa confusionis & erubescentiæ. Primos Parentes in Paradiso terrestri nuditatis non pudebat: Quare? quia integerrima innocentia decorabantur. Ita & Beatis in cœlo continget, qui mentis acie in Dei magnitudinem, sapientiam, & bonitatem prorsus intenti, puritate, & innocentia longissime perfectissima ditabuntur.

Q. *In quo loco fiet Resurrectio?*

R. Aliqui dicunt, omnium mortuorum cineres congregandos esse in vallem Josaphat ab Angelis: ut ibi ad vocem imperiumque Christi resurgant universi, juxta illud Joelis cap. 3. *Congregabo gentes, & deducam eas in Vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel*. Alii asserunt corporum resucitationem faciendam esse ubi sepulta jacent, seu in iisdem locis, in quibus mortuorum cineres reperiuntur, vel eorum major pars, quod est conformius Sacræ Scripturæ, in qua dicuntur mortui evocandi ex suis sepulchris, ut Joan. 5. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei*. Et Ezechielis 37. *Aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris*. Audita voce Filii Dei *surgite mortui, venite ad judicium*: statim corpora vivificabuntur, quæ postea ad locum judicii procedent per Angelos transportata.

Q.

Q. *In qua die, & in qua hora fiet Resurrectio?*

R. Licet, ut Christus asserit, *de die illa, & hora nemo sciat, neque Angeli cœlorum*, Matth.24. Subtilissimus tamen noster Scotus existimat futuram Resurrectionem in ea hora, qua Christus resurrexit, vel qua judicatus est a Pilato, vel qua expiravit in Cruce, *in 4. dist.* 43. *q.* 3. S. Anselmus positive asserit in Elucidario, quod fiet hora qua resurrexit Christus, qui est exemplar resurrectionis nostræ, & sic quod fiet die Paschatis, hora diurna, ac matutina, nempe diluculo.

Q. *Scriptura tamen insinuare videtur, non diurnam, sed nocturnam fore Resurrectionem*, ut: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit*, Luc. 18. *Dies Domini sicut fur in nocte*, Thessal. 5.

R. Respondet Scotus, hos, & similes textus exponendos esse pro *incertitudine*, quod nimirum tunc veniet Christus ad judicandum, cum minus de adventu ipsius homines cogitabunt: & ad modum operandi furis. Imo convenire, *inquit*, videtur, ad confusionem reproborum, qui videbuntur & ab invicem, & a bonis, ut sint in loco illuminato, & consequenter ut in loco Resurrectionis, & judicii non sint tenebræ mediæ noctis.

Deinde cum in aliis locis, ubi fit mentio judicii universalis, semper dies appelletur, *ut nescitis diem*, Luc. 10. *Dies Domini*, Thessal. 5. *Resuscitabo eum in novissimo die*, Joann. 6. & ipsa Ecclesia canat: *Dies iræ, dies illa solvet sæculum in favilla*, concludendum est, probabilius esse Resurrectionem generalem *diurno tempore* esse futuram, non autem *nocturno*.

Q. *Tuba illa, quæ mortuos convocabit, eritne materialis?*

R. Minime, sed erit magna quædam vox, ministerio Angelorum formata. Dicitur *Tuba*, propter similitudinem Tubæ materialis veteris Testamenti, qua fiebat vocatio ad consilium, præparatio ad bellum, & invitatio ad festum: quia tunc omnes congregabuntur ad judicium: *& armabitur creatura in ultionem inimicorum*, & invitabuntur justi ad festum Angelorum.

Q. *Corpora post resurrectionem subjacebuntne iterum mortis legibus?*

R. Nequaquam, sed erunt omnium corpora *immortalia*, tam bonorum, quam malorum: *Mors ultra non erit*, Apoc. 2. Divinæ justitiæ consentaneum fuit, ut boni beata vita perpetuo fruerentur; mali vero sempiternas pœnas luentes, *quærerent mortem, & non invenirent: optarent mori, & mors fugeret ab eis*, Apoc. 9.

Q. *Eruntne Corpora Sanctorum post resurrectionem ejusdem conditionis, ac ante?*

R. Præter immortalitatem communem, præclaris nobilibusque ornamentis insignita erunt, quæ a Patribus Dotes appellantur.

R. Quatuor præcipue assignatur, *impassibilitas, claritas, agilitas, subtilitas*, ex Apostoli doctrina observatæ.

Impassibilitas est dos corporis gloriosi, quæ efficiet ne molesti aliquid pati, ullove dolore aut incommodo affici queant: *Seminatur in corruptione*, inquit Apostolus, *surget in incorruptione*, 1. Cor. 15. Quod S. Joannes confirmat his verbis: *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra &c.* Apoc. 21

Longe alia erit sors reproborum: nam *pars illorum erit in stagno ardenti, igne, & sulfure*: quod est mors secunda. *Non enim est vera vita, nisi ubi feliciter vivitur*. S. Augustin. in Enchir. 92.

Q. *Quæ est secunda corporis gloriosi dos, sive ornamentum?*

R. Est *claritas*, qua Sanctorum corpora tanquam sol fulgebunt: *Tunc justi fal-*

fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum, Matth. 13. inquit Christus Dominus, at ne quis de eo dubitaret, suæ transfigurationis exemplo declaravit, cum *resplenduit facies ejus, sicut sol*, Matth. 17.

Hanc interdum Apostolus *gloriam*, modo claritatem appellat: *Reformabit, corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, & rursum: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*, Philip. 3.

Q. *Eritne omnium æqualis claritas?*

R. Sicut non erit omnium animarum Sanctarum unus, & idem Beatitudinis gradus, non erit etiam unus corporum gloriosorum splendor. *Alia claritas solis*, inquit Apostolus; *alia claritas stellarum, sic & resurrectio mortuorum*, 1. Cor. 15.

Q. *Quæ est tertia dos corporis gloriosi?*

R. Est *agilitas*, qua corpus ab onere, quo nunc premitur, liberabitur, facillimeque in quamcumque partem anima voluerit, ita moveri poterit, ut ea motione nihil celerius esse queat. Current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Quam dotem Apostolus his verbis expressit: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*, 1. Cor. 15.

Q. *Quæ est quarta dos?*

R. Est *subtilitas*, cujus virtute corpus animæ imperio omnino subiicietur, eique serviet, & ad nutum præsto erit: quod ex illis Apostoli verbis colligitur: *Seminatur corpus animale: surget corpus spirituale*, ibid.

Hinc S. Augustinus: *Resurgent igitur*, inquit, *Sanctorum corpora, sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod & spiritualia dicta sunt; cum procul dubio corpora sint futura, non spiritus*, Enchir. 91.

Q. *Vulnerum cicatrices remanebuntne in Martyrum corporibus?*

R. Probabilissime. Jesus Christus resurrexit cum plagis, easque discipulis ostendit, *Joann.* 20. Cum ergo Resurrectio Christi sit exemplar aliorum, sequitur Electos pariter resurrecturos esse, cum cicatricibus vulnerum, pro eo passorum.

Q. *Cur remanserunt cicatrices illæ in Corpore Christi.*

R. Pluribus de causis. 1. Ad majorem ipsius gloriam, ob victoriam ex illis vulneribus consecutam.

2. Ad plenam suæ Resurrectionis certificationem.

3. Ad convincendos Judæos de peccato suæ mortis. *Videbunt in quem transfixerunt*, Joann. 19.

Idem dicendum de Martyribus; conservabunt enim vulnerum cicatrices, ad convincendam Tyrannorum perfidiam, & ad illorum confusionem; & ad Martyrum gloriam.

Q. *Sancti, quibus abscissa sunt membra, v.g. caput, pedes, manus, brachia, avulsi oculi &c. resurgentne sine illis?*

R. Nequaquam; hoc esset monstruosum, cum membra illa ad integritatem, & veritatem corporis humani pertineant, simul restituentur omnia. Verumtamen extabunt in eorumdem membrorum articulis gladii cicatrices, refulgentes super omne aurum, & lapidem prætiosum. Quod etiam confirmat S. Augustinus, Lib. 22. de Civitate Dei, cap. 19. ubi ait, quod: *Vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine Martyres pertulerunt, non erit deformitas in eis, sed dignitas, & quædam, quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.*

Q. *Qui sunt fructus, quos fideles colligere possunt ex hoc fidei articulo?*

R. Sequentes indicat Catechismus Concilii Tridentini.

Pri-

Primo. Maximas Deo gratias agere debemus, qui Mysterium istud mundi sapientibus abscondit, & revelavit parvulis. Quot enim viri, vel humanæ prudentiæ laude præstantes, vel singulari doctrina præditi, in hac tam certa veritate, cæci plane fuerunt? Quod igitur veritas illa nobis a Deo, revelata sit, summam ejus clementiam perpetuis laudibus celebremus.

Secundo. Fides Resurrectionis consolari nos debet in morte propinquorum, & amicorum, quorum corpora credimus resurrectura immortalia, pulchra, gloriosa, solis instar fulgentia, si Christiane, pieque vixerint, & in Domino objerint: Nosque semper cum illis in cœlo regnaturos, si pariter pie vixerimus, & sancte objerimus. Quo genere consolationis Apostolus usus est, scribens ad Thessalonicenses: *Nolo vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo &c. itaque consolamini invicem in verbis istis*, 2. Thess. 4.

Neque nos ipsi mortem timere debemus, sed læti ex hoc mondo exire, cum nos Deus accersiverit.

Tertio. In omnibus vitæ hujus ærumnis, & calamitatibus, futuræ Resurrectionis cogitatio summum nobis doloris levamen affert: quemadmodum S. Job exemplo didicimus, qui una hac spe afflictum, & mærentem in gravissimis adversitatibus animum sustentabat fore nempe ut aliquando in Resurrectione *Dominum Deum suum conspiceret*: nam ut ait Tertulianus: *Fiducia Christianorum Resurrectio mortuorum.*

Quarto. Considerantes diversam Resurgentium conditionem, satagere debemus, *ut puritate, & innocentia vitæ, bonisque operibus*, digni simus *Resurrectione vitæ*. Timere debemus ne in peccata prolapsi, nec pœnitentiam agentes, in illis moriamur, processuri aliquando *in Resurrectionem judicii*.

VITAM ÆTERNAM.

Q. Quare *Apostoli æternæ vitæ articulo Symbolum terminarunt*?

R. Quia post carnis resurrectionem, nihil aliud expectandum est, nisi æternæ vitæ præmium; ad hunc enim finem Deus Pater hominem condidit, Filius redemit; Spiritus Sanctus sanctificavit: adeoque omnia, & singula Sanctissimæ Trinitatis opera, in superioribus articulis commemorata, ad illum unum scopum tendunt.

Q. *Quid est Vita æterna*?

R. Est perfecta fælicitas, bonis omnibus cumulata, explens omne desiderium, perpetuitatem vitæ, & Beatitudinis complectens. Ita intelligebat Legisperitus ille, qui a Christo quæsivit; quid sibi faciendum esset, ut *vitam æternam possideret*: perinde ac si diceret; quænam mihi præstanda sunt, ut ad eum locum perveniam, ubi perfecta fælicitate frui liceat? Luc. 18.

Q. *Cur vitæ æternæ nomine summa illa Beatitudo designatur*?

R. 1. Ne in rebus corporeis & caducis, quæ æternæ esse non possunt, posita existimetur, & in hac vita quærenda, cujus bona quæcumque, hominis desiderium explere non valent; cum de solo Deo dici possit: *Qui replet in bonis desiderium tuum*, Psal. 102. *Et: Satiabor cum apparuerit gloria tua*, Psal. 16.

2. Quia, semel adepta hæc fælicitas, amitti non potest. *Non enim quis vere beatus est, nisi eo pervenerit, ubi mori, falli, offendi omnino non possit, eique sit*

sit certum, ita semper futurum, S. Aug. lib. 14. de Civ. Dei cap. 25. Unde *in æterna vita* neceffario confiftere debet fumma fælicitas.

Q. Justi ergo resuscitati non morientur amplius?

R. Non, fed *vivent in æternum*: *In manu Dei erunt, & non tanget illos tormentum mortis*, Sap. 3.

Q. Numquid reprobi ipsi etiam vivent in æternum?

R. Non morientur quidem reprobi, fed quia vitam traducent in ignibus fempiternis, Scriptura non eft dignata appellare vitam. In tormentis effe femper, potius æterna mors eft, quam vita: ideo *vita* damnatorum *mors secunda* vocatur; *in doloribus enim vivere, non est vivere*. Unde Scriptura ait: *Et procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ*. Non dixit *Beatæ vitæ*, fed in *resurrectionem vitæ*; folum *vitæ* nomen trahit Beatitudinem, S. Aug. lib. 11. de Civit. 18.

Q. Sanctorum Beatitudo habetne alia nomina?

R. Licet ut plurimum *vita æterna*, & fimpliciter *vita* appelletur, quia tamen vitæ iftius bonorum amplitudo una voce explicari nequit, dicitur aliquando *Regnum Cœlorum*; ex eo quod ibi Sancti libertate, gloria, potentia, rerumque omnium affluentia, ut Reges, fummique Regis filii, perfruentur.

Regnum Dei, *Regnum Christi*, quia ibi Chriftus pacatiffime regnabit, proftratis undequaque hoftibus.

Domus Patris, quia filiorum tantum ibi erit fempiterna habitatio.

Paradisus; propter loci amænitatem.

Sancta Civitas, ob Sanctorum, adeoque nobiliffimorum Civium jucundiffimam Civitatem. Vocatur etiam nova Jerufalem.

Torrens voluptatis &c. hæc tamen & alia nomina non exprimunt adhuc perfecte rationem æternæ Beatitudinis.

Q. Quid igitur est ista ineffabilis Beatitudo?

R. Eft ftatus ab omnibus malis immunis, & omnium bonorum aggregatione perfectus: *Ibi enim*, inquit Auguftinus, *nullum erit malum, nullum latebit bonum*, Lib. 18. de Civ. 30. nullum erit malum: *non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, neque ullus æstus... Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, neque dolor erit ultra*, Apoc. 21. Nullum latebit, nec deerit bonum: *Intrabunt in gaudium Domini*, Matth. 25. ubi immenfa gloria, & omnia folidæ lætitiæ, & voluptatis, gaudiique genera funt.

Q. Unde colligis cælestem Beatitudinem habere annexam delectationem, gaudium, lætitiam, & alias voluptates?

R. Ex S. Scriptura. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem*, Pfalm. 15. *Torrente voluptatis suæ potabit eos*, Pfalm. 35. *Exultabunt Sancti in gloria*, Pfalm. 149. *Lætitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt*, Ifaiæ 35.

Q. Cujus generis sunt Beatitudinis voluptates?

R. *Epicurei*, & *Mahometani*, homines beftiales, brutis ipfis turpiores, & ftolidiores, *corporeas* effe cenfent; cum hac differentia, quod *Epicurei* immortalitatem animæ negantes, in *præsenti vita* Beatitudinem collocant; *Mahometani* vero, immortalitatem animæ fatentes, in *alia vita* conftituunt: Sed quantum a veritate aberrent, manifeftum eft. Beatitudo noftra in fummo bono confiftit, quo adepto, appetitus humanus omnino fatiatur: at corporeæ voluptates non funt illud fummum bonum, cum adhuc, illis omnibus obtentis, poffit homo illas defiderare in majori numero, vel alias diverfæ fpeciei: igitur cum non fatient, fed au-

augeant potius concupiscentiam, in illis consistere nequit nostra Beatitudo.

Q. *Dicas breviter in quo sita sit cœlestis illa Beatitudo?*

R. Sciendum, duo bonorum esse genera, quorum alterum ad Beatitudinis naturam pertinet: alterum ipsam Beatitudinem consequitur. Illa essentialia; hæc accessoria bona appellantur, ut sunt, gaudium, gloria, honor, immortalitas, & aliæ dotes corporis.

Essentialis Beatitudo, secundum Theologos, in Dei *visione*, *amore*, & *possessione* sita est. Solus Deus est summum bonum, quod appetitum nostrum satiare potest. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua*, Psalm. 16. *Qui replet in bonis desiderium tuum*, Psal. 102. *Beata gens, cujus Dominus Deus ejus*, Psalm. 32. *Beati qui habitant in domo tua Domine*, Psalm. 83.

Hæc est vita æterna, inquit Christus, *ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, Joann. 17.

Quam sententiam S. Joannes interpretari videtur, cum ait: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. 1. Joan. 4. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, Matth. 5. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, 1. Cor. 13.

Ex his & similibus locis colligitur, quod homo tunc tantum erit beatus, cum Deum, ut in se est, videbit.

Q. *Unde provenient gaudium, gloria, honor, lætitia, voluptas, & alia bona quæ accessoria appellantur?*

R. Ex ipsamet Beatitudine essentiali. Si enim sola spes Beatitudinis in via parit gaudium, juxta illud Pauli: *Spe gaudentes*; tanto magis Beatitudo jam obtenta illud pariet, & causabit.

Hoc etiam suadet ratio, quia gaudium, & delectatio ex natura rei sequitur consecutionem boni amati; & tanto perfectius, quanto bonum consecutum majus est, & perfectiori modo obtentum; sed Sancti per Beatitudinem Deum, quo *nihil melius est*, perfecte consequuntur; ergo in eis est gaudium & delectatio de ipso, ut possesso, & per visionem, & fruitionem obtento. Quamobrem ait Propheta: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini*, Psal. 26.

Q. *Quale erit illud gaudium, illa lætitia &c.*

R. Respondemus cum Augustino: Ea laudare possumus, explicare non possumus; quia legimus: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Dominus diligentibus se*, 1. Cor. 2.

Q. *Quæ erit Beatorum occupatio per totam æternitatem?*

R. Totum, æternumque illorum opus erit Deum videre, amare, laudare. *Misericordias Domini in æternum cantabo*, Psalm. 83. Quare ait Augustinus: *Nisi quia in sæcula sæculorum amabunt te?* Quare, *nisi quia in sæcula sæculorum* videbunt te? Enarr. in Psalm. 147.

Hinc Ecclesia in Dedicatione decantat: *Sed illa sedes cœlitum semper resultat laudibus, Deumque Trinum, & unicum, jugi canore prædicat &c.* Quid jucundius, quidve honorificentius aut dignius, quam sine intermissione, in concilio Sanctorum confiteri & benedicere Domino, ejusque misericordias in æternum cantare? O terque quaterque Beati, *qui habitant in Domo tua Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te*. Laudabunt sine fatigatione, amabunt sine fastidio, videbunt sine fine. *Hoc munus, hic affectus, hic actus erit omnibus, sicut ipsa vita æterna communis*, ait Aug. lib. de Civit.

DE

DE
DEI VISIONE.

Q. *POtestne Deus videri oculo corporeo?*

R. Nullatenus, nequidem de potentia Dei absoluta. Et ratio est, quod Deus sit invisibilis. *Regi sæculorum immortali, & invisibili*, 1. Tim. 1. si invisibilis, maxime oculo corporeo, qui actu vitali, *extra limites sui objecti*, quod est *coloratum*, versari non potest. Non enim possibile est per facultatem visivam corpoream percipere saporem, vel sonum, multo magis percipere rem pure spiritualem, qualis est Deus. *Quod corporis est expers, in carnis oculos cavere nequit*, ait Cyrill. Jerosf. Catech. 9. *Deum nemo vidit unquam*, Joann. 1.

Q. *Nonne multi Prophetæ testantur se Deum vidisse, dum adhuc mortalem vitam agerent?* Moyses *conversatus est cum Deo facie ad faciem*, Exod. 33. Jacob *vidit Deum facie ad faciem*, Gen. 32. Isaias vidit Dominum sedentem super *solium excelsum*, Isaiæ 6. *Non ergo Deus est invisibilis.*

R. Moyses, & Jacob Dominum viderunt non in propria persona; dixerat enim Deus Moysi: *Non poteris videre faciem meam*, Exod. 33. hoc est me ipsum in gloria mea, sed per apparitionem factam ab Angelo in corpore assumpto, & Deum repræsentante.

Similiter Deum vidit Isaias sub specie corporali cujusdam Regis: unde ait: *Sedentem super solium &c.* Sic interpretanda sunt alia Scripturæ loca.

Q. *S. Job huic explicationi nonne contrariari videtur, cum ait: In carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse; & oculi mei conspecturi sunt*, cap. 19. & cap. 42. *Nunc autem oculus meus videt te?*

R. Sanctus Patriarcha loquitur de *Deo humanato*, quem prophetavit se visurum in novissimo die, cum de terra surrecturus est. Post diem enim judicii, conspiciendo Christum, videbit cum aliis beatis Divinam essentiam: *oculo intellectuali*: quod explicatur illis verbis: *In carne mea videbo &c.* & sanctissimam Christi humanitatem *oculis corporeis*, quod datur intelligi per sequentia verba: *Et oculi mei conspecturi sunt &c.*

Animadvertit S. Augustinus, *Jobum non dicere*, *se* carne, aut per carnem, *idest oculis carneis visurum se Deum*; sed in carne, *hoc est post resurrectionem resumpto corpore*, Lib. 22. de Civ. 19.

Dum autem dicit: *Nunc oculus meus videt te*, nihil aliud vult, quam quod ab aliis audierat de *Divina Providentia*, nunc experimento circa seipsum cerneret, seu agnosceret, ideo dicit: *Auditu auris audivi te: Nunc autem oculus meus videt te.*

Q. *Numquid saltem posset dici, relatos Patriarchas, aut forte quosdam alios, Deum intuitive vidisse oculo mentis?*

R. Nec hoc dici potest, quia Scriptura contrarium asserit: *Non videbit me homo, & vivet*, Exod. 33. *Deum nemo vidit unquam*, 1. Joann. 4. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* 1. ad Tim. 6.

Quod hi textus de *visione intellectuali*, & non solum *de corporea* intelligendi sint, inde convincitur, quod Moysi Dei visionem, cunctis filiis promissam, expostulanti, responsum fuerit: *Non poteris videre faciem meam*. Non enim credibile est Moysen petiisse videre Deum oculis corporeis, quam visionem impossibilem esse ignorare non poterat; sed oculis mentis; cui tamen dixit Deus: *Non poteris videre faciem meam*; idest, me ipsum, *sicuti sum*. Unde S. Augustinus tract. 3 in Joann. expresse dicit: *Quid vidit Moyses? vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem: omnis illa creatura typum Domini sui gerebat, præsentiam non exhibebat....*

& Eph. 112. cap. 7. *Non ergo apparebat Deus* in natura propria, *quam Moyses videre cupiebat*; *ea quippe promittitur Sanctis in alia vita*.

Q. *Verumne est, S. Augustinum pluribus in locis contrarium docuisse, sicut & S. Thomam, imo & Scotum?*

R. Revera difficile est conciliare Augustinum cum Augustino; sed hoc opus aliis relinquimus. Quantum ad Thomam, & Scotum, diversimode etiam ipsi locuti sunt, ob diversa loca S. Augustini, dicentis in Epistola citata: *Moysen vidisse Deum sicuti est, ea contemplatione, quæ cunctis filiis promittitur*: promittitur autem contemplatio *Dei in se præsentis*. Et in alio loco ejusdem Epistolæ, Deum non apparuisse *in natura propria, quam Moyses videre cupiebat*. Quomodo hæc stare possint non volumus inquirere.

Q. *S. Paulus in suo raptu, nonne intuitivam Dei visionem habuit?*

R. Minime, cum post raptum illum scripserit ipsemet ad Timotheum: *Nullum hominum Deum vidisse*, nulla facta exceptione. Unde quamvis ad tertium cœlum, idest Empyreum, fuerit raptus, ibique arcana verba audierit: non ideo tamen essentiam Divinam intuitive vidit: Deinde cum Sancti illi homines, quibus intuitiva Dei visio tribuitur, diversimode vidisse dicantur, signum est quod non in suæ proprietate naturæ viderint. Nam si ipsa natura divina visa esset, uniformiter semper se Deus ipsis adspectabilem præbuisset.

Q. *Beati in Cœlo videbuntne Deum propriis naturæ intellectus viribus?*

R. Id fieri non posse definitum est in Concilio Viennensi sub Clemente V. contra Beguardos, & Beguinas. Et ratio est, quod nulla sit proportio inter potentiam naturalem, qualis est intellectus creatus, & objectum supernaturale, quale est Deus. Unde ut mens humana visionem Dei consequatur, necessarium est ipsi speciale Dei auxilium, quod *lumen gloriæ* communiter appellatur a Theologis, juxta illud Psalm. 135. *In lumine tuo videbimus lumen*, idest lucidam faciem tuam.

Q. *Quid est illud lumen gloriæ?*

R. Est qualitas supernaturalis, mentes Beatorom ornans, corroborans, & elevans ad Deum, ut in se est contuendum: *Videbunt faciem ejus*, inquit S. Joannes, *& non egebunt lumine solis; quoniam Dominus Deus illuminabit illos*: Apocal 22.

Q. *Omnes Sancti videbuntne æqualiter Deum, seu eruntne pares in gloria?*

R. Omnes quidem Deum videbunt: omnes eo fruentur, æternaque ac minime fluxa Beatitudine gaudebunt: at non eodem omnes modo. *In domo enim Patris mei mansiones multæ sunt*, ait Christus, Joann. 14. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*, 4. Cor. 3.

Qui plus laboraverit, qui plura merita acquisierit, majora præmia obtinebit, sicut qui plus peccaverit, plus punietur, juxta illud: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuerit, tantum date illi tormentum*, Apoc. 18. Deinde definitum est in Concilio Florentino, ubi dicitur: *Juxta diversitatem meritorum, unus alio perfectius videbit Essentiam Divinam*.

Q. *Si operarii, qui a mane ad vesperam laboraverunt in vinea Patris familias, non plus premii acceperunt, quam ii, qui una hora solum fecerunt: unicuique enim denarius datus fuit; nonne bene colligitur Beatitudinem futuram omnibus æqualem?*

R. Potest esse, quod qui una hora solum fecerunt, tantum laboris confecerint in ista hora, quantum illi, qui summo mane conducti fuerant, & qui forte negligentius laboraverunt. Hinc non mirum, si æquali præmio compensati sint. Dico tamen denarium significare quidem Beatitudinem, quoad substantiam, id est quo ad objectum, &

du-

durationem; quia omnes eumdem Deum, per totam æternitatem videbunt: non vero figuratur Beatitudo per denarium, secundum omnem suam perfectionem: Scriptum est enim, *qui parce seminat, parce & metet*, 2. Corint. 6. & *reddet Deus unicuique secundum opera sua*, Psalm. 61. *Erit igitur*, ait Ambrosius, *ordo diversus claritatis, & gloriæ; sicut erit ordo meritorum*, lib. de Bono mortis, 11. Beati omnes videbunt Deum, omnes vivent in æternum: non tamen omnes eamdem visionis perfectionem obtinebunt.

Q. *Numquid sic erit inter eos invidia*?

R. Non; alias suavissima pace non fruerentur, sed quilibet sua sorte contentissimus erit, sciens se pro merito accepisse; Majorem in alio gloriam non indignabitur, sed potius congratulabitur.

Q. *Des mihi aliquam similitudinem*?

R. Sancti Patres sequentem communiter adferunt: si pater quispiam multos filios inæqualis staturæ haberet, eisque vestem ex aurea tela contextam, uniuscujusque staturæ adæquatam, & proportionatam donaret, non est dubium, quin majores præ minoribus vestem majorem, & pretiosiorem haberent; & nihilominus omnes contenti futuri essent, quia minor majoris vestem non desideraret, utpote staturæ suæ non convenientem.

Q. *Animæ justorum fruunturne statim ab egressu corporis visione Dei*?

R. Huic quæstioni satisfacit Concilium Florentinum, dicens: *Illorum animas, qui post susceptum baptismum nullam omnino peccati maculam incurrerunt: illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum, Trinum, & Unum sicuti est: pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius*, Con. Flor. in defin. Fidei.

Q. *Non expectabunt ergo universalem Resurrectionem, ut Deum facialiter videant, sicut docuerunt nonnulli: potestne hoc probare ex sacris Litteris*?

R. Imo. Christus latroni pendenti in Cruce dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso*, Luc. 23. per Paradisum autem intelligunt Sancti Patres claram Dei visionem, qua fruiturus erat *ipso die*, non tamen in Cœlo, cum ad illud non nisi post 40. dies cum Christo ascenderit.

S. Paulus ait: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, Philip. 1. Quid vero properabat dissolvi, si post Resurrectionem tantum, & non statim post mortem Deo fruiturus erat? S. Joannes *vidit turbam magnam ex omnibus gentibus stantem ante Thronum Dei*, Apoc. 7. hoc est secundum interpretes, fruentem continua visione Dei, ejusdemque intima familiaritate &c.

Deinde potest etiam hæc veritas ratione probari. Deus enim pronior est ad præmiandum, quam ad puniendum, cum *misericordia superexaltet judicium*: puniuntur autem statim morientes in peccato juxta illud Job. 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, ut patet in opulento Epulone, de quo dicitur: *Mortuus est dives & sepultus est in Inferno*, Luc. 16. *Recordare fili quod recepisti bona in vita tua; nunc autem cruciaris*: ergo statim præmiantur morientes in gratia, si quid luendum non habent in Purgatorio.

Q. *Estne completa fælicitas Sanctorum in Cœlo jam regnantium*?

R. Non est completa, sed erit solummodo post Resurrectionem: sine corpore enim, laborum omnium commilitone, absoluta & consummata Beatitudo esse non potest. Vidit Joannes, *Martyrum animas sub Altari, quibus datæ sunt singulæ stolæ albæ, & dictum est, ut requiescerent adhuc tempus modicum*, Apoc. 6. Vidit sub Altari, sed in Cœlo cum Christo regnantes, & stan-

tes ante thronum ejus; & datæ sunt illis singulæ stolæ; *Stola prima est felicitas & requies animarum*: secunda vero *immortalitas & gloria corporum*. Primam jam acceperunt Sancti; alteram non recipient, quo usque receperint corpora.

Q. *Quis fuit error Millenariorum*?

R. Quod docerent justos post Resurrectionem mille annis cum Christo regnaturos in terris, antequam Dei visione fruerentur in cœlis. Primus autor hujus hæresis fuit *Cerinthus*, vir pessimis moribus assuetus; & quia ventri, gulæ, & libidinibus deditus erat, dicebat mille annos illos explendos esse in impuris cibi, potus, & carnis voluptatibus. *Papias* vero, ut fertur, (quamquam falso) S. Joannis discipulus, asserebat mille illos annos in deliciis quidem corporalibus, sed moderatis & licitis, quæ Christum Sanctosque deceret, esse explendos.

Q. *Unde hauserunt istum errorem*?

R. Ex quibusdam locis Sacræ Scripturæ male intellectis, quæ in futura Beatitudine *cibum, potum &c.* promittunt: ut *Servi mei comedent vos esurietis, servi: mei bibent, vos sitietis*, Isaiæ 45. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos*, Psal. *Disposuit Pater ut edatis, & bibatis super mensam meam, in Regno meo*, Luc. 17. *Non bibam de hoc genimine vitis, usquem in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei*, Matth. 26. indicans per hoc Christus se rursus cum discipulis *bibiturum vinum* in Regno futuro.

Non attendentes loca illa, & alia S. Scripturæ, in quibus fit mentio de *cibo, & potu* in altera *vita*, *pro* spiritualium deliciarum fruitione, intelligenda esse. Christus ipse satis hoc indicavit cum dixit: *In Resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*, Matth. 22. per quæ verba, omnem veneream delectationem exclusit: *Non est Regnum Dei esca, & potus*, inquit Apostolus, *sed justitia, & pax, & gaudium*, Rom. 14. significans Cœlum, ubi spiritualiter vivitur, cibum & potum temporalem non habere.

Q. *Quid ergo intendit Joannes, cum dicit, Sanctos regnaturos cum Christo mille annis*? Apoc. 20.

R. Certe non loquitur de regno terreno, sed cœlesti, in quo jam cum Christo regnant animæ justorum: Et *regnabunt mille annis*, hoc est toto illo spatio, inter Christi adventum in hunc mundum, & judicium generale intercedente; post quod non desinent regnare, sed resumpto tunc corpore, vitam, & gloriam completam consequentur. Quod autem spatium illud *mille annos* appellarit, mirum videri non debet, cum millenarius numerus pro universitate non raro in Scriptura sumatur; ut: *Testamentum quod mandavit in mille generationes*, Psalm. 57. idest in omnes. *Melior est unus timens Deum, quam mille filii impii*, Eccl. 19. idest, quam omnes filii impii: *Mille annos posuit*, inquit S. Augustinus, *ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo*, lib. 7. de Civ. c. 7. totum tempus scilicet a morte justorum a primo adventu Christi usque ad secundum, seu universalem Resurrectionem, quo tempore complebitur corporis, & animæ beatitudo.

Q. *Multi Sancti Patres*, ut Justinus, Irenæus, Lactantius, Tertullianus, Chrysostomus, Joannes XXII. *censuerunt animas justorum, non admitti ad Dei visionem ante communem Resurrectionem; non igitur est hæc opinio erronea. Quid ad hoc*?

R. Non erat forte erronea in sæculo, in quo vivebant prælaudati Patres, quia Ecclesia nihil super hoc difinierat. Jam vero contrarium definitum est in Concilio Florentino, ut vidimus, & in Tridentino, ubi habetur: *Illos, qui negant Sanctos æterna felicitate*

tate fruentes, invocandos &c. impie sentire, de Inv. Sanct. cap. 46. & 49.

Patet etiam veritas contrariæ sententiæ ex Bullis Canonizationum in quibus asseritur, *Sanctos esse in gloria &c.*

Q. *Quid dicis de Joanne XXII. qui definiisse dicitur, animas Sanctorum non visuras Deum ante judicium universale?*

R. Dico illum revera huic errori fortiter adhæsisse; ita ut contra sentientes pessime reciperet; imo prohibuitne Universitas Parisiensis ullos admitteret ad gradus litterales, nisi huic sententiæ subscriberent. Falsum tamen est ipsum, *ex Cathedra*, quidquam super hanc controversiam *definivisse*: cum instante morte protestatus sit, *se in quæstione visioni animarum, nihil determinare, vel decidere voluisse, quod esset quovis modo Sacræ Scripturæ contrarium*. Imo convocatis Cardinalibus die 3. Decembris 1334. præsentibus publicis Notariis, fidem suam his verbis declaravit: *Fatemur, & credimus, quod animæ purgatæ sunt in Regno Cælorum, ubi vident Deum facie ad faciem, clare &c.* Revocavit insuper expresse omnia, quæ in contrarium protulerat. Ita refert Benedictus XII. in Diplomate, quod ex Manuscripto Vaticano descripsit Odoricus Raynaldus ad annum 1334., num. 35.

Cardinalis noster Laurea notat, quod ipse Joannes in Diplomate Canonizationis S. Thomæ Aquinatis enunciat, *eum Cœlum possidere*, æternaque gloria perfrui: unde infert, illum aliter locutum *ex Cathedra* & definiendo, quam ex pulpito, & disputando, ut *Doctorem privatum*.

DE PRÆDESTINATIONE, & Reprobatione.

Q. QUid *est Prædestinatio?*

R. Si vim nominis attendamus, est vox composita ex *præ*, & *destinatio*: quæ in bonam aut malam partem sumi potest; idest pro electione ad gloriam; vel pro destinatione ad pœnam; prout usurpavit Concilium Valentinum cap. 3. *Confitemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem*. Communiter tamen pro sola destinatione ad gloriam accipitur, describiturque: *Creaturæ rationalis electio, seu præordinatio ad gratiam, & gloriam, aliaque media necessaria ad illam consequendam*. Ita Scotus in 3. dist. 7. q. 3. Dicitur *ad gratiam, & gloriam*, quia gloria est finis, & gratia medium, quo pervenitur ad gloriam, juxta illud Apostoli: *Quos prædestinavit*, ad gloriam, *hos & vocavit, & quos vocavit illos & justificavit*: Ecce gratias vocationis, & justificationis; *Et quos justificavit, illos & glorificavit*, Rom. 8.

Q. *Estne admittenda Prædestinatio in Deo?*

R. Aliqui putant esse de fide, licet non omnes in hoc conveniant. Dari tamen prædestinationem in Deo ab æterno, multipliciter probatur.

1. Ex S. Scriptura: *Venite benedicti ... possidete Regnum vobis paratum ab origine mundi*, Matth. 25. *Nos prædestinatos in adoptionem filiorum Dei*, Eph. 1. *Quos prædestinavit, hos & vocavit &c.* Rom. 8.

2. Ex S. Augustino, Lib. 2. de bono Persev. cap. 9. ubi asserit: *Neminem salvandum, nisi qui fuerit prædestinatus*, & ex Fulgentio de Fide ad Petrum, cap. 35. ubi sic loquitur: *Nullatenus*

dubites, nec perire poſſe aliquem eorum quos Deus prædeſtinavit ad Regnum Cœlorum, nec quempiam eorum, quos non prædeſtinavit ad vitam, ulla poſſe ratione ſalvari.

3. Ratione. Quod Deus exequitur in tempore, illud voluit ab æterno, cum nullum decretum novum facere poſſit, nec factum mutare ob ſuam immutabilitatem; ſed Deus in tempore vult dare gloriam, & gratiam aliquot Angelis, & hominibus; ergo eos ab æterno prædeſtinavit ad illam gratiam, & gloriam.

Q. *Numquid æterna illa Prædeſtinatio inducit hominem in præſumptionem, aut deſperationem? ſi ſit prædeſtinatus, inevitabiliter ſalvabitur, quidquid egerit; ſi non, fruſtra inſudat in procuranda ſalute, quia damnabitur.*

R. Sic diſcurrunt temerarii, & perditi homines, cum potius contrarium inferre deberent. Falſum eſt primo, quod quidquid egerit prædeſtinatus, ſalvabitur, quamdoquidem Deus non decrevit dare gloriam, niſi bene viventibus, & perſeverantibus in pietatis, & charitatis operibus uſque in finem. 2. Falſum etiam eſt, quod fruſtra laboret; cum Eccleſia nos impellat ad orandum Deum, *ut nos ab æterna damnatione eripi, & in electorum ſuorum jubeat grege numerari*; & certum ſit nos ad eternam fœlicitatem non perventuros, niſi per merita & virtutum exercitia: nec ad infernum deſcenſuros, niſi ob peccata. Unde homo, ratione ſua utens, ſic diſcurrere debet: *Sum prædeſtinatus, vel reprobus*: Si prædeſtinatus, ergo debeo ſolicite laborare pro mea ſalute, bonis operibus incumbendo, legem Dei cuſtodiendo, cum aliter non ſim prædeſtinatus ad ſalutem conſequendam, niſi ex bonis meritis. Si reprobus, ergo debeo vitare omnia peccata, cum non ſim damnandus, niſi ob demerita.

Q. *Confirma; ſi lubet, reſponſionem aliqua familiari ſimilitudine?*

R. Præſto ſum. Si agricola ſic diſcurreret; vel terra dabit fructum, vel non, pro ut Deus decreverit, *voluntas enim ejus deficere, aut præſcientia falli non poteſt*; quid igitur opus eſt, ut ego terram ſeminem? Si alius diceret, hodie moriar, ſi Deus ita ſtatuerit, ſin vero, certiſſime vivam: quid ergo refert, ſi ego me proiiciam in profundum maris. Num ſtultos ipſos diceres? Reſpondebis prompte, terram non debere fructum afferre, niſi laboretur, excolatur, ſeminetur; vitam non poſſe conſervari cum iſta projectione &c Sic pariter diſcurre de prædeſtinatione: Salvabor, ſi ſum prædeſtinatus, *ſed non niſi bene vivendo*: damnabor, ſi non ſum prædeſtinatus, *ſed non niſi bene male vivendo*.

Falſum igitur eſt, nos ad æternam fælicitatem perventuros, *quidquid agamus* ſi ex electis ſimus, aut ab ea defecturos, ſi ex reprobis. *Quæ enim ſeminaverit homo hæc & metet, ſi ſeminat in carne, metet corruptionem; ſi in ſpiritu, vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus*, ait Apoſtolus ad Gal. 6. Deus judex juſtus remunerat merita, punit peccata: ſi bene egeris, bene eris remuneratus: ſi male, male eris remuneratus; nullus enim laborat ſine fructu, nullus peccat ſine damno.

Q. *Prædeſtinatio eſt ne pure gratuita, an vero ex prævіſis meritis?*

R. Theologi diverſimode circa hoc ſentiunt. Probabilius nobis videtur prædeſtinaſſe homines ad gloriam ex prævіſis eorum meritis. Colligitur ex ſententia Chriſti judicis: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum .... eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare* &c. Matth. 25. Ibi *enim* opera miſericordiæ aſſignantur tanquam cauſa præparationis Regni. S. Paulus ſcribens ad Romanos ait: *Quos præſcivit*,

vit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, Rom. 8. hoc est, quos Deus præscivit bene usuros gratia sua, seu quos præscivit, *Christo fore conformes in vita*, eos prædestinavit conformes fieri in gloria. Et in alio loco, addit: *Quæ præparavit Deus*, non dilectis, *sed diligentibus se*, 2. Corint. 2. Eodem modo loquitur S. Jacobus: *Deus elegit hæredes Regni quod promisit diligentibus se*, Jacob. 2. Unde S. Chrysostomus in persona judicis ait: *Quia sciebam vos tales futuros, hæc a me vobis præparata fuere*, Hom. 8. in Matth. Et S. Ambrosius: *Non ante prædestinavit quam præscivit, sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit*, Lib 5. de fide, cap. 3.

Ratio etiam id suadet: Deus in tempore non dat gloriam sine meritis, ergo nec ab æterno decrevit dare nisi ex prævisis seu futuris meritis, cum sit immutabilis. Deinde Deus electis gloriam destinavit tanquam *præmium*, *coronam*, *mercedem*, quæ omnia supponunt merita.

Quod si aliqui Scripturæ, & Patrum textus videantur nostræ sententiæ adversari, explicandi sunt de electione, seu vocatione *ad gratiam*, quæ nulla præsupponit merita, alias non esset gratia.

Q. *Quomodo peragitur mysterium prædestinationis.*

R. Sciendum prius, in Deo duplicem distingui a Theologis voluntatem, *antecedentem*, & *consequentem*. Prima est ea, qua Deus ex se absolute vult aliquid, nullo habito respectu ad circumstantias, quibus est executioni demandandum. Secunda e contra respicit rem in circumstantiis, in quibus debet fieri.

Deus quantum est ex se, voluntate scilicet *antecedenti*, vult omnes homines salvari, & præparat, & exhibet singulis media communia & sufficientia, quibus possent, *si eis bene uterentur*, consequi salutem. Sed voluntate *consequenti* eligit, ac prædestinat aliquos ad salutem, quia prævidet, quod adulti bene utentur illis mediis, & gratiis, & in illis perseverabunt finaliter. Parvulis vero, qui post baptisma, & ante usum rationis moriuntur, inservient merita, Christi eis applicata per Sacramentum. Et in tempore, ex vi talis decreti, confert eis gratias illas sic præparatas ab æterno, ex pura liberalitate, & misericordia.

Sic Deus v. g. vult voluntate *antecedenti* Judam vivere, & salvari; gratias sufficientes ad salutem consequendam ei exhibiturus in tempore. Prævidens autem eum *proditorem*, *& obstinatum futurum*, vult eum damnari. Hæc voluntas dicitur *consequens*, quia respicit Judam in consequente circumstantia, scilicet in peccato finali. Quod ergo Petrus fuerit prædestinatus, & non Judas, non provenit præcise a voluntate Dei *antecedente*, quia etiam hac voluntate voluit *Judam salvari*, sed ex eo quod præviderit Petrum bene usurum gratiis, & mediis, ad salutem ei concedendis, & in gratia perseveraturum: Judam vero male usurum, & in peccatis obstinate moriturum.

Q. *Potestne quis esse certus de sua prædestinatione?*

R. Absque speciali revelatione, nemini *certo* constare potest. *Quis ex multitudine fidelium*, inquit S. Augustinus, *quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat?* Lib. de correp. & grat. c. 13. Et ratio est quod nullus possit esse certus de sua prædestinatione, nisi sit certus de sua perseverantia: quamdoquidem solus, *qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit*, Matth. 10. Quis autem scire potest, an sit usque ad finem perseveraturus, cum moneat Apostolus, *ut cum timore, & tremore salutem nostram operemur*, Philip. 2. Et alibi dicat: *Nescit homo, an amore, vel odio dignus sit?*

Con-

Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 22. habet: *Si quis magnum perseverantiæ donum se certo habiturum dixerit, nisi ex speciali revelatione, anathema sit.*

Dixi, *certo sciri*, certitudine scilicet omnem excludente timorem: nam probabiliter id scire possumus ex signis inferius assignandis. Negatio enim omnis probabilitatis de nostra electione desperationem faceret: certa fiducia, excludens omnem formidinem, faceret præsumptionem: probabilitas facit spem modestam, & sollicitam.

Q. *Qua ratione ergo dixit Apostolus: Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei*, Rom. 8. & ibid. *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus Fili Dei;* quid certius illo testimonio? *Si autem filii, & hæredes.*

R. Hi textus, & alii certitudinem tantum moralem denotant, cum ipsemet Paulus *timere fateatur, ne cum aliis prædicaverit, reprobus efficiatur.* Et alias se incertum dicit de sua justificatione. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Deinde si certus erat, id potuerat ei revelasse Deus. Sed pro nobis ipse monet: *Ut cum timore, & tremore salutem nostram operemur: Et qui stat, videatne cadat.*

Q. *Estne certus prædestinatorum numerus?*

R. Certissimus. 1. Ex parte Dei: habet enim infallibilem notitiam de numero prædestinatorum: *Cognosco oves meas*, inquit Christus, *& cognoscunt me meæ*, Joan. 10. Et Paulus ad Timotheum: *Novit Deus, qui sunt ejus.* Deinde non esset infinita scientia ejus, si personas salvandas, imo & gradus gloriæ, quos consecuturæ sunt, ignoraret.

2. Ita Deo certus est numerus salvandorum, ut nullus ab eo excidere possit, & nullus præter illum admitti queat.

Probatur utraque pars ex S. Scriptura. Joan. 6. *Omne quod dat mihi Pater ad me veniet.* Et rursus: *Hæc est voluntas Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Et cap. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & non peribunt in æternum.* Et 1. Joan. cap. 2. *Prodierunt*, inquit, *quia non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, utique permansissent.* Unde communiter dicitur: *quod nullus prædestinatorum possit damnari, nec ullus reproborum salvari valeat*; hoc est in sensu composito, seu *reduplicative*, quatenus prædestinatus, non vero in *sensu diviso.*

Perfectissime igitur cognoscit Deus, qui sunt morituri cum dono perseverantiæ, & qui discessuri sunt in impœnitentia finali: hinc illos eligit certo ad gloriam, & istos certo damnat. Et hoc confirmat Augustinus, dum ait: *Prædestinatorum ita certus est numerus, ut non addatur eis quisquam, nec minuatur*, Lib. de corrept. & gratia, cap. 13.

Q. *Si S. Petrus post primam Christi negationem* non retractatam, *statim fuisset occisus, nonne ad Infernum descendisset? Quomodo ergo dici potest, prædestinatum non posse damnari? & certum esse numerum prædestinatorum?*

R. Non idcirco minus certus censendus est numerus prædestinatorum; nec minus verum est, prædestinatum non posse damnari. Prædestinatus enim potest concipi, ut jam supra dictum est, vel in *sensu diviso*, quatenus scilicet est homo indifferens, vel ad gloriam, vel ad pœnam: aut in *sensu composito*, in quantum est prædestinatus, & subjacet decreto prædestinationis.

Si primo modo consideretur, Petrus potuit peccare, mori in peccato, & consequenter damnari.

Si vero consideretur secundo modo, potuit quidem peccare, prout de facto peccavit, sed non potuit mori in peccato.

cato.

cato, quia Deus prævidit ipsum esse resurrecturum a peccato, & moriturum in gratia, nec esse occidendum ante peccati detestationem. Præscientia tamen illa Dei non fuit causa, cur a peccato Petrus resurrexerit, sed ideo Deus prævidit, quia libere se determinaturus erat ad pœnitentiam, cum gratiæ auxilio.

DE LIBRO VITÆ.

Q. *Cum prædestinati communiter dicantur scripti in libro Vitæ; libenter scirem quid sit liber Vitæ?*

R. Liber Vitæ nihil aliud est, quam certa, infallibilis, & immutabilis notitia, quam Deus habet de salute, & gloria electorum; sicque illi dicuntur esse in libro Vitæ, qui a Deo cognoscuntur, ut prædestinati. Hæc cognitio metaphorice *liber* vocatur, per similitudinem ad librum creatum. Solent enim apud homines illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribi in libro, ut milites, consiliarii, senatores, qui idcirco apud Romanos *Patres conscripti* vocabantur: sic illi, qui a Deo eliguntur, & destinantur ad gloriam, seu vitam æternam, dicuntur conscribi in *libro Vitæ*, idest in divino intellectu; sicut ea, quæ memoria retinemus, dicuntur *scripta in mente*.

Q. *Quotupliciter liber Vitæ sumi potest?*

R. Tripliciter. 1. Pro Scripturæ Sacræ volumine, in quo *descripta* leguntur ea, quæ sunt ad vitam æternam consequendam necessaria, de quibus secundum Glossam dicitur, Eccle. 24. *hæc omnia liber Vitæ.*

2. Pro eo in quo descripta sunt gesta uniuscujusque, sive bona, sive mala, de quo dicit Propheta: *Et in libro tuo omnes scribentur*, Psalm. 138. Hunc librum habebunt omnes coram oculis in die judicii, qui probabiliter est conscientia, juxta id quod canit Ecclesia: *Liber scriptus proferetur, in quo totum continetur; unde mundus judicetur.*

3. Pro eo in quo scribuntur prædestinati ad vitam, de quo dicitur ad Philippenses 4. *Quorum nomina scripta sunt in libro Vitæ*, & hic est de quo agimus.

Q. *Scriptus in libro Vitæ potestne ex eo deleri?*

R. Nequaquam, & est de fide; Christus siquidem de electis, seu de ovibus suis ait: *Quod non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea*, Joan. 10. Quod probatur etiam ex diversis Scripturæ locis. *Salvabitur populus tuus omnis, qui scriptus fuerit in libro*, Dan. 10. *Non intrabit in ea, nisi qui scriptus fuerit in libro Vitæ agni*, Apocal. 21. *Et quicumque non est inventus scriptus in libro Vitæ, missus est in stagnum ignis*, ibid. Ex quibus locis infertur neminem scriptum in libro Vitæ posse damnari, *in sensu composito*, adeoque ab eo libro deleri: sicut qui non est scriptus, salvari non potest.

Q. *Si scripti expungi non possint, rem igitur impossibilem petiit Moyses a Deo, dum dixit; aut dimitte noxam populi hujus, aut dele me de libro Vitæ, quem scripsisti*, Exod. 32. *Idem dici potest de Davide petente de iniquis: Deleantur de libro viventium*, Psal. 68.

R. Sancti Patres dicunt Moysem locutum fuisse per quamdam exagerationem, & confidentiam. Quamvis enim sciret id non eventurum, voluit tamen hoc modo loquendi ostendere ardentissimam suam charitatem erga populum Dei, pro quo flectere nitebatur divinam clementiam, ita ut, *si fieri posset*, puniri vellet pro ipsis; quemadmodum amantes, cum vehementer rogare volunt, dicunt, *hoc fac, vel occide me:* scientes nullatenus se occidendos.

Sic etiam intelligendus venit Apostolus

lus, dicens: *Optabam ego ipse esse anathema a Christo pro fratribus meis*, Rom. 9.

Quando autem David ait: *Deleantur de libro viventium*, & alio in loco: *Nomen eorum delesti in æternum*, Psal. 9. nihil aliud vult, quam quod deleantur de libro præsentis vitæ; vel de libro viventium secundum vitam gratiæ, non gloriæ. Quod ut clarius innotescat; sciendum duplicem esse vitam, unam gratiæ in præsenti, alteram gloriæ in futuro. Qui scripti sunt in libro gratiæ justificantis, possunt ex eo deleri, & toties delentur, quoties peccant mortaliter: qui autem scripti sunt in libro gloriæ, per æternam Dei prædestinationem, illi deleri non possunt.

Q. *Si absolute deleri non possunt, numquid frustranea est Ecclesiæ oratio, in qua petit, ut omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber adscripta retineat?* Orat. pro viv. & defunct.

R. Ecclesia per illa verba petit a Deo gratias, quibus fideles ponant opera meritoria, propter quæ sunt salvandi, & sine quibus non salvarentur; cum, ut diximus, prædestinatio salvandorum facta fuerit ex prævisis eorum meritis.

DE

NUMERO SALVANDORUM.

Q. *Estne magnus salvandorum numerus?*

R. Quantus sit, nemo sine speciali revelatione scire potest. Hanc notitiam sibi reservavit Deus: *Cui soli*, ut ait Ecclesia, *cognitus est numerus electorum in superna fœlicitate locandus*. Ingentem tamen esse, Scriptura testatur: *Multi venient ab Oriente, & Occidente &c.* Matth. 8. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, stantes ante thronum &c.* Apoc. 7. Ex his & aliis locis insinuatur, maximum esse numerum prædestinatorum, quos Joannes dicit, *numerari non posse*. Id etiam probant infiniti prope Martyres, qui hucusque ad undecim milliones ascendunt, juxta computum Patris Ariæ e Societate Jesu; & aliorum apud Genebrardum in Psal. 38. v. 4. Quibus si jungantur Sancti Confessores, Sanctæ Virgines, & alii electi, quorum numerus Martyrum choros longe superat, turba maxima reperietur, quam revera nemo dinumerare poterit.

Q. *Qui numerus major, prædestinatorum, an reproborum?*

R. Si de omnibus hominibus generaliter sumptis loquamur, longe major est numerus reproborum; & probatur auctoritate S. Scripturæ: *Multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur*, Esdræ lib. 4. cap. 8. n. 3. Verum quidem est quod liber ille non sit inter Canonicos annumeratus, citatur tamen tanquam sacer a Sanctis Patribus. *Arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam: lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam*, Matth. 7. & alibi: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*, quibus verbis designatur numerus reproborum.

Q. *Fuitne aliquando hæc veritas revelata?*

R. Joannes Trithemius in Chronico Monasterii Herspurgensis ad annum 1160. refert, quemdam Eremitam mortuum, quem viventem Episcopus Lingonensis noverat, qui divino timore compunctus ante aliquot annos, cum esset Decanus dives, & nominatus, omnia contemnens, Eremitorium pro Christi amore intravit: quem cum Episcopus, sibi apparentem, de statu suo interrogasset, ille respondit, *quod ex triginta hominum millibus, qui eadem hora obierant*, ipse solus cum Bernardo Abbate Claræ vallensi *ad Cœlos evolarit*:

vit, tres alii ad Purgatorium missi fuerint; cæteri omnes *per sententiam justi judicis, ad Infernum perpetuo cruciandi descenderint.*

Q. *Habesne alia exempla?*

R. Non desunt apud Auctores. S. Simeon, & ex eo S. Nilus Abbas apud Baronium Tom. 10. anno Christi 976. asserunt, ex decem millibus vix unam animam salvari. Ex Annalibus Franciscanis refert Hieronymus Plato, *lib.* 1. *de bono status Religionis*, *cap.* 5. Fratrem Minorem, nomine *Bertholdum*, concionatorem insignem, vi & spiritu dicendi, mulierem peccatricem eo contritionis adegisse, ut in concione mortua ceciderit. Quæ postea precibus ejusdem ad vitam revocata dixit: *Cum apparui ad Dei tribunal, adductæ sunt eo sexaginta animarum millia, quæ toto orbe e vita excesserant, atque ex his tres tantum addictæ fuerunt Purgatorio, reliquæ omnes ad ignem æternum damnatæ.* Vide de hac materia apud Bellarminum, in Opusculo de æterna felicitate, Lib. 3. cap. 6. 7. 8. 9.

Eheu! quis hæc audiens non expavescat? Quis toto corpore non contremiscat? Quis, *inquam*, non decernat, pie & sancte vivere, suæque saluti consulere? *Intelligite hac, qui obliviscimini Deum.*

Q. *Quam ob causam tot sunt reprobi, & tam pauci electi, seu prædestinati?*

R. Præterquam quod plures sint infideles, & hæretici, quam veri Christiani; S. Bonaventura hanc rationem assignat: *Quia omnes digni eramus pœna æterna propter peccatum*, in 1. dist. 41. art. 1. quæst. 2.

S. Thomas duas alias rationes assignat. 1. quia finis hominis, qualis est Beatitudo, est improportionatus naturæ humanæ, ideo, *inquit*, pauci sunt, qui illam assequuntur. 2. est pronitas ad malum, & corruptio naturæ nostræ propter peccatum. Non mirum igitur, si major pars hominum damnetur.

Q. *Numquid saltem ex fidelibus Christianis, qui intra Ecclesiam Catholicam moriuntur, major erit numerus prædestinatorum, quam reproborum?*

R. Duæ sunt Patrum sententiæ. Prima, quam nos amplectimur, docet majorem partem fidelium, qui intra Ecclesiam moriuntur, salvari: non modo parvulos, hi enim pene omnes salvantur, cum omnes pene baptizentur, sed & adultos.

Secunda asserit, plures ex Catholicis adultis damnari, quam salvari. *Cajetanus* vero, media via incedens, arbitratur mediam partem fidelium salvari, aliam damnari, fundatus super hanc Christi parabolam: *Simile est Regnum Cœlorum decem virginibus*, in quibus quinque erant *fatuæ*, *& quinque prudentes*; putatque legitimum illius parabolæ esse sensum, æqualem numerum fore prædestinatorum, & reproborum.

Q. *Quæ rationes adducuntur pro prima sententia?*

R. Sequentes. Quod plures ex fidelibus salventur, probatur 1. auctoritate S. Joannis Damasceni, qui in sermone de defunctis tenet, *quasi omnes vere fideles salvari*, & S. Anselmi in Elucidario dicentis: *Sicut ex Angelis plures sunt beati, quam damnati, ita ex fidelibus plures sunt beati, quam damnati.* Imo S. Augustinus in Enchiridio capit. 29. probabile existimat, *majorem futurum esse numerum beatorum hominum, quam Angelorum.*

Probatur 2. ex parabola, quam habet Matthæus capit. 22. de invitatis ad nuptias, inter quos, *unus tantum inventus fuit non habens vestem nuptialem*: per invitatos autem intelliguntur fideles; ille autem qui exclusus est, reproborum multitudinem repræsentat.

3. Ex eo quod major pars Christianorum in fine vitæ recipit Sacramenta:

ta::

ta: videmus enim ſceleſtiſſimos homines morti proximos emolliri, lacrymas emittere, peccata deteſtari, ſincere confiteri, Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis ſolicite, pieque ſuſcipere, Deo ipſos adjuvante auxiliis multis tam internis, quam externis. Ergo ſignum eſt, plures eſſe prædeſtinatos, & pluribus de facto Deum conferre vitam æternam, quam damnationem.

Hanc ſententiam probabiliorem exiſtimamus, tanquam magis conſonam, tum Dei miſericordiæ, *quæ ſuperexaltat judicium*, erga nos fideles; tum Chriſti meritis, qui tot, tantaque paſſus eſt pro nobis; tum denique quia majorem nobis præbet ſpem ſalutis.

Q. *Quid dicis de ſententia oppoſita?*

R. Sua non caret probabilitate.

1. Quia eſt conformior Sanctis Patribus, ex quibus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Gregorius, Origenes, Beda, Liranus &c. qui hanc formidabilem Chriſti ſententiam: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*, etiam ad fideles extendunt.

2. Quia longe plures fuerunt damnati, tam in ſtatu legis naturæ, utpote in quo omnes periere per diluvium, ex quo *ſolus Noe cum ſua familia* evaſit; quam in ſtatu *legis Moſaicæ*, utpote in quo omnes egreſſi ex Ægypto, puta, ſexcenta hominum millia, & amplius, ob peccata perierunt in deſerto, & duo tantum, *Joſue* ſcilicet, & *Caleb* ingreſſi ſunt terram promiſſionis.

3. Quia longe major pars fidelium vivit in ſtatu peccati mortalis: Juxta regulam autem S. Auguſtini: *Sicut quis vivit, ita & moritur*.

4. Quia videmus de facto, majorem fidelium partem ambulare per viam latam, quæ ducit ad perditionem, & paucos per viam anguſtam, quæ ducit ad ſalutem.

Q. *Quid reſpondendum iſtis rationibus, pro ſuſtinenda, & confirmanda priori conſolativa opinione?*

R. Explicari poſſunt de toto genere humano, ex quo plurimi pereunt, quam ſalventur, non autem de ſolo fidelium cætu. Si de fidelibus etiam locuti fuerint Sancti Patres, ut inſinuaſſe videtur S. Chryſoſtomus, *homilia* 40. *ad populum Conſtantinopolitanum*, dum non auſus eſt aſſerere, quod ex tot millibus Chriſtianorum, *decem ſalvi fierent*; hoc dixerunt per quamdam exagerationem, ad majorem incutiendum timorem peccatoribus, ut ſe a vitiis peſſimis ſerio, & quamprimum converterent.

Verum quidem eſt multos ex Chriſtianis vitam minime Chriſtianam peragere; quanta enim in juvenibus malitia! quantus in ſenibus torpor! quanta in ſæcularibus, imo & in Eccleſiaſticis incuria ſalutis! &c. Sed tanta eſt benignitas, & miſericordia Dei, & valor meritorum Chriſti, quod plures, ſaltem in hora mortis, convertantur.

Quidquid ſit de his diverſis Patrum ſententiis; conveniunt omnes, magnum fore numerum reproborum, etiam ex fidelibus, & hoc ſufficit ad injiciendum nobis ſalutarem metum. Eheu! *ſi tantus eſt damnandorum numerus*, numquid forte ero unus ex illis? *Quis non timeat*? ſi animam perdimus, totum perdimus. Conemur igitur intrare per anguſtam portam, per quam intratur ad vitam.

DE EFFECTIBUS PRÆDESTINATIONIS.

Q. *Qui & quot ſunt effectus prædeſtinationis?*

R. Communiter tres aſſignantur, nempe, *vocatio, juſtificatio, & glorificatio*; quos effectus expreſſit Apoſtolus his verbis: *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit; quos vocavit, hos & juſtificavit*;

vit; quos autem justificavit, illos & glorificavit, Rom. 8.

Cum ergo Deus ideo vocet, justificet, & glorificet electos in tempore, quia illos prædestinavit Deus ab æterno; proinde hæc tria sunt effectus prædestinationis. Cætera media, quibus Deus utitur ad conducendos electos ad gloriam, ad unum illorum reducuntur.

Q. *Assigna nobis media, quæ ad vocationem spectant?*

R. Ad *vocationem*, quæ fit per gratiam prævenientem, seu excitantem, reducuntur illuminationes, inspirationes, motus fidei, spei, charitatis, & contritionis, quibus ante justificationem correspondetur. Item Sacramentorum institutio, Christi Passio, Verbum Dei, Annunciatio Evangelii, bona indoles, bonum exemplum, miseriæ &c.

Ad *justificationem* revocantur remissio culpæ, & pœnæ, infusio gratiæ habitualis, exercitium virtutum, quibus gratia augetur, ipsum gratiæ augmentum, perseverantia finalis; denique omnia gratiæ auxilia a momento justificationis ad finem vitæ concessa: nam quæ justificationem præcedunt, ad vocationem reducuntur.

Ad *glorificationem* tandem reduci possunt mors præmatura, corporis gloriosi dotes &c.

Q. *Glorificatio videtur potius esse finis prædestinationis, quam effectus illius?*

R. Si glorificatio sumatur pro possessione gloriæ, est finis prædestinationis; si vero sumatur pro collatione gloriæ, est prædestinationis effectus.

Q. *Si hæc omnia supradicta sint effectus prædestinationis, quomodo fit ergo, ut plurimi vocentur, justificentur, & non salventur?*

R. Ad hoc dicimus, quod vocatio, & justificatio non sint effectus prædestinationis, nisi respectu illorum qui prædestinantur: respectu autem aliorum, vocatio, & justificatio sunt tantum effectus voluntatis generalis, quam habet Deus de salute omnium.

DE SIGNIS PRÆDESTINATIONIS.

Q. *Licet in hac vita nullam, ut diximus, habere valeamus de prædestinatione infallibilem certitudinem, possumus ne saltem colligere ex aliquibus signis?*

R. Maxime. Propheta Regius quærens a Deo: *Quis habitaturus esset in tabernaculo suo*, dat signa eorum *ex operibus*, pro Deo respondens: *Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam, qui loquitur veritatem, qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum: qui facit hæc non movebitur in eternum*, Psal. 14.

Christus interrogatus, quid boni faciendum esset, ut quis haberet vitam æternam, respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Matth. 19. Et S. Petrus: *Satagite*, inquit, *ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*.

Igitur ex observantia mandatorum Dei, & ex bonis operibus, colligere non immerito possumus, aliquem esse prædestinatum.

Q. *Suntne alia signa specialia?*

R. Ita. Sequentia communiter a Patribus, & a Theologis assignantur.

1. Vocatio, & justificatio, juxta illud: *Quos prædestinavit, hos vocavit, hos & justificavit*, &c. quod præcipue verum est *de vocatione Religiosa*. Id quod dico ad consolationem eorum, qui in claustris Dei servitio se manciparunt: & colligitur ex 1. lib. Reg. cap. 1. ubi habetur: *Si Deus nos perdere voluisset, sacrificia de manibus nostris* (qualia sunt vota) *non accepisset* &c. Quod etiam patet ex operibus religiosis, per quæ perveni-

venitur ad gloriam; & ex observantiis, per quas custodimur, & auferuntur occasiones peccati.

2. Lubens auditio verbi Dei, juxta illud: *Oves meæ vocem meam audiunt: Et qui ex Deo est verba Dei audit*, Joan. 8. & 10. Magnum signum est nos esse de numero ovium, dum libenter vocem Pastoris audimus, & vocantem sequimur.

3. Dilectio inimicorum; quia diligendo inimicos, filii Dei sumus; Christus enim ait: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in Cœlis est*, Matth. 5. v. 44.

4. Adversa fortuna, tribulationes, ærumnæ, afflictiones, persecutiones, morbi, & quæcumque mala libenter, & cum patientia pro Deo tolerata, & per quæ *conformes sumus imaginis Christi Filii ejus*, socii suarum passionum; unde sperare possumus nos futuros socios & consolationum ejus.

5. Opera charitatis, & misericordiæ, quibus præcipue paratum est Regnum, ut constat ex sententia supremi judicis: *Esurivi, & dedistis mihi manducare; infirmus, & in carcere, & visitastis me &c. Venite benedicti possidete paratum vobis Regnum ab origine mundi &c.*

6. *Virtutes*, quæ octo Beatitudinibus exprimuntur in Evangelio, quibus annexa est vita beata, ut videbimus infra.

Quicumque ergo in se experitur talia signa, sperare potest de sua prædestinatione; non tamen sine timore, cum omnes & singulos moneat Apostolus: *Ut cum timore & tremore salutem operentur*, Philip. 2. Etenim, etiamsi quis bene vivat pro nunc, quis scit an sit perseveraturus? Perseverantia finalis absolute est necessaria ad salutem consequendam, juxta dictum Salvatoris: *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*, Matth. 10.

Q. *Numquid etiam devotio erga Beatissimam Virginem Mariam est signum prædestinationis?*

R. Equidem. De ipsa pie creditur scriptum: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino*. Sancti Patres semper tenuerunt pro signo futuræ salutis singularem erga Deiparam pietatem, ita ut S. Anselmus dicere non dubitarit: *Sicut ergo impossibile est, ut illi, a quibus oculos suæ misericordiæ avertit, salventur; ita necessarium est, ut hi, ad quos convertit oculos suos, pro eis advocans, justificentur, & glorificentur, &c.*

DE

BEATITUDINIBUS EVANGELICIS.

Q. *Quot sunt Evangelicæ Beatitudines?*

R. Quidam dicunt solummodo septem esse, eo quod octava prœmium distinctum ab aliis non habeat. Alii vero octo statuunt, prout habentur in Evangelio Matthæi, asserentes octavam illam: *Beati scilicet qui persecutionem patiuntur* &c. tanto aliis esse excellentiorem, quanto excellentius est pati pro Christo, quam operari pro Christo.

Q. *Si unica sit vera Beatitudo, in clara Dei visione consistens, cur Christus tot enumerat?*

R. De illa perfecta Beatitudine hic non loquitur Salvator, sed de aliis, quæ tanquam per gradus conducunt ad cœlestem, & æternam fœlicitatem.

PRI-

PRIMA.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.

Q. QUid intelligitur per pauperes spiritu?

R. Pauperes spiritu secundum Sanctos Patres ii sunt.

1. Qui Deum timent, humilia de se sentiunt, nulla re tument, superba non sapiunt, humilitatem sectantur, & quodammodo ad puerorum mentem, & naturam redeunt.

2. Qui paupertatem non coacti, sine querela, sine impatientia ferunt; dummodo tamen ipsa paupertas causam non habeat ignaviam, aut immoderatos sumptus, vel scelera, neque inertiæ prætextus sit, & excusatio.

3. Religiosi, qui spretis mundi facultatibus, paupertatem Evangelicam in claustris amplectuntur. Sed hoc est consilium, non præceptum.

4. Pauperes spiritu sunt etiam ipsimet divites, qui a pravo rerum, opumque terrenarum affectu expediti, habent tanquam non habentes: non enim requiritur, ut actu, & reipsa divitias relinquant, ut Religiosi faciunt, & fecerunt Apostoli, sed sufficit, si animo illas spernant, & malint omnia bona temporalia perdere, quam vel fidem negare, vel proximum lædere, vel quovis alio peccato mortali Deum offendere. Sic enim est præcepti.

Q. *Quare Christus non dixit: Beati divites, sed potius væ vobis divitibus?*

R. Quia non est semper in nostra potestate, ut divites simus, bene vero pauperes fieri apud nos est, cum possimus voluntarie divitias spernere, & derelinquere.

Q. *Nonne saltem beati etiam sunt divites, qui opibus bene utuntur? Quare ergo Christus illos beatos non appellavit?*

R. Sufficienter Christus divites beatos esse demonstravit, cum dixit: *Beati misericordes*; nec aliter, beati dici possunt divites, nisi quatenus sunt misericordes, pauperibusque succurrunt, eorum miserias suis facultatibus sublevando.

Q. *Undenam Christus paupertatem, quæ ex se non est virtus, aut saltem non est principalis, primam beatitudinem posuit?*

R. Duabus de causis. 1 Quia divitiæ ut plurimum sunt salutis impedimentum: unde sicut omnium malorum origo est avida, & insatiabilis rerum mundanarum cupiditas; ita voluntaria paupertas virtutum fundamentum est: hominem siquidem multis sollicitudinibus liberat, & spem, curamque omnem, & amorem in uno Deo figit, & ad legem observandam aptissima est: unde Christus, ut sese verum Messiam discipulis Joannis probaret, ait: *Pauperes evangelizantur*, Matth. 11. hoc est Evangelium suscipiunt, & huic obediunt, seu præcepta ejus adimplent, quorum observantia ad Regnum Cœlorum perducuntur.

2. *Beatos pauperes* dixit, ad corrigendam, & reprobandam opinionem eorum mundanorum hominum, qui in divitiarum possessione, & fruitione fælicitatem collocant.

SECUNDA.

Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.

Q. QUi veri censentur mites?

R. Ii, qui Christi mansuetudinem imitantur, qui rixas fugiunt, qui non resistunt malis, & improbis, a quibus vexantur, sed vincunt in bono malum; qui pro terrenis, & temporalibus rebus non altercantur; qui nec Deo punienti, vel exercenti obmurmurant; & tandem qui iræ impetus compescunt, &c.

Q. *Quæ terra hic mitibus promittitur?*

R. Utraque, terrena scilicet, & superna a Christo promittitur. Primo siquidem mites possident terram hanc, quia omnium animos sibi conciliant, ab omnibus diliguntur, eaque fruuntur pace, & tranquillitate, quam ignorant turbidi, inquieti, & iracundi.

Secundo jus ad terram cælestem acquirunt. Sicut enim iis, qui divinis legibus religiose obtemperaturi erant, diuturnam in promissa regione vitam Moyses pollicitus erat; ita eamdem lenibus animo promittit Christus: *Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis*, Ps. 36. Et non solum in terra hac, quæ morientium est, & exigui momenti, sed longe fæliciorem, æternam nempe, de qua Propheta loquitur: Tu es *spes mea, portio mea in terra viventium*, Psal. 141. Non enim probabile est, Christum *mitibus* terram hanc, quam pedibus calcamus, solum promisisse, quam ipse contemnendam docuit, & quam certe mites & mansueti ordinarie non possident, quin potius bonis ejus privati vivunt.

T E R T I A.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Q. QUibus lugentibus annexa est tertia beatitudo?

R. Certe non iis, qui ob impatientiam, desperationem, avaritiam, inimicorum odium, terrenas cupiditates, & temporalium malorum metum, lacrymas effundunt: sed iis, qui morborum vi, infortuniis, paupertate, cæterisque hujus vitæ ærumnis, & calamitatibus oppressi, flere coguntur; modo hæc ferant animo, divinæ dispositioni, seu providentiæ subjecto.

Item iis, qui propria, & aliena flagitia deflent; & tristes sunt ea tristitia, quæ pœnitentiam in salutem operatur, 2. Corint. 7. v. 10.

Item iis, qui exilium a cælesti Patria, & carentiam summi atque infiniti boni lugent, ad quod in hac miserabili valle toto desiderio suspirant.

Q. *Quando, & quomodo consolabuntur?*

R. Cum ex hac vita discesserint, tristitia eorum vertetur in gaudium, & ab eorum oculis omnem lacrymam Deus absterget, & pro temporali mæstitia, æterna in cælesti Regno perfruentur lætitia. Interdum tamen etiam in hoc sæculo solatium aliquod, infusa in cordibus eorum gratiæ Dei suavitate, sentiunt.

Q U A R T A.

Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.

Q. E*Xplices mihi, quæso, latius hanc beatitudinem, & quid intelligendum venit per eos, qui esuriunt, & sitiunt justitiam?*

R. Per eos, qui *esuriunt, & sitiunt justitiam*, intelligendi sunt ii, qui voluntatem Dei amant, eamdemque fieri ardenter desiderant, & omnibus, quibus possunt modis, seu tolerando, seu agendo, conantur in se, & in aliis tueri, stabilire, promovere *justitiam*, seu id quod justum est, & æquitati consonum, & gratum Deo. Uno verbo, qui sponte omnibus vitæ commodis renunciant, ut justitiam acquirant, virtutes exerceant, & sic justi, & sancti efficiantur.

Q. *Quare Christus figurativa hac locutione usus est?*

R. Ut ostenderet nos tanto ardore debere desiderare, & tanto studio quærere virtutem, & sanctitatem, quanta cupiditate homo fame laborans, sitique æstuans, potum ac cibum quærit. Ita Pau-

Paulus, cæterique Martyres passi sunt cruciatus, famem, sitim, nuditatem, ærumnas multas, ut veritatem, & justitiam tuerentur &c.

Pauperem quidem vitam gerimus, ajebat olim Tobia Filio suo, *sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene*, Tob. 4. v. 23.

Q. *Ubinam saturabuntur?*

R. In Paradiso, ad quem tanto desiderio semper anhelant, ubi animæ beatæ visione, & amore Dei reficiuntur ad satietatem, juxta illud Psal. 16. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

QUINTA.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Q. QUi censendi sunt misericordes? R. Qui opera misericordiæ corporalia, & spiritualia erga alios exercent, & non valentes eis succurrere, benevolum saltem animum, teneram compassionem, & promptam eos adjuvandi, si possibilitas afforet, exhibent voluntatem.

2. Misericordes sunt, qui Patris Cælestis misericordiam imitantur; qui dimittunt aliis, sicut sibi ipsis dimitti volunt.

Q. *A quo misericordiam consequentur?*

R. A Deo, & ab hominibus etiam in hac vita, sed perfectissime in altera. Scriptum est: *Date, & dabitur vobis; dimittite, & dimittetur vobis.* Beati igitur misericordes, quoniam ipsi *misericordiam Dei in æternum cantabunt.*

Hinc nulla spes nobis misericordiæ, si misericordiam erga alios non exercuerimus; nulla nobis erit venia, quam ipsi non dederimus. Deum denique severissime in nos animadversurum sentiemus, si vindictam, iramque non cohibuerimus. *Si non dimiseritis de cordibus vestris*, ait Christus, *nec Pater vester cælestis dimittet vobis.* Et alio in loco dicit: *Judicium fiet sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.*

SEXTA.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Q. QUomodo intelligenda sunt hæc verba, mundo corde?

R. Multiplicem admittunt interpretationem. *Mundi corde* sunt ii, qui conscientiam nullo peccato mortali, nullis flagitiis, quibus a Dei aspectu, ac præsentia arcemur, onustam habent.

2. *Mundi corde* sunt illi, qui animum ea simplicitate, æquitate, candore, & sinceritate instructum habent, quibus Filii Dei distinguuntur.

3. Denique *mundi corde* sunt, quorum corpora casta sunt. Etenim nihil est, quod homines magis a Deo, ac beatissima illius præsentia removeat, quam ea flagitia, quæ pudicitiam lædunt.

Q. *Quare mundis corde visio Dei promittitur?*

R. Quia, sicut habentes oculos puros, & lucidos, melius, & clarius vident; ita qui cor mundum, & ab omni labe peccati, & impudicitiæ macula liberum habent, clariori Dei visione fruentur; Deus siquidem non corporalibus oculis, sed mente pura conspicitur, quæ mens non raro *cor* in Scriptura appellatur.

SEPTIMA.

Beati Pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

Q. QUi Pacifici dicuntur?

R. Pacifici in duplici sunt differentia; aliqui enim sunt pacifici cum proximo, alii in se ipsis.

Pacifici cum proximo ii sunt, qui pacem tuentur, eamque servant inter amatores turbarum; qui lenitate, patientia, clementia, obsequio, publice & privatim, domi, & foris pacem colunt. Hæc natura est Christianæ Religionis, ab jurgiis, litibus, turbis, ambitione, & cupiditate alienæ.

Pacifici in se ipsis ii sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subjicientes rationi, seu spiritui, carnalesque cupiditates, & concupiscentias habentes edomitas, obediunt Deo, fiuntque Regnum Dei, *quod est pax, & misericordia*. Jesus Christus lenitatem, patientiam, tranquillitatem, & pacem discipulos suos maxime edocuit.

Q. *Quare vocabuntur filii Dei?*

R. Quia similes Deo erunt; Deus enim in Scripturis *Deus pacis* appellatur, Rom. 15. ejusque proprium est pacem dare: unde qui pacem amant, æquissimo jure *filii Dei* nuncupantur.

Q. *Cur Christus non dixit: erunt filii Dei, sed vocabuntur filii Dei?*

R. Unum dicendo, aliud non exclusit: *Vocabuntur filii Dei*, dixit; quia videtur, quod sic vocari *filii Dei*, latius se extendat, & plus significet, veluti si dicere voluisset: *sic erunt*, & vocabuntur *filii Dei*, ut & mundus ipse, qui prius vitam illorum reputabat insaniam, ipsosque stupidos nominabat, cogatur laudes eorum celebrare, *filiosque Dei*, prout sunt, eos nuncupare.

OCTAVA.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.

Q. QUid est pati persecutionem propter justitiam?

R. Est ærumnas, injurias, odia inimicorum, & molestias omnes extrinsecus illatas, æquanimiter pro Dei amore, sustinere. Aliter etiam exponi potest hic textus, nempe pro *hominibus justis*, qui pie, & sancte viventes, multa ob eorum virtutes a mundanis hominibus patiuntur incommoda, juxta illud: *Qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Non enim *mala perpeti* semper est prædestinationis signum, aut mera secundum Deum felicitas, sed mala hæc pati *justitiæ causa*. Puniuntur mali, & qui scelestè agunt; vel quia homicidæ, aut fures, aut maledici, aut alienorum appetitores, aut blasphemi, aut hæretici; & istis certe non est promissa æterna beatitudo, quia non patiuntur *propter justitiam*. *Ubi sana fides non est, non potest esse justitia; quia justus ex fide vivit. Ubi charitas non est, non potest esse justitia: dilectio enim proximi malum non operatur*, S. Aug. de serm. Dom. in monte. Faxit Deus, ut scelerum caussa nullis unquam calamitatibus obnoxii simus.

Q. *Numquid justitiæ nomine potest Jesus Christus intelligi: ita ut Beati sint illi, qui Jesu Christi causa malis opprimuntur?*

R. Quidam Sancti Patres, ut Hilarius, & alii ita intellexere. Unde Christiani, qui fidem, innocentiam, veritatem, justitiam tuentur; quamvis hominum, inferorumque nequitia in eos sæviant, beati sunt; & magna merces in cœlis eis reposita manet. Defendenda semper est virtus, pietasque. Etenim præ-

præmii causa non est persecutio, sed causæ, quam tuemur, æquitas: neque quid feras quæritur, sed cur, & quomodo.

Q. *Post enumeratas octo beatitudines, nonam addidisse Christus mihi videtur, cum dixit: Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos*, &c. Matth. 5. v. 11.

R. Certe non est beatitudo ab aliis distincta, sed amplior declaratio eorum, quæ Apostoli pro Christi nomine pati debebant. Sæpius repetiit divinus Magister calamitates, quibus sui discipuli futuri erant obnoxii, propter fragilitatem humanam, ut essent parati ad omnem eventum, minusque turbarentur, cum viderent fieri ea, quæ prænunciata erant.

Nihil penitus omisere Judæi, atque Ethnici, ut Jesum ejusque discipulos omnibus odiosos efficerent: hi vero nihil nisi patientiam opposuere: quin & ipsis inimicorum odiis gavisi sunt, juxta mandatum Domini: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis:* relicta Deo defensionis suæ cura.

Q. *Numquid in Sacra Scriptura memorantur aliæ beatitudines?*

R. Legimus quidem in sacris Litteris: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, Psalm. I. *Beatus vir qui timet Dominum*, Psal. 111. *Beatus vir qui sperat in eo &c.* Sed hæ, & aliæ beatitudines, in veteri & novo Testamento relatæ, reducuntur ad supradictas octo Beatitudines, cum quibus in merito, & in præmio conveniunt.

Q. *Si beatos illos Christus dixit, qui contenta in octo istis Beatitudinibus observant, suntne idcirco securi de sua æterna salute?*

R. Minime. Dicuntur quidem *Beati*, quia ambulant per viam rectam, quæ ducit ad æternam fęlicitatem, ad quam pervenient, ni obstet aliquod peccatum mortale. Beatitudines istæ sunt quasi gradus per quos ascenditur ad Cęlos. Deinde virtutes illæ, in quibus hæ Beatitudines statuuntur, ita sunt inter se connexæ, ut nisi simul omnes habeamus, saltem in præparatione animi, & quantum in nobis est, beati esse non possimus. Quare cum in singulis dicitur, *Beati &c.* intelligendum est, si nihil eorum desit, quæ alibi ad veram Beatitudinem requisita sunt. Et hoc commune est pene omnibus propositionibus affirmativis, ut sensu commodo, & cum requisitis conditionibus exponi debeant.

A M E N.

Q. *Quid hoc vocabulum* Amen *significat?*

R. Amen vox est Hebraica, derivata cum multis aliis rebus ab antiquis ritibus, & quæ ad Christianos usque descendit. Ejus significatio est, *verum, fidele, certum*. In fine symboli apponitur, ut demonstremus nos assentiri veritatibus in eo contentis.

Antiquitus, finita Sacerdotis oratione, respondebat populus elata voce, *Amen*, in signum consensus, & approbationis precum sacerdotalium, teste Sancto Hieronymo, dum Romæ populus respondebat *Amen: Ubi sic*, inquit, *ad similitudinem cœlestis tonitrui* Amen, roboat Lib. 2. cap. 2. in Epist. ad Galatas.

Hodie tamen, ut vitetur confusio dissonantium vocum populi, solummodo qui stant in choro, respondent Amen.

Q. *Cur Sacerdos in Missa, dicente clerico:* Sed libera nos a malo, *respondet submissa voce* Amen?

R. Sic respondet, quia quamdiu versamur in hac vita mortali, nullam certitudinem habemus, nos esse liberos ab omni culpa: *Ideo finit dicendo* Amen, *ad inditium certitudinis*, inquit Sanctus Bonaventura; *sed quia quamdiu hic sumus*, in hoc mundo scilicet, *ad certitu-*

titudinem non pervenimus: ideo tacite dicitur, & submisse a Sacerdote, S. Bonav. in cap. 11. Luc.

Solitum erat Christianis sumentibus Sacram Synaxim respondere *Amen* verbis sacerdotis. *Ergo non otiose cum accipis, tu dicis* Amen. *Jam in spiritu confiteris, quod accipias Corpus Christi. Dicit tibi sacerdos*, Corpus Christi, *& tu dicis* Amen, *hoc est verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus*, S. Ambros. de Sacram. Lib. 4. cap. 4.

Cum ergo ad finem Symboli dicimus *Amen*, idem est ac si diceremus: omne quod dictum est, verum est, certum est, sic credimus, sic profitemur, promissaque fiducialiter, & firmiter expectamus.

Narratur in Chronicis Sigiberti ad annum 633. Filium Dagoberti Regis Franciæ, cum baptizaretur a Sancto Amando, orationibus clara voce respondisse *Amen*, licet tunc quadraginta dies vix attigisset.

Hoc ipsum prodigium refertur ab aliis Scriptoribus istius sæculi.

Q. *Sufficitne, ad salutem consequendam ea credere, quæ in hoc Symbolo exprimuntur?*

R. Sunt & alia multa credenda, quamvis non ita aperte seu explicite; ut sunt sequentia: Universa Sacra Scriptura, & ea, quæ nobis, tanquam de fide credenda, ab Ecclesia, *quæ columna est, & firmamentum veritatis*, proponuntur.

At cum fides sine operibus mortua sit, requiruntur ulterius bona opera, & adimpletio præceptorum divinorum, teste ipsomet Christo: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* &c. Unde Apostolus ait: *Fratres satagite, ut per opera vestra bona, certam vestram vocationem & electionem faciatis.*

Sic operantes *ad vitam æternam* perveniemus.



A D

AD HOMINEM CHRISTIANUM.

Homo Dei creatura,
Cur in carne moritura
Est tam parva tibi cura
Pro æterna gloria.
Illa quanta sit, si scires,
Præter eam nil sitires,
Nec mundana sic ambires,
Vana; transitoria.
Et si pœnas infernales
Agnovisses, quæ, & quales,
Tuos utique carnales
Appetitus frangeres.
Et innumera peccata,
Dicta, facta, cogitata,
Mente tota consternata
Merito deplangeres.
Tot sunt gaudia Sanctorum,
Tot tormenta reproborum,
Quod immensitas amborum
Nullo sensu capitur.
Donec Anima post mortem
Aut bonorum sumat sortem,
Aut malorum ad cohortem
Improvise rapitur.
Quando caro sepelitur,
Heu, de spiritu nil scitur,
Utrum gaudet, aut punitur,
Nulla fit magna mentio.
Luctus quidem simulatur,
Sed substantia vastatur,
In propinquis generatur
Zelus & contentio.
Mors est bonis, mors est malis,
Sed sors nimis inæqualis
Subinfertur æternalis
Vitæ, vel interitus.
Si exequiæ celebrantur,
Si vel noti convivantur,
Nil defuncto suffragantur,
Si tunc est immeritus.
Nullum tempus pœnitendi,
Mora nulla revertendi,
Nec tunc locus fugiendi
Miseris supererit.
Si vis sursum, detraheris,
De abyssis extraheris,
Judici ut præsenteris,
Nihil tibi proderit.
Si Jesum non dilexisti,
Nec Mariæ servivisti,
Nec Patronum quæsivisti
Tibi in subsidium.
Quis orabit pro delicto?
Quis spondebit pro convicto?
Quis judicio tam districto
Fiet in præsidium?
Pacis Angeli adstabunt,
Sicut scriptum est, plorabunt,
Justam tamen approbabunt
Judicis sententiam.
Et quod sonat magis dure,
Omnes Dei creaturæ
Aggravabunt justo jure
Reati sententiam.
Sed hæc factis ex scelestis,
Et sui ipsius testis,
Nullam judicis in gestis
Intuens injuriam.
Tunc horribiles Tortores
Tot incutient terrores,
Ut jam sentiens dolores
Vertatur in furiam.
Tunc a bonis reprobata,
In se ipsa desperata,
Anima sic deturbata,
In profundum mergitur.
Ubi Chaos obfirmatur,
Ut nunquam egrediatur,
Sicut Abraham testatur,
Huc illuc non pergitur.
O quæ lingua vel narrare,
Vel quis sensus cogitare,
Quis vel audet numerare
Mala multiplicia,
Quæ damnandis sunt parata,
Et diversis deputata,
Pro ut singula peccata
Exigunt, & vitia.

Ignis, frigus procellarum;
    Sulphur, fætor tenebrarum;
    Jugis luctus animarum.
    Pars earum calicis.
Sempiterna mors, dracones,
    Fames, dæmones, bufones,
    Amarissimos agones
    Superaddunt miseris.
Tot sunt loca tenebrosa,
    Tot tormenta rigorosa,
    Quod hæc terra spatiosa,
    Atque visibilia,
Quasi parum sunt miranda,
    Nec ad illa comparanda;
    Ista quippe enarranda,
    Hæc indicibilia.
Si lætitia Sanctorum,
    Jucunditas Angelorum;
    Dei gloria Deorum
    Est inenarrabilis.
Eris clare videns Deum,
    Fruens, & amore tenens,
    Potens, sciens, placens, gaudens
    Fulgens, liber, agilis.
Ubi Conditoris tui
    Vultu semper possis frui:
    Fælix prorsus illa, cui
    Visio conceditur.
A qua nunquam separatur,
    Sed perpetuo lætatur,
    Mali nihil formidatur,
    Nec quis ibi læditur.
Angelorum illic chori,
    Sancti facie decori,
    Vivere, & nunquam mori
    Mortis nec memoria.
In æternum sed gaudere,
    Summo bono inhærere,
    Cuncta bona possidere
    In æterna gloria.

Nunquam auris hic audivit,
    Nec videre quisquam scivit:
    Solum qui in cęlis vivit
    Scit experientia,
Quid a malis liberati,
    Et in gloria collocati.
    Ipsi possident Beati
    In Christi præsentia.
Sed his paucis propalatis,
    Partim tactis, & narratis,
    Quæ tum Sanctis, tum damnatis
    Præparata legimus.
Jam prudentius agamus,
    Sanctam vitam eligamus,
    In hoc Mundo defleamus
    Mala quæ peregimus.
Non vivamus ut jumenta,
    Ne post mortem ad tormenta
    Veniamus, & lamenta
    Intolerabilia.
Modo veniam precemur,
    Mortem Christi meditemur,
    Ad superna præparemur
    Desiderabilia.
Ecce Mundus evanescit,
    Decor ejus jam marcescit,
    Et quotidie vilescit
    Fallax ejus gloria.
Quæ demergit ad inferna,
    Ergo gloria superna,
    Vita nobis sempiterna
    Jugis sit memoria.
Ut defuncti sublevemur,
    Cum Cęlestibus letemur,
    Et in Deo gloriemur
    Summe delectabili,
Qui solus glorificandus
    Est, amandus, & optandus,
    Laudeque magnificandus
    Est interminabilis.

DE

DE CANONIBUS POENITENTIALIBUS.

CUm necessaria sit Sacerdotibus, qui Confessiones audiunt, Canonum Poenitentialium scientia, ut iis velut regulis quibusdam dirigantur, cum ad culpæ commissæ gravitatem recte dignoscendam, tum ad imponendam pro illius ratione congruam satisfactionem, ut Patres docuerunt, Canones Poenitentiales pro Decalogi ratione dispositos a *S. Carolo Borromæo*, & ex antiquis Patribus, & Conciliis, ex Poenitentiali ***Bedæ***, ex Poenitentiali ***Rabani***, & Poenitentiali Romano, nec non ex ***Burhardi Vuormatiensis***, ***Anselmi Lucensis***, ***Yvonis Carnotensis***, & ***Gratiani*** Collectionibus maximam partem descriptos, hic exhibere operæ pretium est, in gratiam Parochorum, ac Sacerdotum cæterorum, qui Confessiones excipiunt.

CANONES POENITENTIÆ,

Spectantes peccata contra primum Decalogi præceptum commissa.

QUi a Fide Catholica descifcens, intimo, summoque prævaricationis suæ dolore affectus ad Ecclesiam redierit, Poenitentiam aget ***annis decem***.

Qui dæmoni immolaverit, in Poenitentia erit ***annis decem***.

Qui more Gentilium elementa coluerit: qui vel segetibus faciendis, vel ædibus extruendis, vel arboribus serendis, vel nuptiis contrahendis, inanem signorum fallaciam observaverit, Poenitentiam aget ***annos duos*** feriis legitimis. Feriæ legitimæ sunt secunda, quarta, & sexta, Canonum legibus Poenitentiæ, Jejunioque consecratæ.

Qui cum Judæis cibum sumpserit, Poenitens erit ***dies decem***, pane, & aqua victitans.

Qui auguriis, & divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, Poenitens erit ***annos septem***.

Mulier incantatrix Poenitentiam aget ***annum***; vel ut alio Canone cavetur, ***annos septem***.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, Poenitentiam aget ***dies viginti***.

Qui Magos consuluerit; quive domum suam induxerit, aliquid arte Magica exquirendi causa, in Poenitentia erit ***annos quinque***.

Q. Qui ædes Magicis cantionibus lustrat, aliudve tale admittit; & qui ei consentit, quive consulit, in Poenitentia erit ***annos quinque***.

Qui tempestatum immissor erit, Poenitentiam aget ***annos septem***, tres in pane, & aqua. Qui vero crediderit, particepsve fuerit, annum unum per legitimas ferias.

Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, Poenitens erit ***annos duos***, per legitimas ferias.

Si quis sortilegus erit, Poenitentiam aget ***dies quadraginta***.

Si quis in codicibus, aut in tabulis sorte ducta res futuras requisierit, Poenitens erit ***dies quadraginta***.

Respiciens furta in Astrolabio, ***annis duobus***.

Si quis Clericus, vel Monachus, postquam Deo voverit, ad sæculum redierit, Poenitentiam aget ***annos decem***, quorum tres in pane, & aqua.

CANONES POENITENTIÆ,

Spectantes peccata contra secundum Decalogi præceptum commissa.

QUicumque sciens pejeraverit, ***quadraginta dies*** in pane, & aqua, & ***septem sequentes annos*** poeniteat, & nunquam sit sine Poenitentia, & nunquam

quam in teſtimonium recipiatur; & poſthæc Communionem percipiat.

Qui perjurium in Eccleſia fecerit, Pœnitentiam aget *annos decem*.

Qui ſciens pejerat domini impulſu, Pœnitens erit *quadrageſimas tres*, & ferias legitimas. Dominus autem quia præcepit, quadraginta dies in pane, & aqua, & ſeptem ſequentes annos.

Si quis ſciens pejeraverit, alioſque in perjurium induxerit, Pœnitens erit *dies quadraginta* in pane, & aqua, & ſetem ſequentes annos: & tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

Si quis ſuſpicatus ſe ad pejurium induci, ex conſenſu jurat, Pœnitentiam aget *dies quadraginta*, & ſeptem annos ſequentes, & nunquam ſine gravi Pœnitentia erit.

Si quis per cupiditatem perjurium fecerit, carinam in pane, & aqua jejunet, & *quamdiu vivit*, omnes ſextas ferias. Carinæ jejunium appellatur, quod per quadraginta dies in pane, & aqua fiebat, ut *Burchardus interpretatur*. Quidam *carenam*, alii *carentenam*, alii *quadragenam* dicunt.

Item, ſi quis per cupiditatem pejeraverit, *omnes res ſuas vendet*, & pauperibus *diſtribuet*, & *Monaſterium* ingreſſus jugi ſe Pœnitentiæ ſubdet.

Si quis coactus, neceſſitateque aliqua impulſus perjurium commiſerit, in Pœnitentia erit *Quadrageſimis tribus*.

Item, ſi quis coactus pejeraverit, Pœnitens *quadraginta diebus* pane, & aqua victitet, ac præterea omnibus ſextis feriis.

Si quis ſeductus, ignorans, & poſtea cognoſcit, Pœnitentiam aget *annum unum*, vel Quadrageſimas tres, vel dies quadraginta.

Qui compellit alium, ut falſum juret, *quadraginta dies* in pane, & aqua, & *ſeptem annos* in Pœnitentia erit.

Si quis jusjurandum, quo ſe Regi, & Domino ſuo adſtrinxerit, violaverit, in Monaſterio Pœnitentiam aget *omnibus diebus vitæ ſuæ*.

Si quis ſe jurejurando obſtrinxerit; ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet, Pœnitentiam aget *dies quadraginta* in pane, & aqua, *per annum a Sacra Communione ſegregatus*: ad charitatem vero celeriter redeat.

Si quis per capillum Dei, aut per caput ejus juraverit; ſi ſemel neſciens fecerit, Pœnitens aqua, & pane *ſeptem dies* victitet: ſi ſecundo, ac tertio monitus idem fecerit, dies *quindecim*.

Si per Cœlum, aut per aliam aliquam creaturam, dies item *quindecim*.

Si quis blaſphemat, tamdiu Pœnitens erit, quamdiu *impœnitens* permanſit.

Si quis Deum, vel Beatam Mariam Virginem, vel aliquem Sanctum publice blaſphemaverit; pro foribus Eccleſiæ diebus Dominicis ſeptem, in manifeſto, dum Miſſarum ſolemnia aguntur, ſtet: ultimoque ex illis die ſine pallio, & calceamentis, ligatus corrigia circa collum: ſeptemque præcedentibus feriis ſextis in pane, & aqua jejunet, Eccleſiam nullo modo tunc ingreſſurus. Singulis item *ſeptem illis diebus Dominicis* tres, aut duos, aut unum pauperem paſcat, ſi poteſt; alioquin alia Pœnitentia afficiatur: recuſans, Eccleſiæ ingreſſu interdicatur; in obitu *Eccleſiaſtica careat ſepultura*. Dives a Magiſtratu mulctetur pœna *ſolidorum* quadraginta, alioquin triginta, ſeu viginti.

CANONES POENITENTIÆ,

Spectantes peccata contra tertium Decalogi præceptum commiſſa.

QUi opus aliquod ſervile die Dominico, Feſtove fecerit, Pœnitentiam aget *tres dies* in pane, & aqua.

Qui die Dominico opus terrenum fecerit... *dies ſeptem* Pœnitentiam aget,

Si quis ante Eccleſias, vel die feſto ſal-

saltationes fecerit; emendationem pollicitus, Pœnitentiam aget *annis tribus*.

Si quis pransus Missæ interfuerit, Pœnitens erit *dies tres* in pane, & aqua.

Si quis Sacram Communionem sumpserit post aliquam, vel minimam degustationem, Pœnitentiam aget *dies decem*, in pane, & aqua.

Si quis in Ecclesia confabuletur, cum Divina fiunt, Pœnitens erit *dies decem*, in pane, & aqua.

Si quis jejunia a Sancta Ecclesia indicta violarit, Pœnitentiam aget *dies viginti*, in pane, & aqua.

In Quadragesima, carne sine inevitabili necessitate vescens, *in Pascha non communicet*, ac præterea a carne abstineat.

Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro *uno* die Pœnitentiam aget *dies septem*.

Si quis jejunium Quatuor Temporum non custodierit, Pœnitens erit *dies quadraginta* in pane, & aqua.

CANONES POENITENTIÆ.

Spectantes peccata contra quartum Decalogi præceptum commissa.

QUi Parentibus maledixerit, *quadraginta dies* Pœnitens sit in pane, & aqua.

Qui Parentes injuria affecerit, *tres annos*.

Qui percusserit, *annos septem*.

Qui expulerit, tamdiu Pœnitens, quamdiu in impietate permanserit.

Si quis contra Episcopum, Pastorem, & Patrem suum insurrexerit, *in Monasterio* omnibus diebus vitæ suæ Pœnitentiam aget.

Si quis contra Episcopum conspiraverit, *gradu suo* amovebitur.

Si quis Episcopi sui, aut Ministrorum ejus, vel Parochi sui præcepta contempserit, vel irriserit, Pœnitentiam aget *dies quadraginta* in pane, & aqua

CANONES POENITENTIÆ,

Spectantes peccata contra quintum præceptum Decalogi commissa.

QUi Presbyterum occiderit, Pœnitentiam aget *annos duodecim*.

Si quis Presbyter Presbyterum occiderit, Pœnitentiam aget *annos viginti octo*.

Si quis Presbyterum armis contra se irruentem occiderit, Pœnitens erit *annos decem*.

Si quis Patrem, aut Matrem, Fratrem, aut Sororem occiderit, *toto vitæ suæ tempore* non suscipiat Corpus Domini nisi in obitu: abstineat a carne, & vino dum vixerit: jejunet secunda, & quarta, & sexta feria... Si autem nolenti accidit, *decem annis* pœniteat judicio Sacerdotis.

Qui voluntarie filium suum, aut filiam suam, vel germanum, aut germanam suam occiderit, *quinque annis* extra metas ipsius terræ *exul fiat*: deinceps viginti annis pœniteat.

Quæ mulier filios suos necarit, peracta *septenni* Pœnitentia, in Monasterium detrusa, Monasticam vitam perpetuo regulariter aget.

Si quæ Mulier post partum, filium, filiamve sponte interfecerit, Pœnitentiam aget *annos duodecim*, & nunquam erit sine Pœnitentia.

Paupercula, si ob difficultatem nutriendi id commiserit, *annos septem*.

Siqua mulier sponte abortum fecerit, Pœnitentiam aget *tres annos*: Si nolens, Quadragesimas tres.

Item, Mulier partum suum perdens voluntarie ante quadraginta dies, Pœnitens erit *annum unum*. Si post quadraginta dies, *annos tres*. Si vero postquam editus est in lucem, tamquam homicida.

Quæ sceleris occultandi causa filium necarit, Pœnitentiam aget *annos decem*.

Qui nolens filium oppresserit, si post Baptismum, Pœnitentiam aget *dies quadraginta* in pane, & aqua, oleribus, ac leguminibus: abstinebit ab uxore dies totidem. Deinde Pœnitens erit tres annos per legitimas ferias: tres præterea Quadragesimas in anno observabit. Si ante Baptismum, quadraginta dies, ut supra, & quinquenii præterea Pœnitentiam explebit.

Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, *tres annos* pœniteat, unum in pane, & aqua.

Cujus filius sine Confirmationis Sacramento moritur; Parentes, quorum negligentia id factum est, Pœnitentiam agent *annos tres*.

Si quis explendæ causa libidinis, vel odii meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere; *homicida* teneatur.

Qui uxorem occiderit, aut Monasterium ingrediatur, Pœnitentiam perpetuam acturus; aut cuncta negotia sæcularia dimittens, perpetuo abstineat a carne, sagimine, vino, medone, mellita, cervisia, exceptis diebus Resurrectionis, & Natalis Domini: uxorem non ducat &c. in fine tantum vitæ Eucharistiam accipiat.

Si mulier maritum suum causa fornicationis veneno interfecerit, aut quacumque arte perimere facit; *sæculum relinquat*, & in Monasterio pœniteat.

Qui mortem sibi consciverit: pro eo *nulla in Missa commemoratio fiat*, neque cum Psalmis ejus cadaver sepeliatur.

Si quis sponte hominem occiderit, ad *januam* Ecclesiæ semper erit, & in obitu Communionem recipiet. Si casu necarit, Pœnitentiam aget *annos septem*.

Si quis hominem necare voluerit, neque hoc scelus patrare potuerit, ut *homicida* Pœnitentia afficietur.

Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit, Pœnitentiam aget *annos tres*.

Si quis jussu Domini homicidium perpetrarit, *dies quadraginta* in pane, & aqua, & præterea *septem annos* sequentes per legitimas ferias jejunabit.

Qui homicidii auctor fuit, ob consilium quod dedit; erit in Pœnitentia *quadraginta dies* in pane, & aqua, cum *septem* sequentibus annis.

Si quis casu homicidium fecerit, Pœnitens erit *quadragintas dies* in pane, & aqua: quinquennio Communione privabitur: a cibis abstinebit arbitrio Sacerdotis.

Qui homicidio, quod postea factum est, consenserit, Pœnitentiam aget *annos septem*; tres in pane, & aqua. Si autem voluerit, nec potuerit, tres tantum annos.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, Pœnitentiam aget *uno anno* per legitimas ferias. Si cicatrix gravis est, & vulneratum deformem reddit, *quadraginta etiam dies* pœnitebit in pane, & aqua.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit; *tridui* Pœnitentiam aget in pane, & aqua. Clericus, *unius anni*, & *mensium sex*.

Si quis aliquem per iram percutiens; debilitaverit, soluta medicamenti impensa, si Laicus est, Pœnitens erit *quadraginta dies* in pane, & aqua. Si Clericus, duas quadragesimas. Si Diaconus, septem mensibus. Si Presbyter, *uno anno*.

Si quis fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult, tamdiu in pane, & aqua Pœnitentiam aget, *quod reconcilietur*.

CA-

CANONES POENITENTIÆ,

Spectantes peccata contra sextum Decalogi præceptum commissa:

SI Laicus solutus cum femina soluta concubuerit, Pœnitens erit *annos tres*: & quanto sæpius, tanto majori Pœnitentia afficietur.

Uxor viro conscio mæchata, ne in obitu quidem communicabitur: si dignam Pœnitentiam egerit, *post decem annos* Sacram Communionem sumet.

Si quis uxorem nolentem adulterium perpetrare coegerit, Pœnitentiam aget *dies quadraginta* in pane, & aqua, & septem præterea annos, e quibus unum in pane item, & aqua.

Vir solutus, si cum alterius uxore adulterium commiserit, Pœnitentiam aget *annos septem*, mulier *quinque*.

Mulier soluta cum alterius marito adulterium patrans, Pœnitentia afficietur *decennali*.

Si quis maritus semel lapsus est, Pœnitentiam aget *annos quinque*. Si sæpius mæchatus est, in fine vitæ est conveniendus; sique promiserit se cessaturum, dabitur ei Communio.

Si quis uxorem simul, & concubinam habuerit, in Pœnitentia *erit annos septem*, & amplius pro ratione culpæ.

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, Pœnitens erit *quadraginta* dies.

Si quis adolescens cum virgine peccaverit, Pœnitentiam aget *annum unum*.

Qui puellam, aut mulierem libidinose obtrectaverit, si Clericus est, *quinque dies*; si Laicus, *tres dies* Pœnitentiam aget: Monachus, vel Sacerdos a ministerio suspensus, Pœnitens erit *dies viginti*.

Si quis in balneis cum muliere se laverit, Pœnitentiam aget *triduo*.

Qui concupierit virginem, quam postea uxorem duxerit, Pœnitentiam aget *annum unum* per legitimas ferias. Si vero non duxerit, *annos duos* per legitimas ferias.

Vidua, quæ stuprum admiserit, Pœnitentiam aget annum *unum*, & præterea altero anno dies jejuniorum, *feriis nimirum legitimis*.

Cum duabus sororibus fornicatus, Pœnitentiam aget *toto vitæ suæ tempore*.

Qui incestum fecerit (non ita enormem) ei alii annorum *duodecim*, alii *quindecim*, alii *decem*, alii *septem* Pœnitentiam constituunt.

Quicumque Sacerdos spiritualem filiam violaverit, *dignitatis honorem amittet*, & perpetuam Pœnitentiam aget.

Qui Monialem violaverit, Pœnitens sit *annis decem*.

Presbyter, si fornicationem admiserit, sponte confessus Pœnitentiam aget *annos decem*.

Qui cum brutis cojerit, Pœnitentia afficietur *annorum decem*, & diuturniori etiam pro personæ conditione.

Qui contra naturam cojerit; si servus est, *scopis* castigabitur, & pænitebit *annos duos*; si liber est, & Matrimonio junctus, *annos decem*, si solutus, *annos septem*: pueri *dies centum*. Laicus Matrimonio junctus, si in consuetudine habet, *annos quindecim*. Si Clericus, de gradu amotus, ut Laicus Pœnitentiam aget. Qui cum Fratre tale scelus admiserit, ab omni carne abstinebit, Pœnitensque erit *annos quindecim*. Si Clericus, diuturniori, & graviori Pœnitentia afficietur.

Mulier in se, aut cum altera fornicans, Pœnitentia afficietur *duorum annorum*. Vir se inquinans primo, dies *decem*: si iterum, dies *viginti*: si tertio dies *triginta*: si nefarie agere perget, Pœnitentiæ accessio ei fiet: si puer, dies quadraginta: si major, quindecim annis, dies centum.

Qui

Qui complexu feminæ, vel osculo polluitur, Pœnitentiam aget *dies triginta*: qui contactu inverecundo, *menses tres*.

Qui concupiscit mente, sed non potuit, *dies decem* Pœnitentiam aget.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, nec vero peccare voluerit, Pœnitentiam aget *dies viginti*. Si vero impugnatione tentationis, & cognitionis inquinatur, pœnitebit item *dies viginti*.

Quicumque lenocinium exercuerit, Pœnitentiam aget *annos duos* per legitimas ferias: item Sacram Communionem non accipiet nisi in fine.

Si quæ mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, Pœnitentia afficietur *annorum trium*.

CANONES POENITENTIÆ,

Spectantes peccata contra septimum Decalogi præceptum commissa.

QUi furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro; quod sustulit, reddet; & *tres carinas* cum *septem* sequentibus annis pœnitebit.

Qui Sacras Reliquias furatus est, illis restitutis, *septem carinas* jejunabit.

Pecuniam Ecclesiasticam furatus, quadraplum reddet; si quid item de ministerio Ecclesiæ aliquo modo subripuerit, Pœnitens erit *annos septem*.

Sacrilegus rerum Ecclesiasticarum invasor tres annos Communione privabitur: ac præterea sine esu carnis, & potatione vini usque ad *septennium* Pœnitens permanebit.

Qui Ecclesiam incenderit, aut incendio consenserit, restitutione facta, Pœnitentiam aget *annos quindecim*.

Si quis malo studio, vel odio, vel ulciscendæ injuriæ causa, incendium commiserit, committive jusserit, aut incendiario auxilium, vel consilium scienter dederit; *excommunicetur*: mortuus Christiana sepultura carebit. Nec vero absolvetur, nisi damnum pro facultatibus resarserit; juretque se imposterum tale facinus numquam admissurum.

Si quis sepulchrum violaverit, Pœnitens erit *annos septem*, e quibus tres in pane, & aqua.

Qui sepulchrum infregerit, ut defuncti sepulti vestimenta furaretur, Pœnitens erit *annos dies* per legitimas ferias.

Qui de oblationibus, quæ Ecclesiis factæ sunt, aliquid retinuerit, Pœnitens erit *dies quadraginta* in pane, & aqua.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit; quadruplum restituet, & Pœnitentiam aget *dies viginti* in pane, & aqua.

Qui Hospitalis Domus Administrator, aliquid de administratione subtraxerit, restituet, quod abstulit, Pœnitensque erit *annos tres*.

Qui pauperem oppresserit, ejusque bona abstulerit, reddet ei suum, & Pœnitens erit *dies triginta* in pane, & aqua.

Clericus furtum capitale faciens, *septennii* Pœnitentiam explebit, Laicus quinquennii, & quod furatus est, reddat.

Qui fregerit noctu alicujus domum, ut aliquid auferat, pretium reddet; & Pœnitentiam aget *annum* in pane, & aqua: si non reddit, *annos duos*.

Si quis furtum de re minori semel, aut bis fecerit, restituta re, Pœnitentiam aget *annum unum*.

Qui rem inventam non reddit, furtum committit: idcirco tamquam de furto Pœnitentiam aget.

Si quis usuras accipit, rapinam facit, ideoque quicumque illas exegerit, Pœnitentiam aget *annis tribus*, uno in pane, & aqua.

CA-

CANONES POENITENTIÆ,

Spectantes peccata contra octavum Decalogi præceptum commissa .

QUi affirmaverit verum esse, quod falsum est , Pœnitentiam aget , ut *adulter* , *ut homicida*, qui sponte id facinus admiserit.

Qui falso testimonio consenserit , Pœnitens erit *annos quinque*.

Qui proximo falsum crimen obiicit , Pœnitentia afficitur ut falsus testis .

Qui proximo peccatum imputarit , priusquam eum arguerit ; primum illi satisfaciens Pœnitentiam *aget tres dies* .

Si quis contra proximum lingua lascivus erit , *triduana* Pœnitentia expiabitur .

Si quis murmuraverit , judicio Sacerdotis Pœnitentiam aget pro culpæ gravitate .

Si quis convitium manifestum fratri in ulerit , *diuturna* expiabitur Pœnitentia pro modo peccati.

Si quis facile detraxerit , falsumque in hoc dixerit , Pœnitens erit *dies septem* in pane, & aqua.

Qui falsitatem , fraudemve in ponderibus , & mensuris admiserit , Pœnitens erit in pane , & aqua *dies viginti* .

Falsarius in pane , & aqua Pęnitentiam agat , *quamdiu vivit*.

CANONES POENITENTIÆ,

Spectantes peccata contra nonum Decalogi præceptum commissa .

REm alienam nefarie concupiscens , avarusque , Pœnitens erit *annis tribus* .

Qui aliena concupiscit, furtum est; qui aliena rapere cupit , rapina est : qui res Ecclesiæ furari appetit , Sacrilegium est . Ideo cum nefarie concupiscendo graviter peccet , ut peccati mortalis Pœnitentiam aget Sacerdotis arbitratu .

Qui rem aliquam proximi pretiosam invenire cupit, ut illam sibi retineat, mortale peccatum concipit , cujus Pœnitentiam aget , ut supradictum est de furto.

CANONES POENITENTIÆ,

Spectantes peccata contra decimum Decalogi præceptum commissa .

SI quis concupiscit fornicari; Si Episcopus, Pœnitens erit *annos septem* : si Præsbyter, *quinque*; si Diaconus , vel Monachus , *tres* ; e quibus unum in pane , & aqua : si Clericus , aut Laicus , *annos duos* .

Si quis in somnis ex immundo desiderio polluitur ; surgat , & cantet *septem Psalmos* Pœnitentiales : & in die triginta .

Si Clericus, aut Laicus ex mala cogitatione , concupiscentiaque semen effuderit, Pœnitens erit *dies septem*.

CANONES POENITENTIÆ,

De septem peccatis Capitalibus , speciatimque de Gula , & Ebrietate .

PRo capitali , mortalique crimine Pœnitentia *septem annorum* indicitur , nisi peccati gravitas , & personæ status severiorem, diuturnioremque Pęnitentiam requirat.

Pro capitali crimine , Pęnitentiam aget Laicus *annos quatuor* , Clericus *quinque* , Subdiaconus *sex* , Diaconus *septem*,

ſeptem, Presbyter *decem*, Epiſcopus *duodecim*.

Sacerdos imprudenter ebrius factus, pane, & aqua Pęnitentiam agat *dies ſeptem*: ſi negligenter, *dies quindecim*: ſi per contemptum, *dies quadraginta*.

Diaconus, & alius Clericus ebrius factus, *arbitrio Sacerdotis* Pęnitens erit.

Monachus ebrius, pane, & aqua *menſibus tribus*; ſi Clericus, *viginti dies*.

Laicus ebrioſus graviter arguatur, & Pęnitentiam agere a *Sacerdote* cogatur.

Qui humanitatis gratia alium inebriare cogit, Pęnitentiam aget *dies ſeptem*: ſi per contemptum, *dies triginta*.

Qui ad bibendum invitat plus quam naturæ ſatis eſt, Pęnitentiam agat.

Qui præ ebrietate, & crapula vomitum fecerit, ſi Presbyter, aut Diaconus, Pęnitentiam agat *dies quadraginta*; ſi Monachus, aut Clericus *dies triginta*; ſi Laicus, *dies quindecim*, abſtineatque a vino, & carne dies tres.

Si quis gulæ cauſa ante horam legitimam jejunium fregerit, *duos dies* Pęnitentiam aget in pane, & aqua.

Si quis nimio cibo ſe ingurgitaverit, ut inde dolorem ſenſerit; *unum diem* Pęnitentiam aget in pane, & aqua.

CANONES POENITENTIÆ,

Pro variis peccatis.

SI quis Sacerdos Miſſam canit, neque communicat, per *annum* Pęnitentiam agat, nec vero interea celebret.

Sacerdos excommunicatus ſi celebrat, *tribus annis* Pęnitens ſit; hebdomadiſque ſingulis feria ſecunda, quarta, & ſexta, a vino, & carnibus jejunet.

Sacerdos, Sacerdotii ſui gradu, Ordineque in perpetuum amotus, ſi celebrare audet, privatur Communione Corporis, & Sanguinis Jeſu Chriſti uſque ad ultimum diem, & in Excommunicatione eſt Viaticum tantum in fine ſumens.

Si gutta Sanguinis Chriſti in terram cadit, Sacerdos in Pęnitentia ſit *quinquaginta diebus*; ſi ſuper Altare, & ad pannos duos, *diebus quatuor*; ſi uſque ad tres, *diebus novem*. Si incaute dimiſit, quamvis nil nefandi acciderit, tribus menſibus a ſui muneris adminiſtratione amovetur.

Qui per ebrietatem Euchariſtiam evomit; ſi Laicus eſt, *quadraginta diebus*: ſi Clericus *ſexaginta*: ſi Epiſcopus *nonaginta diebus*: ſi infirmus Pęnitentiam agat diebus *ſeptem*.

Sacerdos, qui intereſt clandeſtinis deſponſationibus, per *triennium* ab officii ſui adminiſtratione amovetur.

Qui legata pia Eccleſiæ non ſolvit, *uno anno* Pęnitens erit per legitimas ferias.

Qui vir faciem ſuam transformaverit habitu muliebri, & mulier habitu viri; emendationem pollicitus, *annis* Pęnitens ſit *tribus*.

Infirmos, aut vinctos viſitare negligens, Pęnitentiam aget *dies decem*, pane, & aqua victitans.

F I N I S.

Ad Majorem Dei Gloriam.

INDEX

INDEX MATERIARUM

De quibus per plura quæsita, & Responsiones fuse, & erudite in hoc Opere disseritur.

De Catechismo. p. 1. & seq.
De Deo Uno & Trino. 3
Dei Dei Incorporeitate 7
De Dei Immutabilitate. 8
De Dei Æternitate. 10
De Dei Immensitate. 11
De Scientia Dei. 12
De Bonitate, & Misericordia Dei 14
De Providentia Dei 15
De Homine, ejusque Fine. 17
De Homine Christiano. 19
De Signo Hominis Christiani. 22
De Usu & Fructu Signi Crucis. 23
De Fide, & Simbolo. 26
De Infidelitate. 30
De Sacra Scriptura. 32
De Pentateucho Moisis. 33
De Libro Josue. ibid.
De Libro Judicum, & de Libro Ruth. 34
De Libris Regum, & Paralipomenon. ibid.
De duobus Libris Esdræ. 35
De Libris Tobiæ, Judith, Esther, & Job. ibid.
De Libro Psalmorum. ibid.
De Libris Salomonis. 36
De Libris Sapientiæ, & Ecclesiastici. 37
De Libris Prophetarum Majorum. ibid.
De Prophetis Minoribus. 38
De Libris Machabæorum. 39
De Novo Testamento. 39
De Traditionibus. 43
De Symbolo Fidei Christianæ 46
De Primo Symbolo Articulo. 50
De Martyrio. 53
De Fide in Deum. 57
De Charitate. 58
De Spe. 62
De Actus Fidei, Spei, Charitatis, & Resignationis. 67
De Sanctissima Trinitate ibid.
De Deo Patre. 71
De Dei Omnipotentia. 72
De Gratia. 73
De Deo Creatore Cœli, & Terræ. 80
De Angelis, eorumque Creatione, & lapsu. 82.
De Tribus Angelorum Hierarchiis. 84
De Angelis Custodibus. 85
De Angelis Malis, seu Dæmonibus. 90
De Paradiso Terrestri. p. 98. & seq.
De Creatione Adami, & Hevæ. 99
De Peccato Originali. 103
De Beatissima Virgine. 107
De Nomine Jesu, ejusque Nominis virtute. 110
De Nomine, & appellatione Christi, ejusque variis significatis. 112
De Eterna Filii Dei Generatione. 114
De Dominio Dei in Creaturas, præcipue rationales. 115
De temporali Conceptione Filii Dei. 116
De Sancto Josepho, & ejus Matrimonio. 120
De Filii Dei Nativitate ex Virgine Maria. 124
De Maternitate B. Mariæ Virginis. 126
De Virginitate B. Mariæ Virginis in partu. 128
De Virginitate B. Mariæ Virginis post partum. ibid.
De Epistolis, quas B. Virgo ad nonnullos scripsisse perhibetur. 133
De Morte, & Assumptione B. Mariæ Virginis 135
De Dotibus Animæ, & Corporis B. Mariæ Virginis 137
De Loco, in quo Christus natus est, & de variis circumstantiis ejus Nativitatis. 138
De Pastoribus, qui Christum natum adorarunt 139
De Circumcisione Jesu Christi. 140
De Epiphania, & de Magis Christi Adoratoribus, deque muneribus, quæ Christo, & B. Virgini obtulerunt. 141
De Christi Passione, deque variis doloribus, quos Christus in animo, & corpore perpessus est. 145
De Juda Proditore. 147
De Pontio Pilato. 149
De Christi Flagellatione, ejusque Coronatione. 151
De Christi Crucifixione, Pilati sententia, & Titulo Cruci apposito. 153
De Cruce Spirituali. 165
De Morte Christi, & de septem verbis, quæ Christus in Cruce protulit. 167
De Christi Sepultura. 170
De Sepulchris & Ritu Catholico sepeliendi mortuos.

mortuos. p. 173. & seq.
De Beneficiis Mortis Christi. 176
De Descensu Christi ad Inferos. 179
De Inferno damnatorum, eorumque suppliciis. 180
De Purgatorio, deque mediis, quibus adjuvari possunt Fideles defuncti. 189
De Christi Resurrectione, variisque ejus apparitionibus, & de sanguine Christi in terris relicto. 193
De Ascensione Christi ad Cœlos. 196
De Christi Sessione ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. 197
De Judicio Finali, in quo Christus judicaturus est Vivos, & Mortuos. 198
De Signis, quæ Universale Judicium præcedere debent. 200
De Antichristo, ejusque regno. 201
De Forma Judicii Universalis. 203
De Iis, de quibus homines judicabuntur in die Judicii. 205
De Vivis, & Mortuis, qui in die Judicii judicandi erunt, & de sententia a Christo Judice ferenda. 205
De Spiritu Sancto, ejusque Divinitate, & processione a Patre, & Filio, nec non de variis nominibus, quæ Spiritui Sancto tribuuntur. 208
De Donis Spiritus Sancti. 211
De Fructibus Spiritus Sancti. 214
De Festo Pentecostes, deque dispositionibus, quæ ad accipiendum Spiritum Sanctum præcedere debent.
De Ecclesia Catholica, ejusque Visibilitate, & Indefectibilitate, nec non de membris, quæ ipsam constituunt, & de iis, qui ab ipsa separati sunt. 218
De Notis Veræ Ecclesiæ, nimirum Unitate, Sanctitate, Catholicitate, & Apostolicitate. 221
De Sacramentis Ecclesiæ Catholicæ, eorumque necessitate & numero. 228
De Baptismo, ejusque necessitate tam respectu adultorum, quam infantium. 228
De Confirmatione. 230
De Ritibus Sacramenti Confirmationis. 231
De Sacramento Eucharistiæ. 233
De ejus materia, deque Azimo & Fermentato. ibid.
De Reali Christi præsentia in Eucharistia. 238
De Conversione substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi. 239
De Effectibus Sacramenti Eucharistiæ. 240
De Institutione Festi Corporis Christi. 241
De Missæ Sacrificio. 243
De Præcipuis cæremoniis Missæ, earumque Institutione. 248
De Sacramento Pœnitentiæ, & Confessionis Sacramentalis necessitate. 250
De Sacramento Extremæ Unctionis, ejusque effectibus. 255
De Sacramento Ordinis. 257
De Sacramento Matrimonii, & de effectibus Gratiæ Matrimonialis. 259
De Horis Canonicis, earumque mysteriis, & obligatione. 262
De Jejunio Ecclesiastico, ejusque observantia tam in veteri, quam in nova Lege. 267
De Jejunio Quadragesimali, ejusque origine. 270
De Jejunio Quatuor Temporum Vigiliarum, Adventus Domini, Rogationum, Sabbati, aliorumque dierum. 272
De Causis quibus institutum est in Ecclesia Dei Jejunium. 277
De Cibis a quibus abstinendum est Jejunii tempore. 277
De Refectiuncula Vespertina, deque cibis, quæ in illa licite sumi possunt. 279
De Causis excusantibus a Jejunio. 283
De Votis, quæ in Ecclesia Romana emitti solent; ubi plura de eorum materia, merito, & obligatione de personis, quæ vovere possunt, & de modis, quibus cessare potest obligatio Voti, accurate pertractantur. 284
De statu Religioso, & de potestate Papæ in dispensandis Votis Religionis. 296
De Auctore Status Religiosi. 300
De Religiosorum Ordinibus. 301
De Ordine S. Basilii. 302
De Ordine S. Augustini. ibid.
De Ordine S. Benedicti. ibid.
De Ordine S. Francisci. ibid.
De Ordinibus militantibus sub Regula S. Basilii. 303
De Variis Ordinibus militantibus sub Regula S. Augustini. 303
De Variis Monachorum Congregationibus militantibus sub Regula S. Benedicti. 305
De Variis Ordinibus militantibus sub Regula S. Francisci. ibid.
De Aliis Religiosorum Ordinibus, eorumque utilitate. 306
De Diverso Statu Ordinum Religiosorum. 307
De Requisitis ad valorem Professionis. 309
De Variis modis, quibus Religiosa Professio reddi potest invalida. 311
De Effectibus Religiosæ Professionis. 313
De Qualitate Vitæ, & Mortis boni, & perfecti Religiosi. 314
De Tribus Votis solemnibus. 316

INDEX MATERIARUM.

De Voto Obedientiæ, ubi plura dubia, & quæsita de hac materia resolvuntur. p. 316
De Voto Castitatis. 326
De Tribus Remediis ad servandam Castitatem. 328
De Voto Paupertatis, ubi plura de hac materia discutiuntur, & elucidantur. 331
De Religiosorum Peculio. 342
De Romano Pontifice, supremo Capite Ecclesiæ & Vicario Christi. 346
De Adventu Divi Petri ad Urbem Romanam, ejusque Sede ibi statuta, & de proximis ejus successoribus. 349
De Infallibilitate Romani Pontificis in controversiis Fidei. 351
De Joanna Papissa. 353
De Symbolis, seu Prædictionibus de futuris Romanis Pontificibus. 357
De Notis, seu qualitatibus Propositionum, quæ aliquo modo Fidei opponuntur. 358
De Sanctorum Canonizatione, & de Romani Pontificis infallibilitate in eisdem Canonizandis. 361
De Sacro Cardinalium Collegio, eorum Nomenclatura, Titulis, Prærogativis, & Numero. 361
De Cardinalium Conclavi. 366
De Conciliis, eorumque necessitate, utilitate, auctoritate & infallibilitate. 369
De Primo Apostolorum Concilio, & de usu sortium in sacris Electionibus. 371
De Secundo Apostolorum Concilio, de septem Diaconorum electione, eorumque officio, nec non de Nicolai Diaconi erroribus, eorumque intelligentia. 372
De Tertio Apostolorum Concilio, & de Missione Petri, & Joannis ad confirmandos Fideles recenter baptizatos. 373
De Quarto Apostolorum Concilio, & de formatione Symboli Apostolici. 374
De Quinto Apostolorum Concilio, & de Cessatione Legalium, & Abstinentia a sanguine, & suffocato. 374
De Concilio Generali Nicæno primo. 376
De Concilio Constantinopolitano primo, & de additione facta Symbolo Nicæno. 377
De Concilio Ephesino primo. 378
De Concilio Chalcedonensi. ibid.
De Concilio Constantinopolitano II. 379
De Concilio Constantinopolitano III. ibid.
De Concilio Nicæno II. ibid.
De Concilio Constantinopolitano IV. ibid.
De Concilio Lateranensi I. 380
De Concilio Lateranensi II. ibid.
De Concilio Lateranensi III. ibid.
De Concilio Lateranensi IV. & de bello hæreticis Albigensibus indicto. 381
De Concilio Lugdunensi I. 382
De Concilio Viennensi, & de Templariis, eorumque erroribus, & suppressione. 384
De Concilio Florentino. 386
De Concilio Tridentino. ibid.
De Martino Luthero, ejusque erroribus. 387
De Joanne Calvino, ejusque erroribus. 388
De Conciliis Generalibus reprobatis. 389
De Conciliis Generalibus partim approbatis, partim reprobatis. ibid.
De Sanctorum Commmunione, & de iis, ad quos spectat hæc Sanctorum Communio. 391
De Excomunicatione, ejusque malis effectibus, & de modo, quo quis ab Excomunicatione absolvi potest. 391
De Sanctorum invocatione, & modo, quo preces nostras cognoscunt. 397
De Cultu Christi B. Virginis, & Sanctorum. 399
De Adoratione Crucis. 401
De Peregrinationibus, earumque utilitate, nec non de requisitis ad hoc, ut salutares, & sanctæ sint. 405
De Cultu Sacrarum Imaginum, deque Ecclesiæ doctrina circa sacras Imagines. 406
De Cultu Reliquiarum. 407
De Festis, eorumque institutione. 408
De Templis, & Altaribus, & de Ritibus, qui in Consecratione Ecclesiæ adhibentur, eorumque fine. 409
De Peccatorum Remissione, & de mediis, quibus hæc remissio obtinetur, nec non de facultate Ecclesiæ circa quælibet peccata remittenda. 412
De Indulgentiis, earumque utilitate, nec non de Thesauro Ecclesiæ. 416
De Jubilæo, ejusque institutione, & fine, nec non de operibus, quæ ad lucrandum Jubilæum præscribuntur. 421
De Celebri Indulgentia Portiunculæ, & de modo, quo hæc a Christo concessa narratur. 424
De Generali Mortuorum Resurrectione, ejusque fine, nec non de modo, ætate, statura, sexu, aliisque dotibus corporis, in quibus omnes homines resurgere debent. 428
De vita æterna Sanctorumque Beatitudine, & gaudiis ad illam consequentibus. 432
De Visione intuitiva Dei, tum in hac vita, tum in alia, ejusque inæqualitate, nec non de tempore, quo hæc Visio concedenda est, & de sententia Joannis XXII. circa hanc controversiam. 435
De Prædestinatione, & Reprobatione, earum-

rumque causis, & certitudine, vel incertitudine. 439
De Libro Vitæ. 443
De Numero salvandorum. 444
De Effectibus Prædestinationis ; ejusque mediis. 446
De Signis Prædestinationis. 447
De Octo Beatitudinis Evangelicis. 448
De Significato hujus vocabuli Amen. 453
Rythmus Hominem ad Christianum. 455
Canones antiqui Pœnitentiales pro instructione Confessariorum. 457

F I N I S.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 16 11 20 11 002 3